


MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1743

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 613 L 4⁰

NOVA
ACTA
ERUDITORUM,
ANNO
MDCCXLIII
publicata.

*Cum S. Cæsareæ Majestatis & Regis Pol. atque
Electoris Saxonice Privilegiis.*


L I P S I Æ,

Prostant apud JO. FRID. GLEDITSCHIUM, &
B. LANCKISII hæredes.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS, Venetiis apud JO. BAPT.
ALBRIZZIUM & SEBAST. COLETUM, Parisiis apud BRIASSONUM,
Ultrajecti apud JO. BROEDELUM, Lugduni Batavorum apud
SAM. LUCHTMANSIUM, & Amstelodami in WAES-
BERGIORUM & WETSTENII officinis.

L I T E R I S L A N G E N H E M I A N I S
M D C C X L I I I .

Lectori Salutem!



mensi nuper longum annorum plus quam sexaginta curriculum, in limine constituti sumus ejus anni, quem climactericum magnum vocant artis salutaris magistri, & senectuti suae fatalem dudum hominum pars maxima experta est. Hoc si nobis aliquando salvo integrisque gaudere transacto liceat, felicitatem nobis, qua vix esse potest major, gratulabimur, & ut solent plerumque, hos aetatis suae scopulos transgressi, novam futuri seculi spem ingrediemur. Nos interim, mori, quam inutiliter vivere, satius judicantes, & ita constitutum nobis dudum habentes, non esse hanc nobis, nisi jussis aliquando, aut vocatis, deserendam stationem, hoc, quicquid nobis superest virium, tucundum firmandumque providentissimo illi Numini commendamus, quo, si labor noster inde a tot annis non inauspicatos habuit successus, id & moderante, & annuente, factum est. Procul a nobis absit meritorum & cum laude gestorum ostentatio; nec, qui cognitum habent hęc scribentium animum, it ignorare possunt, vix tam parum nobis tribuere alium quemque posse, quam nobis ipsi tribuimus; at hoc tamen de nobis persuasum esse omnibus cupimus, nunquam nobis, recte fungendi nostro munere, voluntatem defuisse, idque a nobis diligenter actum, ut, qui nostra solent omnia contemnere, hi, si nihil aliud, at nostrum saltem studium possent & industriam probare. Ad hunc enim diem nulla nos nec valetudinis, qua nostrum unus & alter non ita commoda, ut optaret, utitur, nec itinerum, quae, quis est, cui non aliquando imperare necessitas soleat? nec domesticarum, quarum sua cuique homini portio est adjuncta, curarum, impedimenta adeo nos abstrahere ab hoc, & nobis jucundo, & ad tuum fortasse, Lector, usum comparato, labore potuerunt, ut inutilis nobis, nec absolutum ferens pensum suum, mensis, aut dies, abierit. Hęc autem, si qua demum putari potest, aut valde tenuis,

) (

aut

ant communis nobis cum tot aliis etatis nostræ diligentissimis Scriptoribus, laus est, qui, in se & suo studio desiderari nihil passi, hoc tamen diligentia suæ fructu caruerunt, ut lectoribus diu placerent. Habemus nos igitur, cur fortune, aut illi potius omnium bonorum benignissimi auctoris, Dei, hoc munus veneremur, & in eo tributum aliquid nobis, quod datum est paucis, agnoscamus, quod in proveciori hac & quasi efficta etate non fastidiosius, quam in ipso olim juventutis flore, legamur, nec ullo sive invidia occulto marmure, sive malevolentia infano strepitu, jucunda hæc nostra otia turbentur. De patria nostra nihil dicemus, quæ, ab Actis nostris aliquid venisse sibi decoris, nunc etiam, ut olim, grata prædicat, hominesque eos, quorum opera perfectum est, ut Lipsiæ non tam hospitari, quam habitare, & certum quoddam domicilium habere, Musæ dicerentur, sibi vere amicos putat. Quod autem in exteris etiam regionibus, in quas nemo nostrum unquam pedem intulit, eorum, qui nos amant, & Actis nostris optime precantur, idque in optatis se habere, ne qua unquam huic instituto sinistra sors eveniat, nobis per literas significant, multi sunt, id suo quodam jure nobis & commemorabile inprimis, & gloriosum genti nostræ, judicatur. Non igitur, si quis nobis amor nostri sedet, & bene cupimus fame nostræ, timendum tibi, Lector, deinde erit, ne, defleendo a vestigiis majorum, quorum laudatissima exempla nobis ante oculos versantur, interitum meditemur ejus operis, cui per illos vita olim & insigne decus datum est, cui etiam, si qua laurea nos digni judicamur, id acceptum referre uni debemus. Erit sane, dum ad humanas res curandas integer hic nobis vigor erit, sancta hæc animis nostris lex impressa, ut & dignitatem literarum, quibus ab hoc etiam Actorum instituto plurimum venisse incrementi dicitur, & honorem patriæ, quæ omni tempore doctrine & doctorum hominum laude floruit, pro virili parte tueamur, & in præclaro hoc, a patribus accepto olim, & ad seros, si Dii voluerint, aliquando nepotes transiuro, munere consenescere, gloriosum, aut, quod ipsum ad laudem satis est, honestum, judicemus.

* * *

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii Anno MDCCXLIII.

*NUMOPHYLACIUM REGINÆ CHRISTINÆ,
quod comprehendit Numismata ærea Imperatorum Ro-
manorum Latina, Græca, atque in Coloniae cufa, quor-
dam a PETRO SANDES-BARTOLO summo artifi-
cio, summaque fide, incisa Tabulis æneis LXIII. Nunc
primum prodeunt cum Commentario SIGE-
BERTI HAVERCAMPI.*

Hagæ Comitum, apud Petrum de Hondt, 1742. fol.

Alph. 5 plag. 4.

Sigeberto Havercambo, insigni nuper Belgii cultioris ornamen-
to, post egregiam *Theauri Morelliani* editionem, novam
nunc debemus Numorum æreorum, in coloniis atque pro-
vinciis sub Imperatoribus, inde a *Julio Cesare* ad *Pescennii* us-
que *Nigri* tempora, culorum, compilationem. Collegit *Æmili-
æ* isthæc olim *Christina*, Succ.æ Regina, cujus res gestæ quæ-
vis Principem regendis provinciis æque ac literis tuendis natam
perhibent. Scæter Opus præstantissimis Numis, inter quos sunt
non pauci, antea nunquam editi. Singulos manus artificis Itali
Petri Sandes-Bartoli incidit æri, a quo ante aliquot annos *Pe-
trus de Hondt*, librarius Hagensis, magnis sumptibus coem-
it. *Cl. Havercampus* laborem tanti æstimavit, ut non solum
alium æque utilem, in quem totus tunc incumbabat, *Histori-
am* scilicet *universalem numismatibus illustratam*, seponeret, sed
etiam chronologicas & historicas ad *Museum Christianæ* instrueret
disquisitiones, sedulusque investigaret, quæ fabulosam gentili-
um theolo-

Præfat.

- theologiam, quæ reconditam coloniarum originem, quæ res illis annis ac temporibus gestas, quæ ritus ac ceremonias ejus ætatis, illustrent Numismata. *Montefalconii* morem imitatus, Gallicam Latinæ passus est adjici interpretationem, qua tamen in tanta literarum luce facile caruisset orbis eruditus. Divisio a magnitudine Numismatum est petita, & primæ quidem magnitudinis Numos Tabule XLI priores complectuntur, reliquos reliquæ XXII comprehendunt. Numis, in quibus Imperatorum conspiciuntur capita, ii præmittuntur, quos in honorem Senatus Romani percussèrunt provinciæ Smyrna & Mitylene, quorum in antica Senatus sub imagine ΔΙΟΣ ΒΟΥΛΛΙΟΥ sistitur, in postica *Jupiter Aeneas*, itans inter binos fratres, *Neptunum* atque *Plutonem*, exhibetur. *Cæsaris* Numismatibus exhibitis, ordine & Musæi & rerum gestarum imperante, ad *Augustum* pergit *Havercampus*, ejusque numos, tam sub tertio Triumviratu, quam post occupatum imperium, percussos, recenset. Sub Triumviratu in Cojorum numis non *Lepidi* solum caput, impresso averse *Aesculapio*, apparet, sed *Octavie* etiam, castissimæ conjugis *Antonii*, honores sub divina specie *Ἰλευθερίας* conspiciuntur.
12. In *Augusti* numis nihil sphinge est frequentius, & alata quidem Ægypti, carens alis Armenia, præbet symbolum. *Augusto* vivo spirantique Asia sola consecravit aras, defuncto cives etiam ex S. C. eju numus docet, in quo templum *Ἰζήτιον*, adstantibus ad latera tauro ac ariete, opimis de grege sacrificiis. Urbis pietatem suam colonie fecerunt, & D. *Augusti* memoriam divino ritu coluerunt. Palmam præripuit multis *Augusta* Ene-
- Tab. II. n. 4. *rita*, urbs Hispaniæ, quæ nomen a veteranorum domicilio, quod ibi constituit *Augustus*, nata legitur. Quam in aversa habet *Christine* numus inscriptionem, in circuitu dat Brandeburgicus
- Tab. IV. n. 4. *apud Begerum Tom. II pag. 607.* Quartam Tabulam incusus *Claudii Cæs.* nobilitat, in cujus aversa, præter Spem augustam, tres milites prætoriani, ad Deam accedentes, raro exemplo conspiciuntur. Inter *Gallie* numos eminet, qui Romam tropæo suffultam, signumque victoriae dextra tenentem, sistit, epigraphe R. XL, id est, *remissum quadragesimæ vestigul*, adjecta, quam *Ez. Spanhemius de V. & P. N. A. Tom. II pag. 550* magno,

gno, ut solet, eruditionis apparatu illustravit. In *Vespasiano* Tab. V.
 numis urbs post *Vitellii* tyrannidem recreata extitit. Hinc epig- n. 13.
 graphe: ROMA RESURGENS, quam in *Christiane* numismate
 vitio carentemprehendimus, cum alibi RESURGES utpluri-
 mum legatur. Numus Corinthiacus, in honorem *Domitiani* cu- Tab. VIII.
 sus, est præ ceteris eximius. Corinthi notam suggerit inscri- n. 12.
 ptio: PERMISSU IMP. GERMANICI, quam propriam isti
 oppido probavit *Vaillantius Num. Colon. Tom. I pag. 200*. Aversa
Inus cum filio *Melicerta* fugam repræsentat. Legitur enim mu-
 lier, quo furori *Athamantis* mariti se puerumque subduceret,
 in mare de rupe se præcipitem dedisse, eoque peractis, ut
 ipsa inter *Nereidas* sub elogio *Leucotheæ*, puer inter Deos sub
 nomine *Palemonis*, censeretur. Numus, quo memoria adoptio Tab. XI.
 nis *Hadriani*, a *Trojano* factæ, servatur, mixta raritatis est. Dubi- n. 12.
 tat *Havercampus*, num ab alio quopiam, præter *Angelonium*, sue- Pag. 57.
 rit publici juris factus. Liberalitatis *Hadriani* testimonium 125.
 præbet numus, quo indicatur, eum debitas fisco inde a sede- n. 21. 22.
 cim annis pecunias debitoribus remisisse. Stat Imperator palu- Pag. 58.
 clatus, & eoque accensa syngraphas comburit. Additur inscriptio:
 RELIQUA VETERA HS NOVIES MILLIES ABOLITA.
 Stadium venationis, quo *Spartiano* in *Vita ejus Cap. 26*, & *Atke-* Tab. XII.
neo Dipnos. XV pag. 677, testibus, multum temporis impen- n. 20.
 dit *Hadrianus*, prædit numus, qui VIRTUTI AUG. inscri- Pag. 61.
 bitur, *Augustum*que equitem, leonem jaculo trajectientem, ex-
 hibet. *L. Aiti* adoptio in numis A. 890 occurrit, aversa nunc Tab. XV.
 Concordiæ, nunc Fortuniæ ac Spei, signo ornata. Sed quis igno- n. 5. 6. 7.
 rat, excidisse spe sua *Hadrianum*, *Ælium*que diu ante fata ipsius Pag. 70.
 obiisse? *Antoninum*, cui parentis consecratio *Pii* nomen con- 71.
 ciliavit, certatim numis honorarunt Provinciae. Nos locuple-
 tiorem paulo dabimus catalogum, quo partim ex uno mini-
 mum specimine Gazophylacii pretium & abundantia cognosca-
 tur, partim numariæ rei scrutatores notitiam numerorum, a
 coloniis eulorum, aliquam inde petant. Honorarunt autem co-
 loniæ *Cæsarem* numis & Latinis & Græcis. Latinis Africa, Asia,
 Cappadocia, Phœnicia, Mauritania, Parthia, Scythia, Syria,
 Britannia, Armenia; Græcis Ægyptus, Ephesus, Gaza Syria Pa-

4 NOVA ACTA ERUDITORUM

- Tab. XV. Iustinæ civitas, Magnesia, Nicæa, Perinthus, Seleucia, Tral-
 n. 16. lus. Africam species mulieris, corollam *Cæsari* ferentis, ante
 15. quam tres e terra exsurgunt spicæ, refert; Asiam statua ma-
 17. tronæ nobilis turrato, id est, multas continente urbes, capite,
 quæ læva manu anchoræ, crebros Asiæ portus significanti, in-
 nititur. Minus recte enim anchoram pro navi habuit *Jo. Tri-*
stunus Comment. histor. Tom. I pag. 573. Cappadociam de-
 signat virilis species, velle succincta, læva vexillum, dextra mon-
 ticulos, vel, si mavis, vasculum aliquod, comprehendens; ad
 pedes tripus est positus cum foco, quem, quamvis in numo
 18. *Christine* vetustas deleverit, alius consimilis apud *Angelonum*
 numus servavit. Phœniciam, sive, ut in numo scribitur,
 FOENICAM, imago viri succincti, prope palmam arborem pro-
 præ insidentis, & dextra manu sertum præferentis, exhibet. Mau-
 20. ritania sub figura juvenis succincta dextra canistrum, sinistra
 jaculum, teli genus, Mauris & Libybus familiare, tenentis, ap-
 21. paret. Parthiam vir indicat, qui dextra tiaram Parthicam, si-
 nistra cingulum, colligandis armis Parthorum, quæ ad pedes pro-
 cumbunt, arcui & pharetræ sagittis repleta, destinatum, gerit.
 Quo elegantius est in hoc numo tiara manu artificis delineata,
 eo turpius erit in posterum errori communi plerorumque, in-
 que iis *Jo. Vaillantii Hist. Regum Parth. pag. 124,* ulterius lo-
 22. cum relinquere, & tiaram præter rem in coronam mutare. Scy-
 thia symbolum figura est juvenis succincta, pileo caput, læ-
 23. vam baculo, dextram vel corona, ut *Vaillantius* credit, vel ga-
 lea, ceu *Ant. Augustinus* suspicatur, vel tiara, quod *Haver-*
campus sibi certissime persuadet, ornata. Syria cum turrato
 capite habitum matronæ nobilis stolatæ induta, dextro pede
 Orontem fluvium calcat, manu dextra sertum, cornu copiæ
 24. sinistra, gerens. Britannia, de qua muro ducto post *Hadria-*
num, & domitis barbaris, præclare meruit *Antoninus*, sub specie
 militis, collibus insidentis, cubitoque & læva hastata clypeo in-
 nixi, dextra autem signum militare gestantis, repræsentatur. In-
 Tab. XVI ter numos Armeniae eminet præ ceteris, qui Regem Armeniis
 n. 10. datum rotat, & Imperatorem togatum *Archemenidi, Partha-*
 Pag. 81. *maspuchis* filio, chlamydem regiam induto, diadema imponentem
 osten-

ostendit, a *Vaillantio* dudum in *Histor. Arfacid. pag. 325* com- Tab. XVII.
mendatus. Ægyptii numi in averſa nunc judicium *Paridis*, n. 5 ſeq.
nunc nomen MEMPHITIS, cum *Apis* atque *Oſiridis* ſtatuis, Pag. 84.
nunc *Pantheon*, nunc *Iſidem*, ante *Pharum Alexandrinam* vela n. 13 ſeq.
pendentem, exhibent. *Ephesi* numos nunc *Diana Polymammaia*, Pag. 80.
adſcripto *Αρτεμιδος Εφεσιας* elogio, nunc templum octo co-
lumnis ſolum ejusdem *Diva*, exornat. *Gaza* muliebri ſpecie n. 19 ſeq.
cum capite turrato ſignificatur. *Magneſia*, ad *Mæandrum* flu- Pag. 87.
vium ſita, ineditus prodit numus, in quo *Triptolemus* bigis n. 20 ſeq.
draconum vehitur, dextraque ſcipionem tenet, leva fruges ſpar- Pag. 88.
git, addito, pro more illius civitatis, ſcribæ nomine ΜΑΓΝΗΤΩΝ
ΕΠΙ ΔΙΟΣΚΟΠΙΔΟΥ ΜΗΤΡΟΔΩΤΗ. Numos *Nicæenſes Cybelæ* n. 21.
numen cum ſceptro & tympano; *Perinthienſes* in *Thracia Her-* 22.
cules, leonem ſuffocans, cum inſcriptione: ΗΓΕΙ ΚΟΜΜΟΔΟΥ 23.
ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ; *Seleucienſes* *charitoblepharon* corallii, in amato-
riis negotiis efficaciffimi, genus, (vid. *Plinius Lib. XIII Cap. ult.*)
quemadmodum & *Aphrodiſienſes* apud *Hæymium Theſ. Brit. Tom.* 24.
II pag. 93. *Trallianos* denique homo leniter ſe recumbens, cum
aquila deſuper volitante, ad indicandam *Jovis* tutelam, diſtinguit.
E numis *M. Aur. Antonini Philoſophi* contemplatione præ ceteris Tab. XIX.
videtur dignus, quem in honorem *Jovis Lycii* *Lycia*, *Alia* re- n. 20.
gio, cuſi curavit. Sedet ſub templo *τραπεζῶν* numen, dex- Pag. 102.
tram attollit, ſiniſtra haſtam compleditur, epigraphe adſcripta:
. . . . ΙΕΡΕΥΣ ΛΟΥΚΙΟΥ ΔΙΟΣ. *Fauſtina*, conjux *Aurelii*, Tab. XX.
in variis numis poſt *Marci* de *Quadis* victoriam elogium *Matris* n. 9. 10.
caſtrorum eſt indepta, (vid. *Dio Lib. LXXI pag. 806*, & *Capitolinus* 17.
in vita Cap. 26), quod poſt eam alia etiam *Auguſtæ*, nimirum *Julia*
Pia, uxor *Severi*, & *Julia Mæſa*, avia *Alexandri* Imp. in numis-
matibus geſſerunt, notante ad *Oroſium pag. 507 Havercampo*.
In numo *L. Veri Auguſti* inſcriptio: REX ARMENIS DATUS, Tab. XXI.
legitur, Imperatorque in ſubſtructione confidens, adſtantibus tri- n. 2.
bus figuris, declarat Regem, qui &, jubente ipſo, diadema capiti Pag. 116.
imponit. Conf. *Jo. Truſtani Comment. hiſtor. Tom. I pag. 680*
Numum *Commodi*, in cujus averſa HERC ROM CONDITORI Tab.
legitur, *Dio Lib. LXXII pag. 824* illuſtrat, quem conſtat unum XXIII.
plerimis numiſmatibus antiquis lucem clariffimam aſſundere. n. 2.

6 NOVA ACTA ERUDITORUM

- Tab. XXIII. n. 16. Pag. 146. Sacrum agonem in honorem *Commodi* Nicææ, urbs Bithyniæ, per caput turricum significata, celebravit, quem quidem ex urna cum palma & inscriptione $\text{IEPOΣ AΓΩΝ NIKAIEQN}$ colligunt. Idem reverentiæ in *Commodum* Aug. genus Nicomediæ vindicat maximi moduli numus, duabus urnis aræ impositis ornatus, in *Museo Theopol.* pag. 925, qui simul epigraphen KOMODEIA inter pedes altaris exhibet, in numo consimili apud *Ez. Spanhemium ad Callimach.* pag. 318 inde supplendam. *Didia Clara* perrarum numisma Græcum, quale ne *Vaillantius* quidem vidit, in *vicesima quarta* Musei *Christine* Tabula occurrit; in antica juxta caput Augusti: ΔΗΔΙΑ ΚΛΑΡΑ ΣΕΒ legitur, in postica Cypriæ *Veneris* sinum cum inscriptione: KOINON KYΠPIΩN , quam præter rem supplere conatur eruditissimus interpres, conspicitur. Inter numos coloniarum, sub *Severo* percussos, numi Antiochenis colonis, quæ sub imperio *Augusti* eam conditionem induit, (vid. *Plinius Lib. V Cap 27*, & *Vaillantius Num. colon. Tom. I pag. 207*), eminent. Exstat eorum unus in gaza Regina, cujus anticam caput *Augusti* laureatum cum titulo $\text{IMP CAES L SEP SEVERUS PER AUG}$ occupat, posticam *Deus Lunus* cum pileo Phrygio in capite & luna crescente ad humeros, hastam dextra, sinistra globum, cui victoriola insitit, gestans; ad pedes ex altera parte stat gallus gallinaceus, ex altera leo & navis gubernaculum; inscriptio ad laevum est $\text{S. C. in ora COL. CAES ANTIOCII}$. Superfunt & alibi numi hujus colonis non dissimiles. Unum *Vaillantius Tom. II pag. 2* servavit, alter in *Museo Comitis Friderici de Thoms* custoditur, tertium *Havercampus* in *Notis ad Orosium pag. 498* publici juris fecit; sed est tamen omnium aliqua inter se diversitas. In numo *Christine* & *Havercampiano* caput bovinum pedibus conculcat *Lunus*, in binis reliquis pedibus Dei nihil est subditum. Præterea is, qui ad *Orosium* illustrandum prodit, capitis tegumentum peculiare & columnam, cui cubito laevo innititur Numen, solus exhibet. Quid literæ S. R. ad laevum positæ velint sibi, perobscurum est. Neque enim *Vaillantii* subscribere opinioni *Tom. II pag. 198*, & pro Senatus indicio habere, vult sagacissimus *Havercampus*, sed singulare conjicit beneficium, a *Severo* & *Gordiana*

no Antiochenſi coloniæ exhibitum, exprimi, in primis cum nec in alius *Auguſti*, nec in alius coloniæ, numis deprehendantur. Legit igitur *ſacris receptis*, vel *ſacris reſtitutis*, & obſervat, *ſecurum* primum, deinde & *Gordianum*, ædem *Luni Dei* Antiochiæ reſciſſe, cultumque Numinis inſtaurariſſe. Conf. infra *Tab. XXXIII n. 20 pag. 239*. Similis averſa in numo *Julia*, conjugis *Severi*, ſpectatur. Eſt hæc *Julia Donna*, immenſæ mulier arrogantiæ, quæ cum filio *Caracalla* adulationes urbium Græcarum numis-
maticas lubens accepit, ſequæ ad familiam *Cleopatræ* referri, & cum eadem quoad ſpeciem & ingenium comparari voluit. Elegans eam in rem ſuperest *Smyræorum* & *Ægeatarum* numus, quem edidit *Cel. Havercampus ad Oroſium pag. 505*. Numorum *Macrini* primæ magnitudinis mira eſt raritas. Juxta caput *Auguſti laureatum*, barbatumque, & corpus paludatum, legitur inſcriptio: *ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙΣΑΡ ΜΑΡΚΟΣ ΟΠΕΛΙΟΣ ΣΕΒΗΡΟΣ ΜΑΚΡΕΙΝΟΣ*. Urbem, quæ eudi curavit numum, inſcriptio lateris averſi *ΤΑΡΣΟΥ* indicat, reliquas literas delevit vetuſtas, ſed reſtituere conjectura tentavit *Vaillantius*; quocum mox de alio inſequentis cujuſdam *Cæſaris* numo diſcepat *Havercampus*, poſtquam inſcriptionem, a ſculptore Muſei Romano non ſatis intellectam, ita repararet: *Μάρκος Ευγενῆς Πανηγυριῆς Θεῶν ΜΑΚΡΕΙΝΟΥ ΠΟΛΕΩΣ ΑΙΓΕΩΝ ΔΕΣ*, id eſt, ſub *Março Eugenio Panegyriſta Deorum Macrinopoleos Ægeenſium A. 204*. Scilicet, bis errare, conſet, *Vaillantium*, primum, quando *Diadumeniano* aſſignat numum, quem *Hellogabali* eſſe, inſcriptio antiæ *ΑΥΤ Κ Μ ΑΥΡ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ ΣΕΒ*, ſpecialim *Auguſti* titulus, quo uſus nunquam eſt *Diadumenianus*, confirmat; ſecundo, quando pro capite *Herculis* imberbi, pelle leonis induto, vendit, quod eſſe *Alexandri M.*, ex opinione *Ægeſium*, *Macedonicam* originem aſſectantium, non ſine magna veritatis ſpecie poteſt concludi. Circa *Gordianorum* numos, quos *Tab. XXXIII comprehendit*, tria obſervat *Havercampus*: 1) male tradi, quod ſiquidem *Thomſii* Comitum Muſeum mediæ magnitudinis unum ſervat, in cujus averſa mulier, dextra bilancem, ſiniſtra cornu copix, tenens, ſpectatur, cum inſcriptione: *ÆQVITAS AVG SC*; 2) falſo

Tab. XXVI.
n. 17. 18.
Pag. 208.

Tab. XXIX.
n. 23.
Pag. 215.

Tab. XXXI.
n. 19. 20.
Pag. 222
ſeq.

Tab. XXXIII.
n. 4 ſeq.
Pag. 236.

- 2) falso Græca *Gordianorum* numismata in dubium vocari, quale unum, apud Metropolitans percussum, e gaza *Wildiana Havercampus* coemit; 3) *Tranquillinae*, conjugis *Gordiani III*, numos in ære medio hodiernum extare. *Æmilian* Cæsaris, quem optima quæque Musea desiderant, primæ magnitudinis numos tres Musæum *Christinae* servat, quorum unus SPEI PUBL, alter VIRTUTI AUG, tertius APOLLINI CONSERVATORI, inscriptus est. Hæc de rumis maximi moduli sufficiat notasse; de ceteris pauca subiiciemus. In numis *Antonii & Cleopatrae* commendabiles sunt bini Cistophori, quemadmodum e *Lepidi* numis unus in Cabe colonia percussus, cujus antica caput Triumviri, cum inscriptione COL, postica velatum *Cereris* caput, laurea corona circumdatum, cum inscriptione CABE, continet. *Tiberii* exhibetur numus, in quo monetarii vitio utriusque lateris plenaria est similitudo. *Traiani* numus, *Cyrrhi* cusus, *Jovis* ΚΑΡΑΒΑΤΕΡΩ religionem ostendit, quemadmodum in aliis ejusdem *Tabula* numismatibus *Jovis Casii*, sub lapidis specie culti, & *Labradei*, seu *Labrandeni*, occurrit mentio. Credibile autem est, coloniam ad *Parnthicam Traiani* expeditionem allusisse, & eunti bene ominatam Imperatori. Vid. *Lycophron* in *Alex. v. 1369*, & *Jo. Tristanus* in *Comm. hist. Tom. I pag. 423*. *Hadriani* numisma, cujus antica facies Cæsaris & *Sabinæ*, e regione sibi invicem collocatas, cum inscriptione: ΑΥ n. 22. 23. ΚΑΙ ΤΡΑΙ ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΣΕΒ ΣΑΒΕΙ... postica Victoriam volitantem cum ferto, palma, & epigraphe: ΝΕΙΚΗ ΑΔΡΙΑΝΟΥ, exhibet, atque ad victoriam, de *Judais*, inde ab imperio *Traiani* omnia turbantibus, actam, respicit, omittere, summa ejusdem raritas vix permittit. Similis causa postulat numum antiquarium nemini visum commemorare, in quo laureata *M. Aurelii & L. Veri* capita, sibi met ex adverso posita, unum, mulieris figura superne nuda, capite turrato, dextra sistrum, læva cornu copiarum, tenens, id est, *Isis*, alterum, latus occupant, adjecta epigraphe: COL AEL CAP, quæ quidem colonia fertur *Isidis & Serapidis* cultum solcite custodivisse. Græcos *Pertinacis* numos quis valde infrequentes ignorat? Qui est inter cimelia *Christinae*, in adversa laureatum Augusti caput cum chlamyde in humeris, & inscriptione: ΑΥΤ Κ Π ΕΛΒΙΟΣ ΠΕΡΤΙΝΑΣ ΣΕΒ, in averta duas

duas figuras mulierum decurribentes cum stellis super caput, e quibus Augustæ dignoscuntur, & verbis ΤΩΜΦΩΣ ΜΗΤΡΟΠ ΠΟΝΤΟΥ insit. Rariora adhuc sunt *Pescennii Nigri* Cæsaris Numismata, Græca potissimum, quale exquisitissimum coronidis loco adjiciemus. In uno latere circa caput Augusti laureatum legitur ΑΥΤ Κ Γ ΠΕΣΚ ΝΙΓΡΟΣ ΙΟΥΣ ΣΕΒ; in altero circa *Minervam* procurrentem, teloque & clypeo instructam, ΑΡΙΣΒ, id est, *Αρισβέων*. Fuit autem Arisbe Troadis oppidum, (vid. *Plinius Lib. V Cap. 30.*) quod cum ora omni ad orientem vergente a partibus stetit *Pescennii*, unde is *Minervam Iliacam* dicitur habuisse faventem. Tab. LXIII. n. 17. 18. Pag. 458.

COMMENTATIO DE NUMO HADRIANI
 plumbeo, & Gemma Isiaca, in funere Ægyptii medicato
 repertis, Serenissimi Celsissimique Principis ac Domini
 CAROLI, Ducis Brunsvicensium & Lunæburgensium
 regnantis, jussu clementissimo adornata a JULIO
 CAROLO SCHLÆGERO, Philologo
 Helmæstadiensi.

Helmæstadii, ex officina Drimborniana, 1742, 4 maj.

Alph. 1 plag. 4.

Nemo est hodie in contubernio Musarum, qui non simul *Schlegeri* nomen & merita magni faciat. Præsenti Commentatione, auspiciis magni Principis conscripta, bigam cimeliorum, quam tempus edax rerum e tanto rerum præstantissimarum naufragio reliquit nobis, interpretatur Vir doctissimus, omnemque telam *decem Capitibus* absolvit. *Primo* horum viam tradit, qua & numus *Hadriani* plumbeus, & gemmula Ægyptiaca, ad ipsum pervenit. Accepit autem numum e gaza Ducali, cui *Antonia Amalia, Ferdinandi Alberti, Ducis*, vidua, intulerat, postquam spectatissimus quidam in toga & sago heros in peregrinatione Ægyptiaca, mumie ablatum, ab Arabe coemisset, ac redux Principi, antiquitati pretium non leve statuenti, dono dedisset. *Capite secundo* in numi præstantiam inquirat, eumque *Ottoribus* æreis atque *Pescenniis Nigris* anteposit, quippe Pag. 7 seq. 9.

- Pag. 11. eorum catalogo numerorum adscribendum, quos *unicos* vocant
 12 seq. rei numariæ interpretes. Sunt quidem tres eodem typo in-
 structi apud *Ratinum, Nicasium, & Pedrusium*, sed ærei, plum-
 beus contra præter hunc a nemine commemoratur. Augent
 pretium certissimæ probitatis & antiquitatis notæ, quas *Capite*
 20. *tertio* contra objectiones quorundam, quibus de fide numi
 contraria orta est suspicio, Cl. *Schlagerus* defendit. *Jo. Reis-*
kius, qui sub personato nomine *Jani Rutgersii* latet, omnia,
 quæ supersunt, monumenta plumbea scriptis ad *Jo. Henr. Eg-*
gelingium super eo argumento literis arguit falsitatis, & probita-
 tem plumbi veteris magna contentione impugnat. Ei igitur
 sese objicit Cl. *Schlagerus*, & quamvis plumbum injuriæ tem-
 poris præ ceteris subesse metallis, paucissimosque hinc numos
 plumbeos extare amplius, concedat lubens, attamen, inde haud
 consequi, recte monet, omnem monetam, e plumbo conflata,
 interiisse. Quam quidam contra antiquitatem plumbi move-
 runt trigam argumentorum, magna confutat soliditate, & usum
 26 seq. numerorum plumbeorum e locis *Plauti & Martialis*, quos multi,
 inque his *Ludov. Survet*, de numis quibusvis vilioribus accipere
 30. maluerunt, egregie confirmat. Laudat *Laur. Pignorii* apparatus
 37. monetæ plumbeæ, *Franc. Ficoronii* Opus eximium & splendi-
 dum, i *Piombini antichi* inscriptum, & Romæ A. 1741, 4^o
 editum, commendat, aliaque excitat plumbea, quæ pas-
 sim in Bibliothecis asservantur, monumenta. Præsentis nu-
 mi probitatem vel ex improbabili ejus fictione claram reddit
 Eruditiss. *Schlagerus*. Si enim suppositum ab Arabe dicas; obstat
 incognitum Arabibus Europæorum studium, plumbeos numos
 conquirendi; sin ab Europæo confictum malis, viam indices,
 necesse est, qua in cryptam, numis condendis sacram, perve-
 nerit, quippe a quibus peregrinos omnes sollicitè arcent Arabes.
 38. Quid? quod tanta haud sit artificum nostrorum dexteritas, ut
 cram extimam inæqualem & rugosam, quæ in *Hadriani* nu-
 mismate est conspicua, conficere more verusto queant. *Ca-*
 41 seq. *pite quarto* usum singularem ostendit, quem numiæ numus
 præbere debuit. Non potuit non ista disquisitio occasionem fug-
 gerere observationi de ritu condendi numos cum defunctis. Ri-
 tus

tus enim is frequentissimus olim inter Græcos, solis Her-
 mionensibus exceptis, fuit, atque a Græcis ad Romanos, a Ro-
 manis ad Ægyptios, Gallos, & priorum Seculorum Christianos,
 transit. Græcis numus ille, quem *obulum* pretio æquasse, ex
 Lucillii Epigrammate, Charontis apud Lucianum interrogatione, Pag. 52
 & numo Nisæorum, a Gish. Cuperio primum recte explicato, pa- seq.
 tet, *περδμήιον, περδμία, ναύλον, ἄβολος, δαναίη, καρναίεια,*
 (sic enim corruptum illud *καρναίειον* apud Suidam emendan- 47.
 dum censet Schlegerus.) Romanis, penes quos *trientem* exple-
 bat, *as, naulum, obolus,* vocabatur. Græci in ore defuncto-
 rum, Romani in urnis, aliæ gentes in manibus, abscondebant;
 Christiani autem primævi vel in exteriori ambitu sepulchri,
 glutino calcis intermixto, affigebant, vel in capulo ad latus ca-
 daveris collocabant. Ne quis dubitet, eum morem in numo 59.
 plumbeo *Hadriani* tangi, argumento est doctrina de *Charon-
 te* pro cymbæ usû remunerando, quæ ea tempestate a Græcis
 atque Romanis ad Ægyptios dudum fuerat perlata, idemque
 præterea vile metallum, ex quo conflatus est, confirmat. Usur-
 patum autem est numisma, anno 18 imperii *Hadriani* culum,
 ut chronologicus adesset character ejus Imperatoris, sub quo
 Ægyptius excessit vita. *Capite quinto* adversum illustrat numi
 latus, in quo caput *Hadriani* Cæs. cum inscriptione: ΑΥΤ.
 ΚΑΙΣ. ΤΡΑΙΑΝ. ΑΔΡΙΑΝ. ΣΕΒ. exprimitur. Cl. *Schlegerus* 64.
 venustas spargit observationes, duplicem nominis Cæsarei or-
 thographiam cum & sine adspiratione defendit, *Jo. Harduini* 65.
 de nudo capite *Hadriani* somnia traducit, ex facie mores at-
 que ingenium Principis dijudicat, & ex calamistratis quidem 71 seq.
 cincinnis lasciviam, ex coma ad supercilia defluente sævitiam,
 ex capite in occiput magis, quam sinciput, prominente singula-
 rem memoriæ & ingenii virtutem, ex oculis sublati arrogan-
 ciam & ambitionem. Singula hæc idoneis scriptorum testi-
 moniis illuminat, primumque *Hadrianum* inter Imperatores alu-
 isse barbam, notat; data etiam occasione, lauream coronam sub
 Imperatoribus summæ dignitatis indicium fuisse, probat. *Capite* 68 seq.
sexto, septimo, octavo, & nono, aversum numi latus paulo cu-
 ratius considerat. Dux adsunt icuncula. Quæ est dex- 81.
 trorsum

trorsum posita, ex mente *Patini & Nicasii*, quibus *Paulus Pedrusius* contradixit, Canobum denotat, Numen Ægyptiorum. Priorum sententiam amplectitur *Schlegerus*, alteramque figuram, quam Canobi esse, *Pedrusius* existimat, ex signis adjectis *Isidem* exhibere, censet. Corroborat conjecturam hydria, cui caput virile potius, quam muliebre, impositum spectatur, quæque Canobo exprimendo ut plurimum inservit; nec non capitis ornamentum, simile alii, quod in gemma *Massejana* apud *Montesulconium Antiq. expl. Tom. II P. II pag. 320* reperitur. Erudite observat *Cl. Schlegerus*, urnam, in qua aqua Nili, turbida plerumque, tepida & calida reddebatur, sub hydriæ elogio Ægyptios intellexisse, eaque re Nilum hieroglyphice representasse; capite autem virili Canobum urbem, quæ ad ripam fluminis sita erat, & alis, capiti junctis, navium Canobicarum agilitatem indicasse. Aperit simul hæc annotatio campum, in Ægyptiacas circa idolum Canobi tenebras, & fabulosas de origine ejus narrationes, excurrendi, variaque simul, nondum satis discussa, de urbe Canobitarum tradendi. Concludit tandem ex his omnibus, e civitatis Canobicæ decreto in *Hadriani* honorem percussum fuisse numum, & exempla urbium Ægyptiacarum, patria Numina in numis exprimeredi, pluribus exemplis probat. *Isidis* alteram esse figuram, contendit, ut supra monuimus, *Schlegerus*. Colligit id 1) ex cornubus, quæ in vertice spectantur, & proprium quasi *Isidis* indicium constituent; 2) ex pennis vulturis, in medio cornuum expressis, & in altum porrectis; 3) ex globulo inter penas & cornua collocato; 4) ex capillitio ad humeros defluente, & temporibus circumfuso. Post hæc in caput mythologiæ Ægyptiæ de *Iside* diva egregie inquirat, sub eaque patriam coluisse suam Ægypti cives, perhibet; Canobi vero comitem ideo esse scribit, ut a Canobitis Ægypti, non Africæ, incolis numum signatum constet. Pervulgatus enim gentium antiquarum mos est, urbes homonymas hieroglyphicis signis inter se distinguendi. Sic, *Pag. 161* cum *Seleucus Nicator* in variis Asiæ, tam minoris, quam majoris, regionibus novem condidisset urbes, a nomine suo *Seleucia* appellatas, illi, qui *Seleuciam* in novem illis principem prope-

modum

modum, & ad maris Syrii litus exstructam, incolebant, ut ab aliis distingui possent *Seleuciis*, a regione Pieria, cui erat ornamento, in are suo *Σελευκίαν Πιερίας*, vel *Σελευκίαν τὴν ἐν Πιερίας*, cognominarunt. Testimonio sunt complures numi, qui passim in Voluminibus numismaticis exstant, quorumque numerum augent bini, nunc primum, suggerente R. P. *Car. Granelio*, S. J. Sacerdote, divæ *Amaliæ Augustæ* ab obsequiis, in publicum emissi. Binæ, quas hæcenus lustravimus, figuræ stant ad ostium templi, cujus contemplationi *Caput oïlarum* tribuit Cl. *Schlegerus*. Canobi autem esse sanum, conjicit, quod passim a *Stephano Byzantino de Urbibus* v. *Κάτωβος*, & *Dionysio Periegeta in Orbis descr.* v. 13, commemoratur, quod oraculis & incubationibus, medicinæ causâ factis, clarum *Pausanias* perhibet, quod splendore & magnificentia vel in numo plumbeo *Hadriani* est coruscum, quod denique ob scholam, ab *Antonino*, Philosopho Platónico, ibi instructam, in *Eunapii Vitas Philos. & Sophistarum pag. 68 seq.* cum eoque ad posteritatem, migravit. Idem Autor dira fata, quæ imperante *Theodosio M.* sano Canobi contigerunt, *pag. 73* describit: *Καὶ τὰ περὶ τὸν Κάτωβον ἱερὸν ταυτὸ τέτο ἔπαρχ.ν. Θεοδοσίῳ μὲν τότε βασιλεύοντος, Θεοφίλῳ δὲ προσταττῆντος, τῶν ἐπαρχῶν ἀνδρώπη τις ἐευρυμέδοντος, ὃς ποθ' ὑπερφύμοισι γιγάντεσι βασιλεύσεν, Εἰρηίῃ δὲ τὴν πολιτικὴν ἀρχὴν ἀρχόντος, Γαμαίῳ δὲ τῆς κατ' Ἀιγυπτὸν στρατιώτας πεπιστευμένῳ, αἵτινες ἅμα φραζόμενοι κατὰ λίθων καὶ λιθοξόων θυμὸν ἐπὶ ταῦτα ἀλλόμενοι, πολέμῳ δὲ μίτη ἀκοήν ὑφιστάμενοι, τῷ τε Σαραπείῳ καταλυμήναντο καὶ τοῖς ἀναθήμασιν ἐπολέμησαν, ἀναιταγώνισον καὶ ἀμαχον νίκην νικήσαντες τῆς αὐτῶν ἄλλα καὶ ἐκλεπταν καὶ τάξις ἦν αὐτοῖς πολεμικὴ τὸ ὑφελόμενοι λαθεῖν τῷ δὲ Σαραπείῳ μόνον τὸ ἔλαφος ἔχ' ὑφείλοισι, διὰ βάρους τῶν λίθων ἢ γὰρ ἦσαν εὐμετακίνητοι συγχέαντες δὲ ἅπαντα καὶ ταράξαντες, οἱ πολεμικώτατοι καὶ γενναῖοι καὶ τὰς χεῖρας ἀναιμάκτους μὲν ἐκ ἀφιλοχρημάτους δὲ προτείναντες, τῆς τε θεῆς ἔφασαν νελοικημένα καὶ τὴν ἱερουλίαν καὶ τὴν ἀστέβειαν εἰς ἔπαλιον οὐρανὸν αὐτῶν καταλογίζοντο, εἶτα ἐπεισηγὸν τοῖς ἱεροῖς τόποις τὰς καλεσμένους μοναχούς.* Denique *Cirita* nono chronicam notam, 178 seq.

pag. 164.

166.

170.

176.

178 seq.

- Græcis literis expressam, LIH interpretatur, & annum XVIII imperii *Hadrianei* significare notat Cl. *Schlagerus*. Non miratur Vir Doctissimus, tot urbes, imprimis Ægyptias, in *Hadriani* honorem cudisse numos. Hanc enim provinciam non ipse solum sapius, & numerante *Ant. Pagio* in *Critica Annalium Baronii*, sexies, præsentia exhilaravit sua, sed & ornamentis ac beneficiis compluribus, aquis, portibus, frumento, operibus publicis, pecunia, ludis, & honoribus, *Xiphilino* narrante *Lib. LXIX pag. 790 B*, sibi devinxit; unde in numo apud *Franc. Mediobarbum* RESTITVTOR ÆGYPTI appellatur. Superest gemmula, in ventriculo medicati funeris Ægyptii reperta, 187. cujus typum & descriptionem *Caput decimum* Commentationis continet. Est autem Sarda Ægyptia ovata, convexa, & incisa; sceminam, bovilla cum vulturinis pennis & globulo intermedio gestantem cornua, id est, *Isidem*, representans. Ne quis miretur, quo pacto in ventriculum cadaveris venerit numus, monet Cl. *Schlagerus*, solitos fuisse Ægyptios varia utensilia defunctorum corporibus adjicere, ut, quam quisque vivus professus sit artem, inde liquido intelligeretur. Ex his colligit, additum sculptoriæ arti hominem fuisse, qui hunc numum mortuus ventriculo habuit absconditum, sculptam autem ab eo gemmam, ut esset alii cuidam contra diversos Ægypti morbos præsidio. Ceterum toto hoc, quem recensuimus, libello Cl. Autor id assequitur, quod arduum in scribendo *Plinius* arbitratur, ut vetustis novitatem det, obscuris lucem, dubiis fidem. Similem, optamus, præstet industriam in binis, quas sperare jubet, lucubrationibus, quarum altera recto plumbeorum numorum usui, altera Numini *Panis*, lucem adhuc desideratam accendet.

T. LIVII PATAVINI HISTORIARUM AB U. C.

Libri, cum Notis variorum, vel integris, vel excerptis.

Curante ARN. DRAKENBORCH.

Tomus IV.

Amstelodami, apud Jo. Wetstenium & G. Smith, & Lugduni Batavorum, apud Sam. Luchtmans, 1741, 4 maj.

Alph. 6.

De

De hoc *Volumine Drakenborchiani Livii* cum dicere institui-
mus, nihil attinet repetere ea, quæ de hujus Operis ra-
tione & laudibus in universum alio loco sunt a nobis prolata.
Itaque nihil aliud faciendum restat, nisi ut, more modoque
nostro usi, per totum hoc *Volumen* eundo, e *Dukerianis Dra-*
kenborchianisque animadversionibus quædam commemoremus,
quæ aut ad constituendum, aut illustrandum, *Livianum* con-
textum pertinere videantur; si forte Lectoribus nostris vel sic
cognoscendi totius Operis cupiditatem movere possimus. Et,
quoniam nonnullos apud nos audimus de *Drakenborchianis*
Commentariis ita judicare, ut, eos nimis ariditate critica labo-
rare, dicant, quod in iis nihil inveniant, si cujus rei explica-
tionem quærant, non jam quidem in universum pro *Draken-*
borchio disputabimus, tum, quod, sive ipsum, malumus, in
Præfatione, sive, toto Opere absoluto, ipsi in his *Actis* eam cau-
sam agere, tum, quod, fabulam toties a *Burmanno* aliisque nar-
ratam ne nunc quoque surdis narremus, veremur. Ceterum
illud operam dabimus, ut exemplis, e singulorum prope libro-
rum Commentariis, doceamus, rebus obscuris & nondum sã-
tis illustratis Viros Cel. *Dukerum & Drakenborchium* non de-
fuisse. Si quis vero de *lectisterniis* forte, *Minerva Itonia*,
de *hastato primo*, & similibus rebus, quærit, is non in his Com-
mentariis quærere debet, sed illas semidoctorum delicias, *Pitisci*
Lexicon Antiquitatum, & *Commentarios Suetonianos*, adire. Sed
ad rem veniamus.

Lib. XXVII Cap. 1 exponitur de prælio inter Romanos
& Carthaginienses ad Herdoneam gesto. In eo *Hannibal* hac
arte usus dicitur, ut Numidas juheret circumvehi exercitum Ro-
manorum, & partem castra hostium, partem terga, invadere. Ibi
non convenit satis inter doctos, utrum legendum sit *terga* pu-
gnantium *invadere*, an *terga* trepidantium *invadere*. Illa lectio in
quibusdam Codicibus MSis & editionibus reperitur. Antiquissi-
mæ tamen editiones & plerique Codices habent *oppugnantium*.
Ea lectio quia huic non quadrat; *Gronovius*, cum in optimo Codi-
ce *Puceani* invenisset *oppidantium*, rescripsit *trepidantium*, eam-
que vocem putavit secretiore significato hic esse *fatigare*, *com-*
movere

movere se. Id *Doujatius* sibi displicere ostendit, tum quod id verbum in nullo Codice reperiretur, tum quod illa vis rarior esset. Neque probavit ea se emendatio *Cl. Crevierio*, qui *trepidare* semper aliquid incompositi tumultus notare putat, cuius nullam hic vestigium reperiatur. Itaque uterque *pugnantium* servavit. *Drakenborchio* contra *Gronoviana* emendatio ita arrisit, ut eam in contextu retinuerit. Nam, quod ad *Doujatanas* dubitationes attineat, primo, etsi non totidem literis ea lectio in Codicibus *MStis* reperiatur, tamen manifesta ejus vestigia in Codice *Puteani* & *Florentino*, in quo ipse quoque *oppidantium* repererit, deprehendi; deinde illam significationem verbi *trepidare* in pluribus locis *Livianis*, præter ea, quæ *Gronovius* jam adduxerat, inveniri. *Crevierium* recte *trepidationi* aliquam *tumultus* significationem tribuere; sed plerumque talem indicari tumultum, qui in prælii initio esse solet, antequam milites concurrere cœperint, qualisque hic indicetur. Neque enim *Hannibalem* iussisse invadere in prima acie pugnantem, sed in secunda acie positos, qui nondum pugnam inceperant, unde etiam *pugnantium* hoc loco sibi non placeat. Si quis nostram de hac re sententiam requirat, etsi nobis non sumimus hoc, ut plus *Drakenborchio* videamus, fatemur, ex legibus criticis probabiliorē esse lectionem *trepidantium*, quam *pugnantium*; sed ejus defensionem in quibusdam paulo aliter, si nobis res ista tractanda fuisset, instituissemus. Nempe *pugnantium* non displicuisset nobis, quia *Hannibal* secundam aciem tantum invadere iussit, quæ nondum pugnat, cum utraque acies *pugnantium* nomine intelligi possit, uti in prælio esse, vel stare, dicuntur, qui sunt in utraque acie, adeoque & ii, qui nondum prælium inierunt, & cum *Livius* diserte dicat, *Hannibalem* iussisse terga *trepidantium* invadere, cum *pedestres acies* oculos animosque certamine præsentem occupassent, Numidasque & secundam & primam aciem invasisse a tergo & avertisse, secundam tantum *priorem* turbasse, *Trepidare* autem hoc loco milites valde usitata ratione dicuntur. Si quis omnia exempla, cum *Gronoviana*, tum *Drakenborchiana*, satis consideret, intelliget, opinamur, in omnibus indicari

dicari non motum aliquem simpliciter, ad capeſſendam rem, neque omnem tumultum illum, qui fit ante concursum, ſed motum cum feſtinatione aliqua, ſive e terrore repentino, ſive quacunq; alia ſubita re, ex qua feſtinatione aliquid confuſionis tumultusq; oritur. Atque ſic etiam hoc loco milites *trepidare* dicuntur. Nam *Hannibal* ita verſus caſtra Romanorum profectus erat, ut famam prope prævenerit, & , *quo plus terroris objiceret*, acie inſtructa acceſſerat. Id cum Romani vidiffent, quanquam conſilio & viribus impares erant, tamen audent occurrere *Hannibali*, & *raptim copias e caſtris educunt*. Hinc illa *trepidatio*, quam iis *Hannibal*, rem augens etiam, tribuit.

Eodem Libro Cap. 12 ſeq. *Livius* narrat, ab *Hannibale* Romanum exercitum, cui *Marcellus* præerat, in fugam averſum eſſe, ilque *dextra* in primis *ala* culpa, quæ prima ceſſerat, & ſigna deinde amiſit. Hujus culpæ veniam cum milites a *Marcello* peterent, ſeque id maleficium fortitudine penſaturos dicerent, *Marcellus* pronuntiavit, ſe cras ejus rei facultatem iis daturum, & *cohortes, a quibus orta fuga eſſet*, (hoc eſt, *dextram alam*;) *quæque ſigna amiſiſſent, in primam aciem induciturum*. Sed *Cap. 17* idem *Livius* dicit: *Siniſtra ala* ab Romanis, & cohortes, quæ amiſerant ſigna, *in prima acie pugnabant*. Hæc quomodo conciliari poſſint, quæritur. *Perizonius* quidem *Anim. hiſt. pag. 340* dubitat, an peccaverit *Livius*, & *ſiniſtram alam* pro *dextra* ſcripſerit. Id *Dukero*, Viro Cl., non probabile videtur. Unde enim tantus *Livio* ſtupor, tanta negligentia, ut paucis verſibus, non interjeſta alius rei narratione, tam repugnantia ſcripſerit. Si quis putet, eandem *alam*, ante *dextram*, nunc *ſiniſtram* vocari, pro diverſo agminis ordine, in dies forte mutato, quæ ratio etiam in acie obtinuerit, quod viros quosdam doctos exiſtimare conſtat, nominatimque *Schæſium ad Polyb. Diſſ. XII*; facile e *Livio* refelli poſſe, e cujus pluribus locis intelligi poſſit, *alas non a loco*, quem in acie tenebant, nomen accepiffe; neque tamen ſatis conſtare, unde acceperrint. Nam *Polybium VI, 34*, nihil aliud docere, quam locos, ubi ad edictum Conſulis convenerint, in duas partes diviſus,

carumque alteram dextram, alteram sinistram, appellatam esse. Ipse autem conjectura quadam ducitur, ut credat, nomina iis a loco imposita esse, quo in castris tendebant. Conf. ad XXXI, 21. Hujus igitur difficultatis expediendæ hanc rationem, haud paulo probabilem, inquit Cel. *Drakenborchius*, ut totum locum sic emendandum censent: *Sinistro* ala ab Romanis & cohortes, quæ amiserant signa, in prima acie pugnabant, & legio *duodevicesima* (non *vicefima*, vid. *Cap. 12.*) ab *dextro cornu* instructa. Ita copix, quæ superiori die rem male gesserant, in prima acie sunt. Ita duo cornua sunt, sinistrum & dextrum, quæ hoc magis huic loco conveniunt, quod paulo post dicit *Livius*: *Cornibus* præerant.

Lib. XXVIII ad Cap. 30 contra Salmasium in Obs. ad Jus Rom. & Att. pag. 713 ostenditur, celeritatem navium apud veteres non esse numero remorum judicandam. *Salmasius* videtur in mente habuisse locum *Livii XXX, 25*, in quo *quinqueremis* celerior *quadriremibus* dicitur fuisse, & ex eo collegisse, remorum multitudinem navibus celeritatem addidisse. Sed ei repugnat locus *Livii*, ad quem hæc disputantur, in quo videlicet *quinqueremis* tardior *triremi* traditur fuisse. Nihil sane certi de ea re videtur statui posse. Ceterum, ut hodie ejusdem generis navium aliæ aliis sunt velociores vel tardiores; ita olim quoque majores minoribus modo celeriores, modo tardiores, videntur fuisse, cum aliis de causis, tum quod aliæ aliis incitius factæ essent. Neque vero, ut quæque navis plures remorum ordines habebat, ita celerior fuit; id quod ex eis, quæ de *Octaviani & Antonii* classibus apud *Florum IV, 2*, traduntur, apparet.

Pag. 264. Nondum satis illustratus est de *Lautiis* locus. *Scaliger* ad *Festum* eadem loca *lauta* dicta scribit, quod probari non potest, cum *Livius* sæpe loca a *lautiis* distinguat. Multi interpretantur generatim *munera*. Sed, cujus generis munera fuerint, quæritur, cum *Livius*, iis interdum alia munera, tanquam pecuniam, accessisse, tradat. *Salmasius*, *Marcellus Donatus*, *Dodwellus*, aliique, censent, res ad victum epulumque necessarias fuisse. *Scioppius* quidem affert etiam e *Glossis évdomviov*,

*δομονία, supelles, ἐνδομονία ξυλίνη, lignea supelles, ενδομονία, laetia. Charisius quoque interpretatur laetia, supelles, quæ auctiora habet e MSto Sebottus in Obs. 1, 14, hæc supelles, ενδομονία, & laetia ενδομονία. Si recte ita Græce interpretantur laetia, ea nihil aliud fuisse videntur, quam necessaria supelles, & instrumentum domesticum; nam, hanc esse propriam significationem Græcæ vocis, ostendunt Interpretes ad Pollucis X, 12. Sed Latinum laetia plura videtur complecti. Nam Livius XLII, 6, XLV, 14 & 45, legatis & regibus, corumque *sumptuum*, quoad in Italia essent, *præbitum* scribit. *Plinius* III, V, 1, 1, Præfæ publice domum conductam, & *capitis* ipsi comitibusque benigne præbitas. *Ptolemao* muneri quætidie per Quæstorem data. Græci vocant *παροχάς, Polybius* IX, Leg. 25, 56, 125, & interpretatio Græca Sæti A. U. 675 facti apud *Græcerum* III. *Παροχή* autem latius patet *supellectili*, eoque verbo etiam, quæ ad victum pertinent, comprehendi possunt.*

Lib. XXIX Cap. 6 Q. Pleminius Propretor appellatur. Id *Pighius* in eam partem interpretabatur, ut, cum extra ordinem Locros cum imperio pro Prætoris a populo missum, putet. Sed recte ostendit *Cel. Dukerus*, ei sententiæ ob stare primum illud, quod idem *Pleminius Scipionis* legatus fuit *Cap. 8, 9, 16*. Quomodo autem, qui ipse imperium habet, alterius legatus esse potest? Deinde, quod ei *Scipio* catenas injici jussit, ut quidam tradiderunt, *Cap. 21*, quod in imperium a populo habentem non licet. Itaque Vir Clariss. credit, *Pleminium* ita *Propretorem* dici, ut *Centenius* XXII, 8, & alii apud *Gruchium* *Cap. 5 Refut. ult. Sigon. postev. disput. b. c.* Nam, quod ei fasces & listores, imperii insignia, tribuuntur *Cap. 9*; legati, mandante vel absente Imperatore, imperium & insignia habere potuerunt. Vid. *Cicero ad Fam. XII, 30, in Verr. I, 26, 28*. Atque ita accipiendum est, cum Viri docti, *Manutius, Lipsius, Lambinus*, alique, passim scribunt, legatos listoribus & fascibus usos fuisse.

Disputatum est inter eruditos, Equites Romani an magistratu Pag. 392 capto, aut a Censoribus in senatum lecti, equum publicum amiserint. *Manutius* quidem putabat, eos equum retinere potuisse, ad stipulante *Gruchio de Comit. Cap. 4*. Contra hanc ejus

sententiam in alteram partem disputavere *Sigonius de Ant. Jure Civ. Rom. II. 3.* & *Gravius in Præfatione Tom. I Thef. Ant. Rom.* Neque vero *Manutium* putabant juvari loco *Liviano XXIX, 37.* uti ambo censores equum publicum habuisse dicuntur; propterea, quod ii non lectione Censorum, sed jure magistratus, in senatum venerint. Verum hic statim exoritur illa dubitatio, unde constet, vel, hos Censores jure magistratus, non lectione, in senatum venisse, vel, *Scipionem Asiaticum*, qui, cum A. U. 563 Consul fuisset, A. U. 561 equum publicum habuit. Vid. *Liv. XXXIX, 44.* Neque ratio ulla probabilis afferri potest, quare lecti Senatores equum amiserint. Itaque potius statuendum videtur, Senatores, quocumque modo in Senatum pervenissent, equum publicum & retinere potuisse, si per robur ætatis adhuc militare possent, ut hi Censores fecere, & reddere, ut *Pompejus*, *Plutarcho* autore, in primo Consulatu fecit. *Sigonii* autem sententia hoc potissimum argumento nititur, quod ordinem equestrem jam illo tempore in civitate Romana medium inter senatum ac plebem fuisse credidit, & ab utroque distinctum. Sed de hoc nondum satis liquet, propterea, quod & ante & post hæc tempora tantum duo ordines, *senatus & populus, patres & plebs*, sine ulla equestris, tanquam tertii, ordinis mentione, memorantur, nec, ut *patrum & plebis*, sic *equestris ordinis*, jura dicuntur. Ante *C. Gracchi* & legum judicariarum ætatem vix quisquam tres ordines civium eo sensu dixisse videtur, quo *Plinius Hist. Nat. 33, 1.* scribit: *annuli plane medium ordinem tertiumque patribus & plebi inseruere.*

Lib. XXX Cap. 18 mentio fit *equitum illustrium*. Eorum frequens mentio est apud *Tacitum*, ad quem multa de iis docti interpretes scripserunt. *Lipsius ad Ann. XI, 4.* eorum originem ad ætatem *Augusti* refert. *Ryckius* contra *ad Ann. II, 59.* post *Pichenam*, dudum ante *Augustum*, libera adhuc republica, *equites illustres* fuisse contendit, idque hoc *Liviano* loco comprobari dicit. Sane etiam apud *Ciceronem Verr. III, 24.* *equitum illustrium* mentio est; sed ii opponuntur ibi *equitibus obscuris & ignotis*. Atque hoc sensu sine dubio etiam dixit *Livius*, ut non alii sint, quam equites clari, nobiles, sive genere, sive opibus, sive

sive virtute & fortibus factis, sive quacunq̄ue alia re, quæ eos præter ceteros claros effecerat, qui frequenter *splendidi* apud *Ciceronem* dicuntur. Sed ab his valde differunt *equites illustres Taciti*. Nam hi, ut *Lipsius* ostendit, fuere ii, quibus, propter censum senatorium, licebat veste senatoria uti. Quare *Ryckius* debebat ostendere, etiam libera republica receptum hoc fuisse, ut equites veste senatoria uti possent, si censum senatorium haberent.

Eodem Libro Cap. 38 injicitur mentio *ædis Veneris Erycinæ extra portam Collinam*. Jam *ædem Veneris Erycinæ* vocavit & dedicavit *Fabius* ex libris Sibyllinis *XXII, 9, XXIII, 31*. Sed ea hic intelligi nequit, cum dedicata sit, autore *Livio*, in Capitolio. Præter eam fuit alia *ædes Erycinæ* extra vel ad portam Collinam, de qua *Donatus* & *Nardinus* loca *Ovidii*, *Appiani*; & *Strabonis*, conguessere. Sed ea dedicata est a *L. Porcio L. F. Licino*, ut ipse *Livius* tradit *XL, 34*, hoc est, annis viginti amplius post hunc annum, in ejus rebus exponendis hic *Livius* versatur. Itaque nunc erravit *Livius*, aut per prolepsin locum ita vocavit, ubi post ea *ædes* condita est.

Lib. XXXI Cap. 5 aruspices respondent, læta exta fuisse, *prolationem finium*, victoriamque, & triumphum, portendi. *Perizonius* ex hac similibusque *Livii* locis in *Anim. hist. pag. 229* colligebat, triumphum concessum, nisi prolatis bello finibus, non fuisse; in eaque re utebatur etiam *Valerii* testimonio, qui *II, 8, 4*, cautum fuisse tradit, *ut pro aucto imperio, non pro recuperatis, quæ populi Rom. fuissent, triumphus decerneretur*. Ea sententia non probatur *Cel. Dukero*. Nam primo ex lege, qua idem *Valerius II, 8, 1*, cautum fuisse dicit, *ne quis triumpharet, nisi qui quinque millia hominum una acie cecidisset*, apparet, in triumpho decernendo non tam prolatorum victoriæ finium, quam victoriæ magnitudinis, rationem habitam. Apud *Livium* hujus ipsius *Libri Cap. 48*, qui *L. Furio* triumphum, adversantibus multis, decernebant, non dicunt, senatum in ea causa spectare debere *prolationem finium*, sed *pugnam ipsam, eventumque pugnae, fusos casusque hostes, castra capta ac direpta, coloniam obsidione liberatam*. Deinde multi triumpharunt, qui, si proprie

loqui velis, fines imperii non protulerunt, tanquam ii, qui sub initia libertatis triumpharunt, & aliquandiu post; item *M. Livius Salinator*, & *C. Claudius Nero*, qui *Asdrubale*, & *L. Furius*, qui Bojis victis triumpharunt, apud *Liv. XXVII, 9, XXXI, 48*, nec non qui triumphos navales egerunt. Ex his intelligitur, primum, legibus de triumphis prohibitos fuisse triumphare eos, qui nihil aliud, quam amissa, recuperassent; quibus tamen, si simul magna clade affecissent hostes, triumphum negatum non fuisse, ex iis, quæ de *L. Furio* prodit *Livius*, colligi potest, deinde, non prohibitos esse triumphare, qui quinque millia hostium una acie cecidissent, etiamsi fines imperii non protulissent.

Lib. XXXII Cap. 7 Censores dicuntur portoria venalium Capuæ Puteolisque, item *castrorum portorium*, quo in loco nunc oppidum est, fruendum locasse. *Dukerus*, se nescire, ait, quæ, aut quo loco, castra illa fuerint. *Drakenborchius* autem ea in Campania quærenda existimat, quod ceteræ urbes ejus provinciæ sunt, quorum portorium eodem tempore locatum dicitur. Præterea, conjectura quadam, non sane improbabili, ductus, putat, intelligi posse castellum, ad ostium Vulturni tempore belli Punici secundi communitum, de quo est apud *Livium XXV, 20: ad Vulturni ostium, ubi nunc urbs est, castellum communitum*; atque hoc magis, quod eodem modo de illo castello & his castris loquitur. Sed in hoc portorio castrorum a duobus doctis viris ridicule erratum est. Nam *Sigonius de Ant. Jur. Ital. II, 5, castrorum portorium* inter colonias recenset; neque id advertit *Commentariorum* in illud opus compilator *Italicus, Madernus*. *Bulengerus* vero de *Vellig. Cap. 6* ex hoc loco docere instituit, fuisse portoria rerum venalium & *castrorum*, quem refutavit *Burmmanus de Vellig. pag. 51*.

Eodem Libro Cap. 16: Jussisque, ut, quæ ex sua classe venissent naves, Eubœam peterent. *Crevierio, Viro Cl.*, in mentem veniebat, legendum: *jussisque, ut quæque ex sua classe venissent naves, Eubœam peterent*. *Cel. Drakenborchius: jussisque, ut quæque &c.* reperit in Codice aliquo *Loveliano*, item in quinque aliis, *ut quæque*. Sed iidem etiam habent *jussit* vel *jussis*, omiſſa copula;

copula; ut in illis *ea* tantum ad aliud verbum rejectum videatur. At omnes constantè *peterent*. Jam, cum quædam apud bonos scriptores, in locis nullius corruptionis suspectis, exempla occurrant, ubi verbo *jubere* jungitur conjunctivus cum *ut*, sive expresso, sive intellecto, quorum egregiam copiam hic Vir Cl. attulit, vulgata lectio hic stare potest. Atque in universum hoc de ea re tenendum, ubi variant Codices, inscriptivum esse præferendum, ubi in conjunctivo conspirant, eorum consensum non spernendum esse; quod etiam *Dukero* videbatur *ad XXIII, 21*.

Lib. XXXIII Cap. 26 commemoratur *L. Julius Sequestris*. Eius cognomen merito suspectum esse debet, primum, quia nomen appellativum, unde ducitur, est *sequester*, non *sequestris*; deinde, quia nec *sequester*, nec *sequestris*, cognomen gentis *Julia* fuit. *Lycosthenes* in *Supplem. Obsequentis* edidit: *L. Julius equestris in Sabinos proficiscens*, ut jungatur, *equestris proficiscens*, pro *equo proficiscens*. Id, etsi sine exemplo esse dicit *Cel. Dukerus*, & id diu post *Livium* demum a *Tacito* dictum *Ann. XIII, 60*, apud *equestres*, qui *Ægypto* præsiderent, tamen aliqua ratione analogia videtur defendi posse, quod *pedester* & *pedes* sic dicitur. Nam *pedestrem* & *peditem proficisci* bonæ latinitatis Autores dicunt, pro *pedibus proficisci*, & Vir Cl., ut post videbimus, ipse conjicit, legendum: *eques proficiscens*, pro *equo proficiscens*. Sed nobis videtur *Lycostheni* illud obstare, quod *Cicero* & *Livius* masculinum semper faciunt *equester*, non *equestris*, quæ forma est generis fœminini, neque huc quadrat. Nam *XXVII, 1*, variant Codices. Quare, si *Lycosthenes* legisset: *L. Julius equester proficiscens*; non adeo absurdum nobis videretur, etsi *Dukerianum*, *eques*, melius putamus. Cl. *Dukero* ab initio in mentem venit, legendum: *L. Vibius Sequester*, quod *Sequester* est cognomen ejus *Vibii*, cujus *de Fluminibus* libellus extat, & *Vibii Julique* etiam in *MStis Ciceronis ad Fam. VIII, 8*, & *Valerii Max. III, 2, 20*, permutantur. Sed hanc conjecturam deinde repudiavit, propterea, quod e cognomine scriptoris ex infima ætate non potest probari, eum ad vetustiore gentem *Vibiam* pertinuisse, aut in ea cognomen

Seque-

Sequester fuisse. Quid? quod dubitari potest, an gens *Vibia* tempore belli Macedonici primi jam inter Romanas gentes fuerit. E *Livio* quidem satis constat, *Vibius* prænomen Italicum fuisse. Nam *XXIII*, 6, commemorat *Vibium Virium*, Campanum; *XXVI*, 13, *Vibium Accuum*, Pelignæ cohortis præfectum, &c. Sed *Vibia* gens Romana non ante extrema fere reipublicæ liberæ tempora nominatur. Nec abhorret a vero, eam, cum Italicæ stirpis esset, civitate Romana donatam, sibi e priori prænominem nomen gentis adscivisse, quod de *Gelliis* quoque, *Hereniis*, *Mariis*, non absurde videtur dici posse, quæ itidem prænomen Italicæ fuere. Itaque suspicatur Vir. Cl., primum fuisse: *L. Julius eques in Sabinos proficiscens*, ac deinde scribam, alio dictante, perperam excepisse *L. Juliu Seques*, vel *L. Julius Seques*; cumque hæc palam vitiosa essent, postremo inde ortum inauditum cognomen *Sequestris*.

Lib. XXXIV, 45, in Triumviris coloniæ deducendæ commemoratur *C. Platorius Croto*, pro quo in nonnullis libris est etiam *Letorius* & *Lectorius*, quæ varietas fere in omnibus locis reperitur, ubi aut *Letorii*, aut *Platorii*, mentio fit. Quod esset hoc minus mirandum, si verum esset, quod *Ursinus ad Numos Famil.* in gente *Platoria* contendit, eandem gentem *Platoriam* & *Latoriam* fuisse, & ab aliis hoc, ab aliis illo, nomine appellatam. Argumentis quidem utitur his: quod, qui a *Livio II*, 27, *M. Letorius* dicitur, a *Valerio Max. IX*, 3, vocatur *M. Platorius*; tum, quod *M. Platorius Rustianus*, qui *Scipionem* in Hispaniam securus est, in *MStis Hirtii de E. Afr. Cap. 96* modo *Platorius*, modo *Latorius*, nominatur; denique, quod leges, ab hac familia latæ, modo *Platoria*, modo *Latoria*, dicantur. Sed Cl. *Drakenborchius* has *Ursini* rationes egregie convellit. Diversæ sane gentes *Latoriu* & *Platoria* fuere, illaque hac antiquior. Vid. v. c. ad *II*, 27, 6. Apud *Valerium Max.* ex *Livio M. Latorio* legendum, viri docti monuere. Apud *Hirtium* in omnibus *MStis* constanter legitur *Platorio*; neque ipse *Ursinus* in notis ad eum vel verbo de aliqua varietate *MStorum* monuit. Denique ex utraque gente orti leges tulere; unde mirum non est, *Latorias* & *Platorias* leges commemorari.

Eodem

Eodem Libro Cap. 50 ita, ut plurimis aliis locis, mentio est *Duumviri* ædis dedicandæ causa creati. De his locis egit *Gronovius ad XXIII, 30*, sed ita, ut non satis intelligi possit, an existimaverit, non obstare appellationem *Duumviri*, quo minus, cum *Livius* ædem aliquam a Duumviro dedicatam scribit, tantum unus creatus sit. *Dukero, Viro Cl.*, hoc munus semper duobus injunctum videtur. Ratio docet, unum hominem, cui alicujus rei curatio imponatur, *Duumvirum* dici non posse, etsi, duobus creatis, uterque *Duumvir* recte dicitur. Nec quisquam dubitat, hoc nomen dedicantibus a numero impositum. Vid. *Livius XXIII, 21*. Quod autem interdum unus tantum memoratur, id fieri potuit, quod ei vel sorte evenerat, vel a populo nominatim datum erat, quod est præcipuum in dedicatione, hoc est, postem tenentem precationem, & alia maxime solennia, peragere. Nec advertatur, quod *XXIII, 30*, scribit: *Senatus decrevit, ut Ti. Sempronius ad populum ferret, ut Q. Fabium Duumvirum esse juberent ædis dedicanda causa*. Nam & *Cap. 31* liquet, non latum, ut *Fabius* solus crearetur, sed ut duo *Duumviri, Fabius* ædi *Veneris, Otacilius* ædi *Mentis*, dedicandæ. Ita hoc *Capite* duo sunt *Duumviri*; at alius aliam ædem dedicat. *Conf. XL, 34*. Cum autem magistratus aliquis, vel quicumque alius, non addita *Duumviri* appellatione, dedicasse dicitur, ut *M. Platorius*, primipili Centurio, *II, 27*, &c. ei non credit *Vir Cl.* dedicationem sub *Duumviri* nomine mandatum.

Hujusmodi observationum exempla, præterquam quod multo plura e superioribus *Libris* adducere poteramus, etiam e reliquorum duorum *Commentariis* offerre volebamus. Sed videmus, nos jam prope modum excessisse. Et ea, quæ adduximus, æquis & intelligentibus *Lectoribus*, ad credendum id, quod persuadere volebamus, jam suffectura speramus. Quibus hæc non suffecerint, ne pluribus quidem propositis commoveri putamus posse. Vehementer optamus, ut reliqua quoque *Operis* egregia *Volumina* mox in lucem prodeant.

30. LAURENTII MOSHEMI INSTITUTIONES
Historiæ Christianæ recentioris.

Helmstadii, apud Christ. Frid. Weygandum, 1741, 8.

Alph. 2 plag. 8.

Binas *Historiæ Christianæ antiquioris* editiones, quas Cel. Autoris opera & industria, diversis locis & temporibus, atque habitu, tum externo, tum interno, non parum mutato, antehac prodire iussit, in his *Actis ad A. 1727 Mens. Jun. pag. 261, & ad A. 1738 Mens. Oct. pag. 476*, commemoravimus. Nam igitur & par erit, ut de *recentioris Historiæ Christianæ institutionibus*, quæ velut suscepti laboris complementum exhibent, quarumque adeo cum ipso Cel. Autore jam his spem fecimus, simili modo in censum referamus nostrum. Quod ut rite fiat, primum generatiorem totius Operis structuram oculis Lectorum subjiciemus, tum ex speciali argumentorum quorundam tractatione decerptæ velut specimina quædam exhibituri sumus; ex quo utroque nostro instituto cuilibet integrum erit judicare, quanta sit laboris hujus absoluti præstantia, & quantæ hinc Autori S. Ven. pro eodem feliciter exantlato a bonis omnibus & harum literarum studiosis laudes & gratiæ debeantur. Quod generalem totius Operis structuram attinet, id primo tenendum, recentioris hujus *Historiæ Christianæ* initium capi inde a tempore insignis illius mutationis & sacrorum emendationis, a D. *Luthero* susceptæ, quæ ante hæc bina, & quod excurrit, *Secula* in illa civitate Christiana contigit, cujusque filium adeo ab isthoc ævo ad nostram usque, quam nunc vivimus, ætatem deducitur. Integrum igitur *Seculum XVI*, cujus non procal ab initio illud reformandi *Ecclesiæ* negotium coepit, itemque *Seculum XVII*, plena & suis numeris absoluta tractatione Cel. Autor noster exhibet; recentissimum vero *Seculi* nostri *XVIII* intervallum per indicem velut digitum attingit, summa tantum rerum capita designando; cum ab uberiori eandem explicatione & magnitudine laboris, & ipsa ejus indole, se deterritum in *Præfatione* fateatur; paucis autem a se dictis, amplissi-

amplissimum & meditandi & differendi campum non profus rudibus & ignavis aperire & relinquere voluerit. De binis autem istis plene perfecteque a se pertractatis Seculis mox ipse Autor in limine, sive præparatione, quam ita dixit, id lectores docet, non licuisse sibi eadem uti methodo, & eundem docendi ordinem adhibere, quem in antiquioris Historiæ Christianæ institutionibus ubique servaverit. In iis namque cujusvis Seculi historiam ita commode dissecandam duxerat in *Partes duas*, ut in *priori* semper externam, in *posteriori* autem internam, Ecclesiæ faciem representaret. Secundum hanc seriem cum populi Christiani, in varias multoque plures, quam ante fuerant, societates, & dogmatibus & institutis valde diversas, disjuncti, fata & vicissitudines commode exponi, & una veluti continuaque tabula exhiberi, nulla ratione potuerint; aliam sibi viam hic incundam putavit Cel. Autor, ut membratim hanc recentioris Historiæ civitatis Christianæ partem proponeret, eandemque in tot, quot nominis alicujus sectæ exortæ sint, particulas tribueret. Ex hoc igitur proposito, quod, ad rerum potius incolem, quam ad ordinem, sibi semel præscriptum, & alibi servatum, Autorem nostrum hic ubique respexisse, probat, alia etiam & quodammodo diversa tractandi ratio, quod ad bina illa Secula, XVI & XVII, enata est; quam ut ex utroque hoc intervallo sigillatim hic subjiciamus, opus esse existimamus; si quidem de generali totius tractationis structura ita Lectores nostros credere velimus, ut plenam perfectamque hinc ejusdem ideam animo suo concipere queant.

Seculum XVI in *Sectiones III* dividitur. *Sectio I* historiam Reformationis tradit *Capitibus IV*; & quidem *Capite I* statum rei Christianæ ante ceptam Reformationem; *Cap. II* historiam ceptæ Reformationis ad traditam usque Aug. Confessionem; *Cap. III* historiam Reformationis a tempore oblatæ Confessionis Aug. ad belli Smalcaldici initium; *Cap. IV* denique historiam Reformationis a belli Smalcaldici exordio ad pacem usque religiosam. *Sectio II*, quæ hoc Seculo paucis absolvitur, de historia Ecclesiæ universali ea docet, quæ ad Reipublicæ Christianæ

tum incrementa, tum decrementa, nulla ratione sectæ, in quam tota divisa fuerit, habita, pertinent. *Sectio* autem *III* in *Partes* binas distinguitur. *Pars I* complectitur historiam Ecclesiarum antiquiorum, in eaque, ubi *Cap. I* historia Ecclesiæ Romanæ, sive Latinæ, *Cap. II* historia Ecclesiæ Græcæ & Orientalis, occurrit, de utraque rerum in iisdem gestarum succincta quidem, sed sat copiosa, commemoratio instituitur. *Partis* vero *secundæ* hujus *Sectionis*, quæ, historiarum Ecclesiarum recentiorum destinata, hic *Capitibus IV* seorsim traditur, *Capite I* historia Ecclesiæ Evangelico-Lutheranæ, *Cap. II* historia Ecclesiæ Reformatae, *Cap. III* historia sectæ Anabaptistarum, sive Mennonitarum, *Cap. IV* historia Socinianorum, exponitur. Quod hinc sequitur *Seculum XVII*, omnem dicendorum materiam *duabus* tantum *Sectionibus* inclusam exhibet. *Sectio I* historiam Ecclesiæ universalem una continuaque, ac non nisi per *Paragraphos* distincta, serie subjicit. *Sectio* autem *secunda*, quæ & ipsa in *Partes* suas & *Capita* abit, *Partis I*, de historiam Ecclesiarum antiquiorum, *Capite I* historiam Ecclesiæ Romanæ, sive Latinæ, *Cap. II* vero historiam Ecclesiæ Græcæ, sive Orientalis, repræsentat. *Pars* autem *II* hujus *Sectionis*, de historia Ecclesiarum recentiorum exponens, seorsim *Cap. I* de Ecclesia Evangelico-Lutherana, *Cap. II* de Ecclesia Reformata, *Cap. III* de Ecclesia Arminianorum, sive Remonstrantium, *Cap. IV* de secta Quæcærorum, *Cap. V* de Mennonitis, seu Anabaptistis, *Cap. VI* de Socinianis & Arianis, *Cap. VII* denique de minoribus quibusdam sectis ejusmodi, historias necit, quæ cujusvis statum, velut in tabula concinne depictum, ubique exhibent. De *Seculo XVIII* tractatione, quæ integrum demum hunc laborem claudit, non repetimus ea, quæ supra jam in hanc rem dicta sunt. Huc usque summorum velut capitum conspectum ita exhibuimus, ut inde tractationis generalioris rationem, ab Autore in universo hoc argumento servatam, ad oculum nostris patere Lectoribus existimemus. Ut vero etiam ex specialiori tractatione decerpta quædam specimina subiciamus, ex quibus hujus Operis præstantiam & dignitatem colligere

ligere liceat, in eo quidem nunc aqua nobis hæere videtur; siquidem difficile admodum esse nobis intelligitur, ex libro, qui ipse velut nucleus est, nucleum exhibere velle. Sed, ne vanis lussis promissis videamur, periculum facturi sumus, & quid peculiare hæc quoque Cel. Autoris tractatio habeat, prolato uno alteroque hujus rei documento, comprobabimus. Historiam Reformationis, quæ in limine historię *Seculi XVI* comparet, præmittimus; eo, quod argumentum hoc, ab aliis scriptoribus fere exhaustum, Autori nostro vix locum reliquerit, singularia & nova multa de eodem afferendi. Ea igitur, quæ ab aliis copiosius in hanc rem dicta sunt, in egregium concinnumque aliquod compendium missa hic habentur, ut scopo recitationum Academicarum satis commode inservire queant. Historia Ecclesiæ universalis utrinque in *Seculis XVI & XVII* eo facit, ut cum Reipublicæ Christianæ universæ incrementis & decrementis, ex ejusdem apud populos a professione nominis Christi alienos vel propagatione, vel imminutione, potissimum designatis, publicorum etiam Christianæ religionis hostium ratio habeatur, qui vel atheismum aperte professi, vel ejusmodi etiam dogmata amplexi sunt, quæ prona ad eundem viam ducunt; ubi denique status quoque eruditionis universæ subjicitur, atque ex cultura, quæ tum literis & artibus quibuscunque, tum etiam philosophicis studiis, adhibita est, velut comparatione instituta, colligitur, quid emolumenti ad ipsam rem sacram perficiendam inde allatum sit. Atque in his quidem non desunt, quæ Autori nostro peculiariter sunt observata; majorem tamen eorundem copiam in particularium Ecclesiarum historia se offerre, vel nobis non monentibus, quivis intelliget.

Inter illas autem, quas Autor Cel. antiquiorum Ecclesiarum nomine censet, primo occurrit loco Ecclesia Romana, sive Latina. Hanc ex utraque sua facie, tam externa, quam interna, eaque tum in capite, tum in membris suis, iisque per varias orbis occidentis æque ac orientis partes dispersis, spectata, per utrumque *Seculi XVI & XVII* intervallum, Cel. Autor elegante suo calamo, velut penicillo, delineatam nobis exhibuit. Sed, licet multo plures variique generis

ris observationes sint, in quibus Ecclesiæ Romanæ post sacrorum mutationem se gerendi agendique rationem declarare annisus est, ex unico tamen hujus rei exemplo, quod Ecclesia Gallicana sufficit, specimen aliquod attulisse, pro nostro instituto satis erit. De Ecclesiæ illius Gallicanae libertatibus, quæ a multis retro Seculis longe lateque celebratæ sunt, ubi ad *Seculi XVII Sæc. II Cap. I §. XXI pag. 452 seq.* sermo incidit, multorum hodie inter Gallos virorum, quibus & plurimi ex nostris & Reformatis assentiuntur, querimoniarum de juribus gentis suæ debilitatis, & Jesuitarum astutia fere oppressis, commemorantur, adeo, ut, illorum sane judicio, decantata illhæ Ecclesiæ libertas nostro nunc ævo, per potestatem Romano Pontifici ex Regum indulgentia concessam, non modo valde imminuta, sed prorsus omninoque prostrata & eversa, videatur. At vero his questibus Autor noster intercedit, persuasumque potius habet, ejusmodi testimoniis plus, quam opus est, fidei tribui, eodemque loco jura Gallorum adhuc hodie versari, quo fuerint olim; seque istos Pontificum de Gallis triumphos ullo modo perspicere posse negat. Id sibi quidem animadversum esse affirmat, ut universa civitatem gubernandi ratio in Gallia multo subtilius & callidius hoc ævo instructa sit, ita etiam Pontificum insidiis humanius & occultius, quam rudi ætate illa, quæ præterit, occurri coeptum esse. Idem ergo adhuc, quod antea, bellum geri, sed diverso longe modo. Ex quo id conficit Autor, non adeo, ut vulgo persuasum est, nunc occidisse illas Ecclesiæ Gallicanæ libertates, aut a Regibus suis parum curari, sed majori tantum cautione & providentia asservari. Plura sunt, in quibus hunc, ex superiori Seculo in vestum, cum Pontifice Romano agendi ordinem & processum declarat, idque comprobat, quam parum id semper emolumenti fuerit, quod ex hujusmodi beneficiis, quæ nunquam concessa visa sint, Pontifices ceperint; quam in rem & recentissime in causa & negotio *Bulla Unigenitus* acta adducit. Ad extremum, ita demum concludit Noster, *sic Gallorum Reges cum Pontifice Maximo agere solent, ut heros, qui ad inferos*

feros feruntur descendisse, cum Cerbero, (absit omnis ab hac comparatione invidia & injuria,) ad ostium tenebricosi regni excubante; nunc offam objiciunt minanti; nunc armis & gladio latrantem terrent, ut tempus, res, conditio, & alia, poscunt; utrumque idcirco faciunt, ut libere, quorsum volunt, proficisci liceat. Historia Ecclesiæ Græcæ & Orientalis ea est, quam secundo loco inter antiquiores Christianorum cœtus Autor noster sibi describendam sumsit; faciem autem ejusdem, prout ex utroque XVI & XVII Sæculo eandem nobis depictam dedit, vel prorsus novam esse, vel novis tamen & singularibus ubique observatis ornatam, facile intelliget, cui cum aliorum narrationibus, quibus hæc usque utentium nobis fuit, eandem contendere, operæ pretium videri fuerit. Ipse sane apparatus, quem Cel. Autor in hanc rem conduxit, & suis, ubi id opus erat, locis ad partes vocavit, quique ex monumentis & libris tam variis & raris, tamque diversi etiam generis, iisdemque omnium fere, quæ literarum cultura trahuntur, gentium sermone exaratis, constat, nobis tam copiosus, diffusus, & conspicuus, apparuit, ut, paucos futuros, putemus, qui, ad manum sibi esse subsidia tam egregia & copiosa, gloriari vere possint. Atque adeo, cum tractatio, a Cel. Autore in hac parte instituta, plane nobis singularis visa & cognita sit; ex qua & hinc, quod omnia velut nova & aliis fere haud observata adducenda forent, sigillatim hæc quædam afferre haud nobis datum est; id maxime dolemus, has tantæ rei, tamque aliis incognitæ, copias, in eamque conductum apparatus, eo tantum intervenisse, & ab Autore huc usque per instituti rationem locatas esse, ut ad ducendas primas hæcæ lineas easdem adhiberet, nec pleniorẽ & suis numeris absolutam tractationem, qualem in hoc argumento orbis eruditus adhuc desiderat, hic exhiberi. An ab aliis laboribus, qui forte haud minorem Cel. Autoris operam requirunt, is tantum otii & temporis impetraturus sit, ut Institutiones Historiæ Christianæ majores, quarum eam partem, quæ spectat ad *Seculum I*, non ita pridem accepimus,

ad

ad hoc usque intervallum proferre, atque sic hanc Græcæ & Orientalis historię telam denuo retexere, quear, id quidem valde ambiguum ab ipso Autore relinquitur. Illa, quæ novissime lucem vidit, Historia Tartarorum Ecclesiastico, quam vir juvenis eleganter doctus, & his sacris probe initiatus, auspiciis Ven. *Mosheimii*, & ex suppeditato ab eodem apparatu, plenius elaboratam exhibuit, hujus argumenti quædam velut portio est; id quod in spem nos ingredi jubet, fore, ut & alia hujus rei specimina ab aliis, iisdem Ven. Autoris, præfidiis instructis, in lucem proferantur simili modo; quo factò, id, quod nobis in votis fuit, quodammodo impletum iri, confidimus.

Calcatam magis ab aliis fuisse viam, qua in recentiorum Ecclesiarum historia, ex instituto suo tradenda, incedere licuerit, ipse Cel. Autor haud diffitebitur; adhibita autem in hanc rem ratio docendi, & multorum observata in concinnum aliquod compendium mittendi solertia, artificem suum ubique loquuntur. Etenim in singulis, ubi status cujuscunque Ecclesię, qua faciem suam, tam externam, quam internam, fatæque, tum prospera, tum adversa, sollicitè delineatus exhibetur, haud facile, per curatiorem hanc rerum admodum inter se diversarum divisionem, quidquam omissum esse, quod alicujus momenti sit, deprehendere licebit. Commendat præterea tractationem hanc specialiore insignis moderatio, & ejusmodi scribendi genus, in quo animum extra partium studium ubique positum declarare Cel. Autor annisus est. Ut ex infinitis fere illud locis patet; ita, uno alteroque exemplo id comprobare, in proclivi est. In tradita primo loco historia Ecclesiarum Evangelico-Lutheranorum, ubi ad lites & controversias, in iisdem enatas, devolvitur, ad Seculum XVII eandem rite distinguit in majores, quæ totam conturbant Ecclesiam, & minores, quæ partem ejus quandam commoverunt. Ad priores refert Syncretisticas, seu Helmstadienses, & Pietisticas, seu Halenses. Quod ad priores illas syncretisticas, quarum autorem *Georg. Calixtum* agnoscit Noster, licet non una afferat, in quibus excelsius illum peccasse existimat; post ipsa tamen *Calixti* dogmata recensita,

cenſita, illud pag. 583 ſeq. addit: *Non ergo meam Calixti cauſam facio, nec, quæ ab eo ſcripta & tradita ſunt, omnia vitio carere diſputo*, ac non multo poſt, ubi, negatum a Calixto, diſſenſionem inter nos & Pontificios de fundamento fidei eſſe, commemoravit, in hæc verba erumpit: *Utinam hoc aut proſus omiſſiſſet, aut verbis magis aptis & opportunis expreſſiſſet?* Quæ & alia id ſane probant, ab hodierno hoc Academiæ Julicæ doctore id procul abeſſe, ut in magiſtri ſuperioris xvi verba juraverit. In alteris illis Pietiſtarum litibus, poſt enarratam breviffimis earundem originem & progreſſum, & poſt præcipua controverſiarum capita ex momento ſuo ponderata, id nobis perplacuit, & alios calculo ſuo probaturos exiſtimamus, quod Cel. Autor a reliquo Pietiſtarum cœtu ſegregaverit illos, qui pietatis incrementum cum detrimento veritatis quaſiverunt; in quorum numerum cum *Godofredum Arnoldum, Jo. Conr. Dippelium, Jo. Wilh. Peterſenium,* & alios quosdam, nominatim retulerit, plures etiam ejusdem furfuris homines hic locum habituros putamus; licet ipſi Pietiſtarum antefignani, nimia in hujusmodi homines lenitate uſi, haud levem, Autore noſtro iudice, ſuſpicandi occaſionem præbuerint, minus pretium veritati & ſanæ religioni, quam emendatæ vitæ, a ſe ſtatui. Vid. pag. 598. Allata hæc ſpecimina ejusmodi eſſe putamus, e quibus vel maxime & omnium optime id intelligere liceat, quam moderatum & a partium ſtudio alienum ſe geſſerit Cel. Autor; ut adeo pluribus in hanc rem aſſerendis documentis haud opus ſit, quorum alioquin largam ſergetem & majorem copiam ſuppeditarer tractatio, quæ circa aliena a Lutheranorum placitis ſæcra explicanda verſatur. Præterea pedem hic ſigere jubet ipſa inſtituti noſtri ratio, quæ vel ſic ex libro non adeo magno reſenſionem noſtram in majorem exereviſſe molcm, nec, ad juſtam promeritamque laboris hujus commendationem, vel unquam, quod ſatis, diſtum iri, nos admonet.

D. LAURENTII HEISTERI, SERENISS. BRUN-
ſuicenſis & Luneburgenſis Ducis Conſilarii Auſici &
Archiatri, Medicinæ, Chirurgiæ, ac Botanicæ, in Regia
 E *arque*

atque Ducali Academia Julia, quæ Helmstadii est, Professoris Publici, Acad. Scientiar. Cæsareæ Regiæque Londinensis atque Berolinensis Collegæ, Institutiones Chirurgicæ, in quibus, quicquid ad rem chirurgicam pertinet, optima & novissima ratione pertractatur, atque in Tabulis multis æneis præstantissima ac maxime necessaria instrumenta, itemque artificia, sive encheireses præcipue & victuræ chirurgicæ, representantur. Opus triginta annorum, nunc demum, post aliquot editiones Germanica lingua evulgatas, in exterorum gratiam Latine publicatum.

Partes II.

Amstelodami, apud Janssonio-Waesbergios, 1739, 4 maj.

Alph. 7 plag. 2, Tabb. æn. 38.

Neminem fore arbitramur, qui vasti Operis imaginem parva tabula a nobis delineandam postulare aude, neque, qui laudibus nostris major est, Cel. *Heisterus* commendatoris indiget. Quapropter id tantum a nobis efficiendum est, ut, qua methodo Systema isthoc totius, qua patet, Chirurgiæ conditum sit, quibus de causis omnium librorum chirurgicorum, quotquot hæcenus lucem conspexerunt, princeps dici haberi que debeat, quo ambitu ille pateat, quid novi & ante hæc tempora inauditi in eodem contineatur, explicemus brevissimis. Sollicite admodum Cel. *Heisterus* morborum externorum theoriam medicam, ipsamque Chirurgiam medicam, a faciente & heroica Chirurgia distinxit eo animo, ut & illi, qui manuum dexteritatem exercitatione nullam impetraverunt, vel qui a cruenta medicatione prorsus abstinere, haberent tamen, quo librum in suos usus vertere possint. Quapropter *prima Pars* amplissimam totius Chirurgiæ institutionem præmittit, qua ejusdem natura, constitutio, origo, progressus, incrementum, divisio, instrumenta, & alia, curiosissime pertractantur. Et,

ne quid desideretur eorum omnium, quæ nobilissimum Opus illustrare poterant, præmittitur Bibliotheca Chirurgica, quam ipse Autor possidet. A vulneribus dicendi fit principium, reliqua ordine concinno recensentur. *Alteræ Pars* de operationibus chirurgicis agit, nec levioris momenti vitæ administrationes recensentur, venæsectiones, scarificationes, & id genus alia. Tum accedit locuples instrumentorum chirurgicorum apparatus, elegantissimis iconibus depictus, quorum partem ipse invenit. Supervacaneum esset, ea proponere, quæ in omnibus artis peritorum libris habentur, quamvis id nobis collaudandum sit, & magnopere commendandum, quod legentibus sua sponte innotescit, Autorem de omnibus chirurgici argumenti rebus ita perspicue, eo ordine, eaque cura, elocutum esse, ut, quam non prorsus exhausserit, vix ulla materies facile supersit. Ea saltem leviter attingenda sunt, quæ prorsus nova, & ante hos annos a nemine prolata, passim habentur. Nova sunt varia ferramentorum genera, quæ pro morborum opportunitatibus inventa, & experimentis comprobata, non describuntur tantum, sed & quo successu militaverint, allegantur. Pro collo & spina erectis conservandis, pro urinx incontinentia compescenda, pro naribus vulneratis apertis conservandis, pro abscessibus consillarum aperiendis, pro uvula refecanda, pro abdominis vulneribus dilatandis, pro curanda fistula lachrymali, proponuntur instrumenta idonea & oppido rara. Eo scilicet ingenio abundavit Cel. *Heisterus*, ut instrumenta veterum æque ac recentiorum, incommoda sibi aliisque vitæ, corrigeret sedulo. Novas etiam hinc inde proposuit sententias, quas, erudite excogitatas, ipse ad usum felicissime pertraxit. Sic enim inter Anatomicos nostri sæculi facile princeps, corporis humani cognitionem familiarem prorsus habet; ita fieri aliter non potuit, quam ut partium conditionibus accommodata pararet auxilia. Ipse scilicet non dixit saltem, & quæ fieri deceat, imperavit, sed ipse perfecit, postquam artis magistros sui temporis primicerios per Belgium viros, *Bidlum*, *Albinum* patrem, & *Barbaavium*, obtinisset, quorum famam non æquavit tantum, sed et superavit. Paucos certe habuit, qui,

medicinam professi, efficaciorē Chirurgiam illo, quo *Heisterus* fecit, animo aggressi fuerint. Castra secutus est juvenis, & sua primum pecunia, hinc reipublicæ Batavæ stipendiis, militavit, & omnem castrensem Chirurgiam aliquot annorum experientia emensus est. Postea Lithotomiam, omnesque calculi secandi modos, administravit, & lateralem potissimum *Ravii* meliori modo correxit, suamque fecit. Carissimum etiam & paternarum virtutum hæredem filium, nunc inter divos, ad exteros dimisit, quo enarrante, artificum recentioris ævi, maxime *Sensii*, Berolinensis, dexteritatem secandi calculos descripsit. Ocularius, si quis unquam, medicus, bene de omnibus meruit, nullumque ex immensis oculorum morbis intactum reliquit. Singulare illud est, quod glandulas salivales, parotidem æque ac maxillarem, excindere veritus haud fuerit, quamvis, id facere velle, temerarium videatur quamplurimis. Sed ita negotium aggressus est, ut maxima, quæ ceteroquin oboriri ob arterias majores solet, hæmorrhagia compesceretur mature, quamvis interea, dum applicatur liquor stypticus, sanguinis libra effluerit. Singulare etiam illud est, quod nasi polypum peculiari artificio extirpare docuerit, subligato, perque filum fortiter adstricto, tumore, quam in gratiam peculiarem acum & excogitavit & delineavit, & hac industria id effectum denique est, ut tumor, quem corrosivis remediis, magno ægræ dolore, exedere alii tentaverunt, sponte decideret. In oculo persanando totus est. Palpebrarum tumores tunicatos excindendos ita docet, ne tunica, qua includuntur, lædatur. Verrucas palpebrarum, quæ, si livescant, canceri metum subinde faciunt, adeoque *noli me tangere* a Chirurgis oculariis dictas, subligando abstulit. Phalangosin, a cute relaxata, profinque palpebræ, curare docet, excissa, quantum ejus abundare videtur, cute, in cujus rei oportunitatem instrumentum, a *Verduino* descriptum, depingitur & collaudatur. Ancylophlepharon, quo palpebræ cum bulbo, ipsaque cornea, coalescunt, suspensa manu separatis, quæ coaluerant, partibus, sustulit. Sarcomata & hyperfarcoses oculi gravissimas ipse semovit. Sanguinis ex oculo mittendi rationem ita docet, ut, Germanos ante *Woolbousium* eandem calluisse,

luisse, haud reticeat, vindicatis insimul *Hippocrate, Celso, Ægineta*, antiquissimis Medicis, qui scarificationem oculi haud ignorarunt. Hanc, a *Woolbousio* Parisiis exercitatum, postea divulgavit Academia nostræ ornamentum, *Platnerus*, quem impense colit *Heisterus*, ejusque mentionem frequenter cum honoris præfamine injicit, quamvis aliquando modeste non tantum ab hoc dissentiat, sed etiam ab aliis, quotiescunque per propriam experientiam res aliter evenisse visa est; prout in fistulis lachrymalibus, quas non semper callo induratas esse arbitratur, quædam aliter, quam fieri solet, proponuntur. Correxerit Cel. Autor sedulo Anellianam fistulas curandi methodum, longèque abest ab ista sententia, ac si simplici injectione syringis Anellianis facta componi arduum fistularum lachrymalium, haud raro callosarum, negotium possit, quin constanter affirmet potius, heroica medicatione opus esse. De Catarrhacta ita sentit, ut plurimos equidem suffusionis casus a lentis crystallinæ obscuriore habitu deducat, præterea tamen haud neget, tunicatas quasdam catarrhactas existere posse. In cujus morbi medicatione, dubium est, accuratiusne dixerit, an feliciter perfecerit. Idem judicium esto de reliquis *Heisteri* egregiis dictis factisque, cui parem seculum nostrum non tulit.

JO. GOTTFR. HAUPTMANNI FASCICULUS

Carminum Latinorum optimæ notæ ex præstantissimis veterum Poetarum monumentis.

Lipsiæ, impensis hæredum B. Lanckisii, 1743, 8.

Alph. 1.

Duo sunt hoc in libro annotanda: Præfatio, atque ipse Fasciculus. In Præfatione tria præcipue tractantur. Primo contemtores Poesios refutantur. Horum quidem duplex ordo constituitur. Qui saltem Latinam & Græcam Poesin rejiciunt, docentur, neminem facile posse in Germanica excellere, quin utramque simul vel degustarit. Qui omnem Poesin abjiciunt, tres habent rationes: difficilem esse dicunt, inutilem, damnosam. Ad primam quod attinet, æque carpuntur, qui nimis

facilem putant, atque illi, qui, nimis difficilem esse, arbitrantur. Non quilibet versifex est Poeta. Attamen etiam haud nimis extendendum est proverbium illud: Poetae non fiunt, sed nascuntur. Ut natura, nisi colatur, lappas proferet; ita & ars, indole propemodum destituta, qualemcunque, vel in uno atque altero genere, facultatem inducet. Hinc tantum non semper incitiae, sive impatientiae, sive negligentiae, vox est, si, a viribus suis omnem poesin abhorrere, praese ferat eruditus. Sed multo magis falluntur, qui, inutilem esse, existimant, quae, per suavissimam utilis ac dulcis admissionem, pietas, virtutes, artes, & scientiae, facilius instillantur, animi capiuntur, fortitudo excitatur, heroes & laudabiles viri aeternitati consecrantur. Et, si vel horum omnium nihil adesset, faceret ars isthaec ad uberiorem veterum Poetarum intelligentiam. Ipsa vero Poetarum lectio non parum vel ad linguas, vel ad eloquentiam, valebit. Sic elaboratio pariter carminum, caute quidem suscepta, efficiet, ut oratoris spiritus extollatur, ut nobili quadam ratione cogitet, ut res multo vividius pingat, ut copiam, robur, varietatem, numerum, suavitatem, acquirat; & quae sunt alia Poesios emolumenta. Nec est, cur, damnum illam afferre, dicamus; si quidem abusum ab usu, & vitia Poetarum ab ipsa arte, diligenter distinxerimus. Idem observandum esse videtur, si quidem lectionem Poetarum consideraverimus. *G. J. Vossius, Jac. Masenius, Jo. Conr. Ditericus, & Camillus Nicolius*, quorum testimonia sub finem Praefationis leguntur, quo modo hic versandum sit, consilia dederunt; atque alii literatissimi viri, *Marschalcus, Vorstius, Freyerus*, opere ipso significarunt. Quorum tamen ab institutis, ut paulo post videbimus, Doctissimi *Hauptmanni* conatus, non sine consilio, recedit. Nimirum tertiam Praefationis partem antea tangere licebit. Exhibetur ibi *επιχειρηματικα* Institutionum poeticarum, si Deus voluerit, & impensas honestis conditionibus bibliopola quidam susceperit, aliquando publicandarum. Quinque illae partibus absolvuntur, Prooemio, quod *quatuor Capitibus* constat; parte historica, cui *Capita XXVII* insunt; doctrina generali, quae X; tractatione speciali, inprimis de variis carminum generibus accuratius elaborandis,

borandis, quæ XVII complectitur; & admonitionibus demum ac regulis, de singularibus præcipuarum linguarum Poesios proprietatibus. Unicuique *Capiti* præfigentur sententiæ breviores Latinorum ac Germanicorum Poetarum, eo spectantes, & primarii scriptores, qui plura dabunt, subjungentur. Ipsum autem *Caput*, ubi commode fieri potest, definitiones, divisiones, historicam illustrationem, ac propositiones, sive regulas, cum rationibus suis, continebit. Sed nos ad præsens institutum properamus. *Decem Collectiones* Fasciculus iste comprehendit. *Prima* sistit *Horatii* artem poeticam; *Petronii* studiorum rationis commendationem; initium *Libri I* ex *Ovidii Metamorphosi*, vel undecim fabulas priores, ac *Dionysii Catonis* Disticha selecta. De arte *Flacci*, ut, inter alia, in prima subjectarum passim annotationum dicitur, jure ac merito *Jos. Trappius*, hoc est opus, ait, quod ad unguem habere debent omnes Poetica studiosi, opus, in quo ita certant ingenium & judicium, tam in præceptis traditis, quam in modo tradendi, ut, utrum sit superius, dici non possit. Initium *Metamorphoseos* sumtum est ob gravitatem argumenti, & quoniam indidem luculenter patet, qua ratione divina veritas profanarum gentium fabulis non tam sit involuta, quam obscurata. Ad Disticha quod attinet, dubius primo fuit, utrum adderet illa Cl. Editor, nec ne. Sed dubium exemerunt doctissima *Cannegieteri*, quæ dicuntur, rescripta. Neque tamen *Boxhornii* prorsus atque aliorum, ut nec sua ipsius præsertim, dubia neglexit. *Collectio secunda* profert Elegias & Carmina elegiaca; quæ poemata, præter unum ex *Catullo*, atque alterum ex *Propertio*, *Ovidium* auctorem venerantur omnia. *Collectio tertia* sistit Epistolas *Ovidianas X*, per diversa Epistolarum genera distributas, & *Horatianas IV*, nempe *Lib. I Ep. 1, 10, 12, Lib. II Ep. 1*. *Collectio quarta* est Epigrammatum, tam ex *Catullo*, quam *Martiale*, plurimorum. *Collectio quinta* Satiras continet, ex *Horatio Lib. I Sat. 1, Lib. II Sat. 1, 2*, ex *Juvenale Lib. I Sat. 8, 10, 13*. Decimam *Juvenalis* Satiram Antistes Sarisberiensis omnibus divinissimæ veritatis interpretibus legendam ac relegendam commendavit; decimam tertiam vero *Thomas Marshall* omnes reliquas facile superare professus est. *Collectio sexta* exhibet Eclogas *Maronianas I, IV, V, & IX,*

IX, adeoque tam tenuem rationem Idylliorum, quam sublimiorem illam, complexas. *Septimo* loco electa est Comœdia *Plauti*, quæ *Captivorum* titulum accepit. Cui quidem Comœdiæ jam olim palmam tribuerunt *Janus Doufa*, *Janus Gruterus*, *Valens Acidalius*, atque alii, quorum simul præclara testimonia adduntur. Ita etiam, quæ *octavam Collectionem* conficiunt, *L. Annaei Seneca*, junioris, *Troadus*, cum omnibus antiquitatis tragœdiis de prærogativa certare, jam olim agnoverunt *Jos. Scaliger* & *G. J. Vossius*. Excipiunt illas, *nono* loco, *Ode Horatianæ*, secundum genera modorum distributæ. In genere jambico trimetro sistuntur *Epod. 2, 7, 9*, in genere hexametro cum jambico senario puro *Epod. 16*, in genere troch. quatern. scaz. & genere jamb. sen. scaz. *Lib. II Od. 18*, in genere heroico hexametro & tetrametro *Lib. I Od. 28*, in genere Sapphico cum Adonico *Lib. I Od. 2, 12*, *Lib. II Od. 2, 10, 16*, *Lib. IV Od. 2*, & Carmen seculare, in genere choriambico *Lib. I Od. 1*, *Lib. IV Od. 8*, in genere glyconico cum choriamb. *Asclep. Lib. I Od. 3*, *Lib. III Od. 24*, *Lib. IV Od. 3*, in genere choriambico cum glyconico *Lib. I Od. 24*, *Lib. III Od. 16*, *Lib. IV Od. 5*, in genere choriambico, Pherecr. & glyconico, *Lib. I Od. 14*, in genere demum in Alcaico *Lib. I Od. 31, 34, 35*, *Lib. II Od. 14, 15, 20*, *Lib. III Od. 1, 3*, *Lib. IV Od. 4*. Ultimo autem loco Cl. Editor maluisset omnem exhibere *Maronis Æneida*; sed, quoniam nimis fusa est, selegit saltem præcipuas descriptiones, comparationes, atque orationes.

I. G. W. DE ALPHABETO NATURÆ,
 & *Literarum non naturalium a naturalibus origine.*
Excerptum ex Dissertatione prolixiori, nondum edita, qua in scribendi initia, & literarum origine, inquiritur.

Gellius Lib. XI Cap. 3:

Quærare nonnunquam apud memet ipsum soleo res ejusmodi, parvas quidem minutasque, & hominibus non bene eruditis aspernabiles, sed ad veterum scripta penitus noscenda cum primis necessarias.

Quid

Quid sit Alphabetum Natura.

Postquam inventor literarum dictionis humanæ minimas partes, earumque genera, & fabricam, & numerum, ex contemplatione oris humani, motuumque ejus, cognovit, hoc unum reliquum erat, ut singulis partibus formas proprias, tam scribi, quam memoria teneri, faciles, dicaret.

Tales autem sponte se offerebant, utpote singulis partibus jam adhaerentes, & ab ipsâ natura, quæ, dum loqui conatur, suam cuique sono primitivo convenientem formam tribuit, inventæ.

Has imitari æquum erat, cum quia nulla ratio occurrebat, cur, spretis naturalibus, & aptissimis, aliæ, & naturæ loquenti minime conformes, effingendæ sint, tum quia hæ solæ omnium formarum, quæ ab ingenio humano excogitari possunt, scribi, & memoriæ mandari, quam facillime poterant. Sentit enim unusquisque has formas in se ipso & ore suo, & quamprimum illas depictas videt, statim intelligit, quomodo pronuntiandæ sint, ne surdis quidem exceptis, qui, his conspectis, reddi vocales possunt.

Dubium ergo non est, quin homo ille divinus, qui primas literas invenit, eam formam, quæ cuivis sono naturalis est, & cujus omnes sibi conscii esse possunt, servare & custodire voluerit.

Quid ergo sit *Alphabetum Natura*, ex dictis liquet, nempe id, quod natura loquens in ipsis loquendi instrumentis (cujusmodi sunt os, palatum, & reliqua, inferius nominanda,) præformavit.

Quæ in omnibus linguis antiquis supersunt scripturæ naturalis vestigia, haud obscure docent, illud Alphabetum, quod naturale dicimus, etiam primum in orbe & antiquissimum, & cetera ex illo per varias mutationes depravata esse.

De litera A.

Hæc litera, quia patulo ore profertur, lingua in suo se loco continente & quiescente, effigiem suam naturaliter capit ab oris rotunditate. Hanc vero exprimit circulus O, non figura furcata A. Græcis, Coptis, & Latinis, O inter Vocales

F

inferio-

inferiores est. Sed apud Æthiopes idem signum adhuc primum inter Vocales locum occupat, sono nequidquam mutato.

Unde ergo *A*? Respondeo ab *O*, per cornua adjecta

⤿. ⤿.

Hæc figura, sicut caput bovis manifesto refert, ita veri nominis *alpha* est, quod Phœnicum lingua bovem significat.

Primæ Græcorum literæ dictæ sunt a traditoribus *Phœnicis*, a recipientibus *Pelasgicæ*, quod primus translatarum usus Pelasgis innotuisset, illis puta, qui tunc in Peloponneso juxta Iones habitabant, & postea in Latium trajecerunt.

Pelasgos illos hanc literam a Phœnicibus accepisse, & deinceps Italiæ intulisse, ex Alphabeto veteri Latino, quod *Hetrucum* vocant, patet, in quo prima litera est caput bovis inversum *A*.

Græci sculptores, cum partes hujus literæ rotundas scalpulo exprimere non possent, pro *A* vel ⤿ fecerunt primo *X*, postea *⋈*, deinde *⊖*, mox *⊕*, & denique *A*. Et sic passim literas rotundas mutarunt in quadratas & angulatas. Sed minusculum *a* etiamnum caput bovis cornutum refert.

De reliquis Vocalibus.

Reliquæ Vocales in prima literarum ætate non opus habebant novis signis, cum quia in omnibus linguis tam inter se, quam cum prima, permutantur, tum quia non omnes ab omnibus gentibus usurpantur.

Si quis tamen eas secundum naturam pingere cupiat, necesse est, ut a circulo non recedat. Quamvis enim sonum a prima discrepantem edant; habent tamen manifestam cum ea cognationem, dum & ipsæ ex eadem oris apertura, magis minusve coeunte, oriuntur, nullo, aut exiguo, linguæ negotio.

Ita *E* & *I* per segmenta circuli *⊖* *⊕* naturæ convenienter signari possunt, quia illud in inferiori, hoc in superiore, palati parte sonat. Et hinc etiam corruptores literarum suas

suas formas accepisse, credibile est. Quid enim est **E**, nisi circuli & segmenti dimidium? Et **I** quid est, nisi linea segmenti sine circulo?

Similiter **O** & **U**, quia boatum suum in medio palato edunt, per punctum in circulo **⊙** signari debent. Græcis circulus sine puncto diu fuit pro **O** & **U**, antequam **U** ex **O** & **Y** incisite componerent.

De Consonantibus.

Mitto *Diphthongos*, quæ, quia nihil aliud sunt, quam duæ Vocales, in unam conflatæ, me detinere non debent, & ad *Consonantes* me converto. Qua in re ordinem sequor, a natura præstitutum, quæ sonos primitivos in Vocales & Consonantes dispescuit, & illis quidem principatum, his vero secundum locum, concessit. Nam id, quod per se sonare non potest, sed ab alio per se sonoro dependet, haud dubie illo posterius est. Tales autem sunt Consonantes, & *Φωναι* omnes a natura, ut voce *Platonica* utar, hoc est, mutæ & soni expertes, nisi Vocalis præcedat, aut sequatur.

Verum, ut Consonæ cum Vocalibus conjungi, & una sonare possent, præter palatum & oris aperturam aliorum concurrentium instrumentorum opus erat, *gutturis* puta, *linguae*, *dentium*, *labiorum*, *varium*. Hoc primum inventorem natura & experientia docuit. Et hæc etiam magistra Consonantium genera, & numerum, & figuram cuique propriam, etiamnum discimus, si naturam præeuntem non adspernemur.

Id quod nunc ordine ostendam, incipiendo a Gutturalibus, non quod natura loquens ab illis incipiat, (ante enim pueri labiales, quam reliquas, Consonantes pronuntiant,) sed quod in gutture sint fores spiritus vitalis, & quod hæc fores ante pulsentur a transeunte, quam fornix palati, & aliæ oris partes, longius a spiraculo sitæ.

De Gutturalibus.

Gutturales sunt, quæ in regione gutturis formantur, sive simplici adspiratione, ut **H**, sive aspera adspiratione, ut **CH**, sive spiritus explosione, ut **K**, **C**, **Q**, **G**, quarum differentia cum me-

re gradualis sit, & in pronuntiatu magis vel minus duro unice consistat, tot inutilibus & supervacaneis literis ansam dare non debuit, præsertim cum in omnibus linguis convertantur.

Hinc valde credibile est, primam literarum ætatem, paucis contentam signis, omnes Gutturales una figura designasse. Et quamam, quæsi, alia naturæ magis conformi, nisi hac Φ , quæ ostium gutturis & viam spiritus seu fistulam vocalem, causas omnibus gutturalibus communes, eleganter exprimit? Natura, quæ sonos omnes in suis causis præformavit, hic etiam scripturæ suprema lex est.

Quamvis autem Inscriptio Sigea, & alia marmora vetusta, hanc formam ignorent; certum tamen est aliunde, illam ex Alphabeto naturali transfuisse in Phœnicium, e Phœnicio in Cadmeum, suamque vim & statum in monumentis publicis Græcorum diutissime tenuisse, præcipue in Peloponneso, ubi literæ Phœnicæ, memorante *Herodoto & Diodoro*, Græcis primum innotuerunt.

Cujus rei testes habemus Corinthiorum nummos, urbis amplissimæ in Peloponneso, litera Φ sub Pegaso plerumque signatos. Pegasus autem est insigne Corinthi, & character sub Pegaso non est nota monetæ, nec *ἑπίσημον* numeri, sed nominis *Κερυνθίων* litera initialis. Quod vel hinc manifestum, quia idem signum in nummis Crotoniatarum & Syracusanorum, quos Corinthiorum colonos fuisse, e *Strabone* novimus, inter reliquas literas pro *κρηται* ponitur. Sic enim habent nummorum istorum inscriptiones: Φ POT. id est, *Κρηταινάτων*. ΣΥΡΑΦΟΣΙΟΝ, id est, *Συρακοσίων*.

Hebræi inde habent Φ , Samaritani P, Æthiopes Φ , Græci Θ & K , Latini veteres DI & IC , item Q & q , quod pronuntiat ut *K*. Imo etiam *C* & *G* ex primævo Φ detruncata videntur.

De Lingualibus.

Proximum Gutturi instrumentum est Lingua, cujus triplici

plici motu, tactu pura, pulsu, & tremore, tres figurantur literæ, quas eam ob causam Linguales appellamus.

Quando Lingua anteriorem palati partem tangit, tunc figura soni est linea, versus palatum assurgens \angle , & valor ejus *L*.

Quando dentes superiores pulsant, tunc figura soni sunt dentes superi pectinatim ferrati \mathcal{M} , & valor *D* vel *T*, prout pronuntiatio magis vel minus aspera est.

Quando eundem locum tremulis ictibus ferit, tunc editur fragor *R*, cujus figura naturalis est lingua in fastigio crispa \curvearrowright .

Lambda Syrorum, Græcorum, & Latinorum Δ Λ *L* a forma naturali \angle non nisi situ differunt.

Samaritanorum Zade \mathcal{Z} est signum literæ ex *T* & *S* compositæ, nonnulla cum naturali forma \mathcal{M} in sono & figura similitudine. Ad eandem cognationem spectant Δ & *D*, quamvis illud odio curvitatæ angulatum factum sit.

Erige formam naturalem \curvearrowright , & habebis Hebræorum *resch* apertum γ , & Samaritanorum *resch* clausum η , a *Samaritigero* productum. Convertè erectam ad oppositum latus, & habebis ϕ Græcorum apertum ρ , & ϕ clausum ρ , ρ , quod etiam Copriticarum signum est. Adde lineolam clausam, & habebis Atticum \mathcal{R} , unde postea *R*, virgula producta.

Cuncta, uti patet, a signo naturali \curvearrowright , quod crispitudinem linguæ, ceu causam stridoris, representat.

De Dentalibus.

Dentalis una tantum est, nempe *S*. Estque nihil aliud, quam sibilus seu halitus fortis, a tumore linguæ palato allitus, & a dentibus in transitu oris laceratus, a quibus etiam nomen accipit & figuram. Nam ex præscripto naturæ pingi aliter

non potest, nec debet, quam sic Π , quia hæc est vera dentis imago, omnibus, qui oculos habent, conspicua.

Ex hoc signo, quod, uti dixi, sibili per dentes transeuntis naturalis icon est, prognatum est quintuplex Græcorum sigma, prostratum \sqsubset , duplicatum \sqcup , trifidum Σ & M , arcuatum C , serpentiforme S , quorum exempla in marmoribus & nummis passim prostant, ut norunt periti.

De Labialibus.

Labiales sunt & dicuntur, quæ dispari labiorum officio proferuntur. Labia sunt fores & valvulæ oris, quæ alternis vicibus claudi & aperiri possunt. Clauduntur autem vel totæ, vel secundum angulos tantum, rima in medio relicta.

Quando valvulæ oris totæ clauduntur, tunc id duobus modis fieri potest, vel simplici contactu labiorum, vel compressione intensa. Utriusque causæ unus est effectus, nempe spiritus interceptio.

Si spiritus interceptus per nares regurgitet, tunc ex contactu labiorum nascitur M ; sin intra oris specum coerceatur, fit B , cui simile est P , quod ex forti compressione & spiritu intercepto oritur.

Jam, cum ea, quæ intus in ore clauso geruntur, figuris exprimi non possint, hinc necesse est, ut harum labialium figura ab ipsis labiis prominentibus accipiatur, hoc est, ut duo hemicycli, vel impositi sibi invicem $\mathfrak{3}$, vel juxta se positi \mathfrak{m} , ad designandum B & M pingantur. Nam hæc pictura tumori labiorum conformis est, & ab illa cetera signa, quibus Græci & Latini utuntur, illud unius lineolæ accessione, hoc rotunditatis detractio, orta esse, vel solus aspectus docet. Nummi tamen Byzantini primævum \mathfrak{m} integre custodiunt, ut rei nummarie peritis notum.

Reliquæ labiales ore semiaperto proferuntur, & eodem pæne nascendi modo. Quando labellum inferius leni spiramine & verberè superius labellum ferit, tunc naturaliter sonat W ,
quando

quando fonti *F*. Differunt ergo non aliter ac *B* & *P*, scilicet non genere & natura, sed tantum gradu prolationis, magis vel minus intenso. Hinc in primordio literarum unum signum, oris puta semiaperti clausis utrinque angulis $\text{—}\bigcirc\text{—}$ sufficiebat, quia motus labiorum exprimi non poterat.

Hoc signum, in duo divisum, exhibet literam *Pythagoricam* *Y*, quam ab initio non fuisse angulatam, sed arcuatam, seu bicornem, in summitate, & hoc modo descriptam Y , arguit minusculum ejus y . Mutata autem est in angulatam a sculptoribus, qui omnibus literis a natura rotundis, vel a naturalibus ortis, incredibili ausu curvitatem detraxerunt.

Præter figuram indicium originis præbet valor, qui certe æquipollet Latino *Vu*, in nominibus Latinis Græce exarandis. Sic *Helvetiorum* nomen a *Strabone* scribitur ΕΛΟΥΗΤΤΙΩΝ , & *Velie* urbis a *Ptolemæo* Ουέλιας . In qua tamen scriptiōne præfixum *O* inutile elementum est. Nam, sicut ex duarum Vocalium conjugio non nascitur consona, ita consona y non opus habet hoc socio. Hinc ipsi *Velientes* in nummis suis semper scribunt ΥΕΛΗΤΩΝ . Quod quo pacto legendum sit, ex dictis patet. Adde, quod litera *V* per se satis ostendat, se a parente *Y* & formam & potestatem accepisse, alias inutilis futura, nisi cum *W* vel *F* coincidat. Græci præter *Y* a forma naturali $\text{—}\bigcirc\text{—}$ habent labialem Φ , autore *Palamede*, *Æthiopes* labialem Θ . Illa pronuntiatur ut *F*, hæc ut *W*.
De Nasalibus.

Nasalis una tantum est, nempe *N*, ejusque generatio ita procedit. Quando lingua tumore suo medium palati, & cuspidem dentes superiores, tangit, tunc halitus ita reprimitur, ut exitus illi non nisi per nares pateat. Quod ubi fit, tunc editur sonus nasalis *N*. Idque experiri possunt omnes, qui naribus digito compressis conantur dicere *en*. Hinc debium non est, quin verum & naturale signum hujus soni sit structura nasi externa Δ , seu eminentia illa perforata, peculiari naturæ privilegio

legio in medio hominis vultu pyramidis instar posita, dum reliqua animantia foramina tantum habent, non nasum.

Hoc signum sculptores Græci pro sua in literas licentia mire depravarunt, antequam venirent ad figuram *N*, quæ certe est nasus præter necessitatem duplicatus. Sed scriptura vulgaris & minuta constanter tenuit *V*, quæ est nasus simplex, quamvis inversus.

An utilitas inventi jure desiderari possit:

Litera naturalis, ut ex præcedentibus patet, est signum soni primitivi ad imitationem naturæ loquentis pictum. Quemadmodum igitur in tabulis pictis, ubi ars naturam imitatur, nemo utilitatem desiderat, sed gratia & veritate imaginis contentus, in voluptate videndi acquiescit; ita in Literis secundum naturam pictis, præter illam delectationem, quæ ex pulchritudinis sensu naturaliter oritur, aliam utilitatem quærere, aut, si desit, totam picturam, quamvis naturæ conformem, contemnere, nescio injustum magis, an stupidum, appellari debeat. Nam idem arbiter, qui res omnes sola utilitate metitur, poterit eodem supercilio omnes Antiquitatum Græcarum & Romanarum Thesuros tanquam inutiles despiciere. Equidem, veritates quasdam tam leves esse, ut ob defectum usus vix attendi mercantur, censoribus meis, ut invidiam eorum pascam, facile concedo. Sed veritatem Alphabeti naturalis ejus generis esse nego. Nam, sicut ars pingendi hanc habet utilitatem, ut serviat ornamento, ita Alphabetum naturale rem literariam quam maxime juvat atque ornat. Hujus enim ope de Literis, hoc est, de primis omnis eruditionis humanæ elementis, quæ antea signa quasi magica erant, omnibus imperata, nemini intellecta, rationem reddere naturalem nunc possumus, præcedentibus seculis quæsitam quidem, sed non inventam. Quæ res non potest non studiis elegantioribus novum decus, & antiquissimæ literaturæ novam lucem, afferre. Ut de mirifica facilitate, quam in pueris erudiendis, & surdis ad usum loquæ perducendis, docentibus & discipulis præbere debet, nunc nihil dicam.

TAB. I. Iplum Alphabeti naturalis, in hac Dissertatione demonstrati, conspectum *Tabula*, huic *Mensi* adjecta, exhibet.

* * *

Conspectus Alphabeti naturalis.

TAB. I ad Nova Acta Erud. A. 1743. Mens. Jan. pag. 48.

V O C A L E S			
	<i>Figura</i>	<i>Potestas</i>	
1	○	A	
2	⊖	E	
3	⊙	I	
4	⊗	O et U	
C O N S O N A N T E S			
	<i>Figura</i>	<i>Potestas</i>	<i>Genus</i>
5	♀	K G H	Guttural
6	∟	L	Lingual
7	∩	D et T	Lingual.
8	∪	R	Lingual.
9	∏	S	Dental.
10	3	B et P	Labial
11	3	M	Labial
12	⊖	W et F	Labial
13	∧	N	Nasal.

Demonstrationem vide in Antecedentibus.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii Anno MDCCXLIII.

HISTORIA SUCCINORUM, CORPORA ALIENA involventium, & naturæ opere pictorum & cælatorum, ex Regiis Augustorum Cimeliis, Dresdæ conditis, æri in-sculptorum, conscripta a NATHANAELE SEN-DELIO, D. Medico Regio, & Physico Elbin-gensi Ordinario.

Lipsiæ, apud Jo. Fridericum Gleditschium, 1742, fol.

Alph. 2 plag. 13, Tabb. æn. 13.

Nunquam exfatiatur animus humanus in consideratione rerum naturalium. Sive enim ex una parte copiam diversissimorum corporum, in omnibus naturæ regnis obviorem, adspicias, nunquam finem invenies, sed semper nova tibi offerentur spectacula; sive ex altera parte in specialissimo individuorum examine verferis, hæc ipsa, licet exacte inter se convenire videantur, non satis investigandas ostendent varietates. Maxima voluptate afficiuntur rerum naturalium indagatores, cum cimelia naturæ & artis, iusto ordine disposita, & characteribus propriis insignita, contemplantur. Ne jam dicamus de aliis, Dresdæ superbiunt Regia Augustorum Cimelia, quæ omnes naturæ thesauros, per orbem universum dispersos, in unum quasi locum collectos, ostendunt. Collegit jam, jussu *Augusti M.* gloriosissimæ memoriæ, Illustris *Jo. Henr. de Heucher*, Consiliarius Aulicus & Archiater Regius, Vir ad incrementa scientiarum, & imprimis Historiæ naturalis, natus, quicquid in corporibus naturalibus splendidum, perfectum, & elegantissimum, invenie-

G

batur,

batur, & ex omnibus terrarum partibus congeffit; sed non modo egregium apparatus collegit, verum eo etiam ordine disposuit, ut in incrementum Historiæ naturalis cedere posset. Augetur indices curiosissimarum rerum copia, dum Invictissimus *Friedericus Augustus II*, scientiis favens, semper nova addit incrementa, & solertissimus operis hujus director maxima cum industria undique conquirat, quæ collectionem ditissimam reddere valent. Optarunt jam diu omnes, qui scientias amant, & in studio Historiæ naturalis excolendo cum laude versantur, ut ea, quæ hic congeffa inveniuntur, cum orbe erudito communicarentur, quo illis etiam usui esse possent, quibus, ipsa naturæ opera contemplari, denegatum est. Prodit igitur nunc in publicum, tanquam primum specimen, elegantissima Succinorum collectio, quæ quidem partim varia corpora succino involuta, partim succina naturæ opere picta & cæolata, sistit. Celeberrimus *Sendelius*, qui in *Electrologia Succini* historiam satis dilucide tradidit, manum operi admovit, & omnia præstitit, quæ ad veram & omnimodam ejusdem perfectionem requirebantur. In *Parte igitur prima* Autor historiam insectorum succino conditorum proponit, & in introitu de insectis generatim, sive de eorundem differentiis, nonnulla disserit, quo ipso ordinis, in sequenti tractatione assumti, rationem exhibet. In speciali tractatione maxime quidem ad glebas ipsas succineas, quibus insecta involvuntur, & quæ nitide delineatæ sunt, respicit, earumque descriptiones concinnas tradit; nihilo minus tamen de insectorum generatione passim agit, & non tantum aliorum observata adducit, sed & propriis observationibus confirmat, & tandem quæstiones varias proponit & solvit, quæ ad succini naturam, & modum inclusionis, spectant. *Classis prima* hujus *Partis* insecta volantia sistit, & *Caput primum* de apibus & vespis, quæ favos condunt, agit. Cel. Autor varias glebas proponit, in quibus apes incluse ab antiquis æque ac recentioribus Autoribus describuntur, illarumque existentiam in dubium vocat. Binas postea glebas, quæ apes continere dicuntur, & hic delineantur, describit, dubiaque oborta proponit. In *Capite secundo*, quod vespas ichnevmones

nes exhibet, præsentiam eorundem in glebis evidentius ostendit. *Caput tertium* muscas quadripennes singulares proponit, & nonnulla harum specimina profert; quarum occasione differentia muscarum quadripennium, & papilionum minimorum, disquiritur. Muscarum bipennium vulgarium & ordinariorum maxima copia est; quapropter & hic *Capite quarto* multa nitidissima specimina succino inclusarum ostenduntur, & occasione muscæ cœrulescentis quæstio proponitur, quare alia insecta, succino involuta, colorem, quem viva habuerant, conservent, alia vero eundem amittant. Ordinis gratia majores, mediocres, & minores, muscas figillatim exponit. Inter minores vinarias & acetarias, sic dictas, muscillas adducit, & de earum generatione, nec non aliis argumentis, huc spectantibus, copiose disserit. Non minori cum diligentia *Capite quinto* in culices inquirat, & præmissâ generationis historia, varias glebas elegantissimas describit. Occasione culicis, succino nebuloso immersi, quæstionem mover, quare rarissime in obscuris succinis insecta involuta inveniantur, quæ in claris adeo copiosa deprehenduntur. *Capite sexto* papiliones, non quidem majores illos, colorum nitore superbientes, sed minores varios, proponit, quos æstivo tempore imprimis includi asserit. *Capite septimo* grillos, pro varietate magis vel minus perfecti animalis, in diversis glebis sistit, & cum inter has una grillum incrustatum contineat, quæstionem profert, cur in succino latentia insecta, interdum cortice succineo incrustata ostendantur. *Capite octavo* locustas nonnullas minus frequentes, in glebis contentas, describit. *Capite nono* Scarabæos pertractat, inter quos majores quidem sistere nequit, quippe qui incarcerationi validius resistunt, minores tamen plures, ordine iterum a magnitudine desumpto, ostendit, & ratione distractorum membrorum, in quibusdam glebis visorum, quæstiones sequentes tangit: quare non omnia insecta membris suis omnibus perfectis in succino sistantur, & quantum temporis intercedat, in quo fluida succini materia rigorem suum acquirit. Cum etiam Scarabæus quidam ex descriptis albo colore obducatur; quæstionem proponit, cur nonnulla insecta, succino inclusa, alba veste incedant.

cedant. *Capite decimo* Cantharides Scarabæis jungit, & rarissimas quasdam glebas describit. *Classis secunda* insecta terra repentia & apoda sistit. *Caput igitur primum* Formicas considerat, ubi Autor Cel., laude hujus animalculi præmissa, varia specimina, in glebis delineata, describit, & generationis historiam brevissime exponit; disquirit tandem, quomodo alæ fornicarum formentur, an illas in senectute demum obtineant, &c. *Capite secundo* de Forbicinis & forficulis, & *tertio* de Tineis, agit, *quarto* vero de Pediculis & Pulicibus differit, & speciatim hic ostendit, earum inclusionem ad litora maris fieri posse. Dum *Capite quinto* Araneos considerat, varia notatu digna de generatione eorundem exponit, & specimina majora, mediocria, & minora, in glebis deprehensa, ostendit. *Capite sexto* Erucas nonnullas profert, & *septimo* de Millepedis & Scolopendris agit, *octavo* tandem de apodis insectis differens. *Classis tertia* inclusorum aquaticorum ordinem sistit, cui digressio ad succini genesin, & argumenta huic connexa, adduntur. *Capite igitur primo* de aquaticis, vulgo traditis inclusis, in specie agit, illaque vel incerta pronuntiat, vel saltem paucissima genuina concedit, quod etiam ex adductis glebis abunde patet. Notatu dignissimum est *Caput secundum*, in quo venas succineas considerat. Describit itaque litora montesque litoreos, sub quibus venæ inveniuntur. Postmodum venas duas, aliam notam satis, & jam priscis temporibus famosam, *ligneam*, aliam minus cognitam, nec adhuc satis descriptam, *lutosam*, accuratius examinat. *Lignosam* vero venam, seu matricem ligneam, constituit lignum illud bituminosum subterraneum & minerale, in quo succina inveniuntur, & inventa generata sunt. Hæc in variis litoris Sudavici locis, ratione qualitatis, situs, & connexionis cum adjacentibus terris & salibus, varia deprehenditur. In sensu igitur latiori quodcumque lignum minerale & bituminosum, succina ferens, venæ nomine insignitur. In sensu vero strictiori sumtam venam, in uno quasi tractu progredientem, in vicinis montibus pagi *Grosshubenic* deprehendimus, quam Autor studiose disquirat, & simul labores fossorum ostendit. *Lignea* vero hæc vena dicitur, quoniam fragmenta ligni speciem præ

præ se ferre videntur, licet nulla trunci vel ramorum vestigia inveniantur. Piceæ nigredinis & friabilis est, ita, ut manibus tractata easdem nigrore inquinet. Humida quoque deprehenditur, quod Autor a sale vitriolico, in vena hærente, deducit. Exsiccatum vero hoc lignum griseum & quodammodo flavescens est, aquis innatat, & accensum odorem a succini odore non adeo alienum spargit. Hac data occasione, argumenta eorum, qui, succinum vegetabilis naturæ esse, asserunt, recensentur, solideque refutantur. Lutum cæruleum, hinc inde ad radices montium litoreorum obvium, succinis æque ac vena lignea gravidum, nomine venæ seu matricis succineæ dignum judicat Autor; ideoque locum, ubi deprehenditur, tractum ejus, & fossorum labores, sollicitè describit. *Capite tertio* generationem succini examinat, & eandem semper adhuc continuari, imprimis ex succinis liquidis inventis demonstrat. Præmissis postmodum nonnullis, ad generationem mineralium corporum in genere spectantibus, ipsam succini generationem explicat. Liquorem oleosum, vel oleum terræ limpidissimum & fluidissimum, primum perfecti succini ingrediens appellat. Fluiditatem materiæ succineæ ex lamellis, ex quibus nonnullæ glebæ succineæ componuntur, & ex succinis succino inclusis, demonstrat, eamque, pro diversitate clarorum & obscurorum succinorum, diversam esse asserit. Fluida hæc succini materia terreas subtilissimas & salinas acidas vitriolicas particulas, minori tamen quantitate, respectu oleosarum particularum, suscipit, & ita succina fingit. Id quod ex analysi chymica quoque patet. Duritiem igitur, quæ succino inter omnia bitumina quam maxime convenit, ex terreis & salinis particulis accedere, in propatulo est, licet etiam caloris effectus quam maxime attendendus sit. Quapropter non subito induratio fieri potest, sed tempus aliquod requiritur, quod tamen pro differentia glebarum diversum esse potest. Generatione igitur succini in litore Sudavico explicata, Cl. Autor disquirat, an in reliquis orbis partibus, imprimis in Europæ provinciis, succinum generetur, & hac occasione succini veri & genuini, in Saxonia reperti, mentionem injicit, & observationes nonnullas, hæc spectantes,

Antes, recenset. *Capite quarto* de fundo maris, & venis aquis marinis tectis, & inde regurgitantibus succinis haustilibus, agit. Satis quidem dilucide ostendit, scaturiginem quandam succineam sub undis marinis non deprehendi; attamen, fundum succineum, haustilia illa succina exhibentem, concedi posse, affirmat, & venam illam lutosam, superius descriptam, huc referri debere, existimat. Cum vena lutosa litori proxima, & magna pars ejusdem hinc inde absorpta, videatur; summa cum probabilitate concluditur, succina haustilia ex eadem produci, ita, ut non tantum in locis litori vicinis, sed etiam in profundiori mari, succina talia in luto illo caeruleo contineantur. Quod vero non in omnibus litoris Sudavici locis haustilia succina inveniuntur, a ventis, litoris situ, & fundo maris ipso, non semper divite, repeti poterit. Tempus hauriendis succinis maxime accommodatum est, quando concitatioribus fluctus vento ad litus protrahuntur; tunc enim coloni aestate atque hyeme ad haurienda succina se disponunt. Modi vero hauriendi succina tum ordinarius, tum extraordinarii nonnulli, in fine *Capitis* describuntur. In *Capite quinto* Auctor de inclusionis loco, & modo corporum succineo liquore obducorum, differit, & an illa in terra, an in aqua, fiat, disquirit. Cum etiam superius ostenderit, omne succinum in terra generari, ibidem etiam inclusionem fieri debere, urget. Provocat quoque ad glebas, ex vena lutosa erutas, in quibus inclusa insecta inventa fuerunt. Et quomodo insecta, quæ in aere magis, quam in aquis, deprehenduntur, in aquis includi possent? Quando igitur ruina montium litoreorum partes terræ devolvuntur, & succina nuda & adhuc mollia jacent; tunc insectis aditus ad ea patet. Quæ cuncta ex varietate glebarum, succina inclusa tenentium, dilucidius ostendit, & inclusionem in libero aere potius medium inter rigorem & fluorem succini, quam in profunda terra, fieri, concludit. Ex quo etiam patet, cur inclusa succinea rarius inveniantur. Addit huic *primæ Parti* auctarium, in cujus *Capite primo* de insectis minutis, quæ non nisi microscopii ope in succino deteguntur, differit. *Caput secundum* falsa & arte facta inclusa tradit, & non tantum in ipsas glebas spurias inquiri,

rit, sed etiam modos varios, quibus artifices in construendis falsis glebis utuntur, exponit. *Caput tertium* tandem inclusã nonnulla, in præcedentibus emissa, addit.

Pars secunda historiam inclusorum vegetabilium, mineralium, & aquosorum, sistit. In *Capite primo* Autor inclusã vegetabilia examinat, eaque rariora pronuntiat, & an eadem recentia, an exsiccata, includantur, disquirit. Elegantissimam glebam ostendit, quæ folium compositum, quinque foliolorum paribus seu conjugationibus constans, comprehendit, & sententias diversas, cujusnam plantæ folium sit, proponit. Nonnullas postmodum plantarum partes inclusas, & imprimis ericas, algas, & alias plantas marinas, vel mari proximas, exhibet, semina nonnulla, ligna, & straminis partes, his inclusis vegetabilibus adjungens. Quasdam etiam plantas succino exterius adherentes ostendit, & hac occasione de felicibus & infelicibus capturæ signis mentionem injicit. *Caput secundum* inclusã mineralia, & his affinia, exhibet. Auro & argento splendentes glebas quidem profert, scilicet, genuinum aurum & argentum inclusum non esse, ostendit, splendoris vero rationem tum a corpore peregrino, succino interjacente, tum ab ipsã glebã, & ejus mutationibus, deducit. Ad primum enim quod attinet, tum vitriolum, tum ferrum, interpersum croco suo, intime junctum,prehendimus; in altero vero casu cortex succini, in glebæ interioribus interdum visus, varias cavitates, angulos, & sulcos, relinquit, & ita radii lucis diversimode refracti aureum splendorem representant. Sed ferrum non tantum sub aurũ & argenti colore in succino se exhibet, sed & ipsum in glebis variis descriptumprehendimus. Ferrum imprimis erosum in succino observatur, quæ quidem erosio succino adscribi non potest, sed particule ferreæ jam erose includuntur. Qua data occasione, Autor de coloribus succini, marti tinctori adscribendis, differit, & cœruleum frequentius obvium, nec non ex viridi & cœruleo mixtum rariorem, examinat, & aliqua comparatione cum gemmis instituta, disquirit, cur color mineralis diutius in gemmis fervetur, in succinis vero mox pereat, id quod a soliditate diversa deducit. Subjungit tandem
glebas

glebas varias, quæ terreas particulas, ligna fossilia, salia vitriolica, lapillos, &c. succinis inclusa ostendunt. Succina etiam succinis inclusa observanda sunt. Quando enim succinum, duritie ac perfectione sua acquisita, nova fluidi ac imperfecti succini massa contegitur, tunc ex situ, forma, nexu, & quandoque etiam diverso colore, inclusum succinum distinguere possumus. Expositis igitur variis glebis, ad hanc doctrinam spectantibus, ex iisdem ostendit, quomodo succina, succinis involuta, formata fuerint. *Caput tertium* de inclusis aquosis agit. Nonnunquam enim guttula aquea in gleba conservata conspicitur, & tunc vel aeream bullulam conjunctam habet, vel sola aqua inest, aliæ vero glebæ, aqua dispersa, non nisi spatium vacuum ostendunt. Qua ratione igitur inclusio aquarum fiat, & quomodo guttæ, olim inclusæ, per expirationem dissipentur, disquirat. Aqueum humorem contentum dulcem esse, experimento facto comprobatur Auctor, licet, salinum interdum deprehendi posse, non neget.

Pars tertia de natura pictis & cælatis Succinis agit, & in omnibus regnis naturæ tales configurationes dari, variis exemplis comprobatur. Elegantissimas itaque figuras, naturæ opere in glebis succineis pictas & delineatas, describit. Subjunguntur his succinis, a natura figuratis, succina quædam, scitissime sculpta, quæ Serenissimus Princeps Regius, *Friedericus Christianus*, ad nos ex Italia retulit, & quæ apud antiquos forsitan amuletorum loco fuerunt. Ornatus libri Regio Opere dignus conspicitur, nec forte invenies prelis nostris emissum Opus elegantius aliud, si ad chartæ nitorem, & formæ præstantiam, & quod præcipuum, typis emendate ponendis adhibitam industriam, respicias.

PAULI II, VENETI, PONTIFICIS MAXIMI, VITA, ex Codice Angelicæ Bibliothecæ desumpta, præmissis ipsius Sanctissimi Pontificis vindictis adversus Platinam, aliosque obtrektatores. Accedit Appendix, qua comprobatur, Pauli II Pontificatus felicitati deberi optimorum Scriptorum

*ptorum editiones, quæ Romæ primum prodierunt post di-
vinum typographiæ inventum, a Germanis opificibus in
eam urbem advectum, plerisque omnibus earum editio-
num seu Præfationibus, seu Epistolis, in medium allatis,
cum brevibus observationibus ad easdem, rei ty-
pographicæ origini illustrandæ valde
opportunitis.*

Romæ, typis Antonii de Rubsis, 1740, 4.

Alph. 2 plag. 1, cum Fig. æn. 1.

Equidem vitam *Pauli II*, Pontificis Maximi, a *Mich. Canensio* conscriptam, præclaro *Scriptorum rerum Italicarum Operi*, ad Vaticanæ Bibliothecæ exemplar, *Parti II Tomi III* fideliter in-
screndam curavit Vir Cel. *Lud. Ant. Muratorius*. At, quod di-
ligentiam Eminentissimi Cardinalis *Quirini*, ob eximia in Eccle-
siam Romanam, totumque literatum orbem, merita decantatissi-
mi, in consulendo alio Angelicæ Augustinensium Codice com-
pertam haberet & exploratam, eam ipse in Præfatione, editioni
sua præfixa, humanissime commendavit, & literatis viris expe-
ctationem commovit, fore, ut hujus opera aliquando plenior
prodiret & emendatior. Huic spei ut satisfaceret, *Muratorio*,
omnibusque doctis, maxime laudatus Vir, cum pro officio,
ante aliquod tempus, Pontificiis interesset comitiis, Vitam il-
lam in manus resumpsit, recognovit, & evulgare constituit. Quo
vero vices suas, pro indefesso suo erga literas studio, magis
magisque expleat Illustrissimus Editor, præter notatam in ti-
tulo Appendicem, singulari volumine comprehensam, ipsi
Operi præmittendas censuit vindicias quasdam, ad propugnandam
defendendamque, adversus *Platinum*, aliosque, quos vo-
cat, obrectatores, Pontificis memoriam. Sunt vero *sex* in
universum *Capita*, quibus hoc suum propositum, mox a fron-
te operis, strenue persequitur Vindex Eminentissimus. *Cap. I*
demonstrare nititur, literas haudquaquam insectatum esse
Paulum II, sed eos tantum literatos, qui ethnicam religio-
nem præ Christiana adamare viderentur. Queritur quippe
H Platina,

- Pag. 9. *Platina*, male adeo à Pontifice esse habitum Apostolicorum Abbreviatorum privatum quoddam Collegium, ut socii illius boni ac docti, divini atque humani juris peritissimi, indicta causa, bonis ac dignitatibus ab ipso spoliati fuerint, quibus tamen cautum fuerat literis Apostolicis, & fidei Pontificii autoritate.
10. Quin imo ad calcem vitæ addit, ita illum humanitatis odisse studia & contempsisse, ut ejus studiosos uno nomine hæreticos appellaret, Romanosque hortaretur, ne filios diutius in literarum studiis detinerent, quod satis esset, si legere & scribere didicissent. Hic, ut probet Noster, cuncta illa a pravo & perverso *Platina* profecta esse animo, omnes intendit nervos. Neque tamen negat, violentas memorato illi Collegio a Pontifice illatas esse manus. Sed hoc urget, Romanos illos Academicorum doctrina, tum moribus, ejus omnino fuisse surfuris, ut quidvis potius, quam Pontificiæ, mererentur, argumenta benevolentia. Disputasse eos de animorum immortalitate, Platonicæ potius sectæ, quam Christianæ religionis, assecras; nomina quoque, in baptisinate suscepta, immurasse; amorem porro gentilitatis quosdam ex ipsis adeo transversos egisse, ut nec a solemnium quorundam sacrificiorum abstinere cerimonis; quin imo *Pomponium Latum*, ejus Collegii principem, in more habuisse, natalem urbis Romæ diem celebrare, & *Romulo* aram contruere. Huic demum insanie eosdem crimen conspirationis in ipsius Pontificis vitam adjecisse. Igitur non literatorum, sed scelestorum potius hominum, pravam societatem infectatum esse, jure suo, Pontificem. Præterea vero intentissimi ejus erga literas studii amplissima prostare testimonia. Non solum enim proditum esse a *Comensio*, magna ipsum quoque *Paulum* in literas incubuisse industria, sed & *Gasparem Veronensem* graviter testari, magnifico plane tam typographiæ recens opificium, quam eruditōs plures, & inter illos præcipue *Franc. Philadelphum* & *Ju. Ant. Campanum*, ab illo receptos esse patrocinio. Num injuste abrogandas censuerit *Paulus*, occupato Pontificatu, leges quasdam, a se aliisque Cardinalibus ante constitutas, & in conclavi juratas, Noster *Cap. II* contra *Jacobum Papiensem* disputat.
11. Itaque leges illas, numero octodecim, partim ad officio, partim ad potesta-

potestatem spectantes Pontificis, fideliter recenser. Tum **Pag. 25.**
 famam *Stephani* cujusdam, Ecclesie Mediolanensis antistitis, &
Theodori, Tervisinae Episcopi, quorum consilio precipue Pon-
 tificem de abrogandis illis legibus cogitasse, refert *Papiensis*,
 quantum potest, purgat, tuetur, evehit. **28.** Deinde, in arduo
 hoc negotio *Paulum* non solum binos hos consiliarios, licet
 gravissimos, sed & alios celebres Juris Pontificii peritos viros,
 ad eam rem expendendam adhibuisse, ex monumentis fide di-
 gnis comprobat. **30.** Fidem insuper facit, omnes optimos Car-
 dinales, integritate, prudentia, omnique virtutum laude, in-
 signes, illi semper admodum charos fuisse, & ab ipso in arduis
 Apostolicæ sedis negotiis frequenter adhibitos. Et, his omni-
 bus ita præsuppositis, tandem apparere putat, nihil a Ponti-
 fice in inmutandis aut abrogandis legibus inceptum unquam
 esse, aut peractum, quod temere, nec ecclesie ita postulante
 commodo, factum videri possit. Nec minore studio *Paulum*
 ab avaritiæ nota vindicare laborat *Capite tertio*. **34.** Primo enim
 ad *Canensum* provocat, qui eum a cupiditatis contumelia non
 solum absolvit, sed & in omni genere præclara profert libera-
 litatis ejus documenta. His vero magis magisque comprobandis,
 præter impensam ab illo viris doctis beneficentiam, **35.** *Cap.*
I jam laudatam, partim quam liberalis fuerit in exornan-
 dis ecclesie rebus, partim quam se inopia laborantibus quibus-
 cunque probatæ vitæ hominibus munificum exhibuerit, rece-
 set & collaudat. **36.** Quibus addit, infinitam a *Paulo* insuntam
 fuisse in re Christiana adversus Turcas tuenda vim pecuniæ.
 Quo in loco id nobis præ ceteris videtur memorabile, quod, **37.**
 tam excelso Pontificem in Turcicum illud bellum exarsisse ani-
 mo, refert Noster, ut, rejectis albo equo & consueto accipitre,
 quos ei *Ferdinandus*, Neapolitanus Rex, pro conservando regni
 jure feudario transniserat, petitisque eorum vice 60000 au-
 reorum pecuniis, cum Regii Legati in contrarium obstitissent,
 minarenturque, Regem, ea offensa exacerbatum, Turcis adhe-
 surum, ipse animose responderit: ite vos, referte, quæ diximus;
 si, Turco adherere, illi animus aliquando fuerit, jam probe pro-
 yidimus, ut Regem regno, & Turcum Christiana ditione, pro-
 fugaturi

NOVA ACTA ERUDITORUM

fugaturi simus. Supra quoque Noster, pro diluenda avaritie culpa, allegat *Pauli* magnificentiam. Hanc jam *Cap. IV* fusius protegitur, & in laudem ejus egregie convertit. Fuisse vero, natam, gemmarum imprimis studiosum Pontificem, & ex his, utique pretiosissimis, mitram maximam papalem faciendam curasse, ducenta aureorum millia communi judicio aestimata. Mitra hac splendidissima sibi parata, indulgisse quoque Cardinalibus, ut, sacris inclat vestibus, sericeas ipsi mittere, unde a *Proletis* inferiorum ordinum discernerentur, usurarent, & rubra etiam bireta, quibus soli Romani antistites uterentur. In priscis insuper colligendis numismatibus, aliisque tabulis & signis, quæ apud antiquitatis amatores in pretio sunt, valde magnificam sese exhibuisse, harumque vetustatum exactissimum simul exactissime perscrutatore, quin *Cæsarum* imagines in ipsis numismatibus tam probe dignovisse, ut primo statim adipectu illorum nomina exprimeret. Sed, singularem magnificentie laudem *Paulum* in construendo *S. Marci* palatio, in excipiendis splendide Principibus, nec non in ludis & opiparis conviviis populo exhibendis, promeruisse, Noster commemorat. Et, his ita expositis, *Cap. V* ex magnanimitate Principe digna Pontificem commendare aggreditur. Itaque, quam is bene faciendi studio multis aliis præstiterit, nec ab ullo facile beneficia acceperit, quam obreclationes etiam atque injurias tranquillo contemserit animo, denique quam eximia ediderit alia magnanimitatis, tum pace, tum bello, facinora, multis commendatur. Deinde vero censuris *Platina*, ac si Pontifex testamentis nimis avide inhiaverit, pro more responderetur. Tandem *Cap. VI*, *Paulum* interiorem ac familiarem vitam moresque suos ita composuisse, proditur, ut nec in hac parte justæ reprehensioni obnoxius reperiri possit. Quod enim *Platina* & *Papiensis* arguere conati sunt Pontificem, difficilem nimis se adeundi aliis dedisse copiam, eam, inverso naturæ ordine, noctu vigilare, illeque somnum capere, consueverit, id præcipue valerudinis causa factum esse asseritur, quod dormitione nocturna gravius catharro vexaretur. Nec firmiore nitæ fundamento, quæ de victu ejus cultaque corporis immoderato,

nato, in medium produxerint accusatores malevoli. *Papientem* vero maxime ob id notandum esse, quod, *Paulum* aliquando vanis fuisse fuisse divinationibus, temere perhibeat. Ceterum, ipsis quoque parentibus adversariis, familia usum esse Pontificem culta, modesta, & ingenua, nec cuticula magis, quam rebus consuluisse publicis. Hæc & alia in elegantissimis hinc obvia vindictis, plenior facile mereretur enarrationem; sed nos illa missa facimus, ne justo longiores simus, & sic jam ad ipsam *Pauli* vitam, à *Canensio* conscriptam, accedimus. *Petrus Barbus*, qui postea *Paulus II* cognominatus est, ex patre *Nic. Barbo*, & matre *Polyxena Condulmaria*, septimo Calend. Mart. A. 1417, *Joune XXIII* Pontifice Maximo, & *Sigismundo* Imperatore, Venetiis natus est. Pueritia per honestæ documenta disciplinæ peracta, literarum studiis adolescentulus traditus est, a quibus si quando eum vacare contingebat, optimi genitoris secutus vestigia, ad ecclesias frequentius divertebat. Juventutem ingressus, tali probitatis studio cuncta illius spatia exegit, ut ab elegantioribus honestatis moribus nunquam declinasse cognitus fuerit; imo adeo laudabili modestia & honestate se ipsum moderabatur & comprimebat, ut nunquam per consuetam juvenibus lasciviæ fomenta distractus sit. Interim, patre ejus mortuo, in dirigenda domo plurimum gratiæ apud suos sibi vindicavit. Inter cives autem & graves viros adeo comiter ac laudabiliter se habuit, ut præcipuam omnium promeruerit benevolentiam. Sed enim, dum iam se gereret, & avunculus ejus *Eugenius IV*, Pontifex Max. pro infidelium Græcorum reductione Ferrariam profectus esset, in eam urbem ab eo accitus est. Ubi mox habitu immutatus, & Clericorum ordini adscriptus, se per omnia virum graviozem exhibuit. Et, quo literarum studiis & Clericorum institutis perfectius imbueretur, ei sunt adhibiti viri doctrina omnique virtute probatissimi. Cum aurem, succedente tempore, *Eugenius, Petrum*, nepotem, tam ingenii docilitate, tam probitate morum, præditum esse, certi fide intelligeret, ipsum Bononiæ Apostolicum Protonotarium & Archidiaconum nominavit. Cui quidem officio ita successit, ut, plurimorum sacri senatus Patrum sinu hortatuque,

Pag. 69.

70.

73.

9.

10.

11.

12.

interjectis aliquot annorum curriculis, ab *Eugenio* Cardinalis crearetur. Accepto autem tam digno & amplissimo rubei pilei munere, nunquam se alicui per insolentiam elatiorem immodestiorumque præstitit, imo humanior multoque facilius erga omnes factus est. Tantam quoque in explendis officii rationibus exhibuit semper tum fidem, tum prudentiam, ut

Pag. 14. non solum *Eugenio* esset acceptissimus, sed & parem fere gratiam a successoribus ejus, *Nicolao V*, *Callisto III*, & *Pio II*, obtineret, ab iisque insuper sacris augetur muneribus. At,

15. quantum sibi apud omnes egregiis factis comparasset favorem, tum demum apparuit, cum *Pius II* obitu suo sedes Pontificias vacuas relinqueret. Etenim, cum ad successoris novam electionem amplissimus Purpuratorum senatus convenisset, tam consona & firma in *Petro* eligendo extiterunt vota, ut ipsi senatorii ordinis Patres admirarentur, & reliqua hominum multitudo, divino quodam numine id factum esse, confirmaret. Ut

32. vero mox, *Pauli II* suscepto nomine, traditas sibi Pontificias accepit habenas regere, tanto rerum moderamine cuncta disponere & agere studuit, ut nihil omnino prætermitteret, quod ad optimum Pontificem, optimumque patrem patriæ, spectare videretur. Cujus rei plurima quoque in primis Pontificatus sui initiis dedit documenta. Etenim, cum cives Romani subinde quererentur, sibi frumenti laborandum esse penuria, mox viliores rei frumentariæ annonam cunctis patentem instituit, carnibus item & piscibus moderatius præfixit pretium, quod nimis indecenter auctum fuerat. Neque minori cura

36. civilibus sese opposuit simultatibus, ob eamque rem graves ac perdoctos quosdam constituit viros, qui omnium causas summatim audirent ac terminarent, graviora vero negotia ad se deferrent. Interim tanta semper justitiam temperavit clementia, ut delinquentes levioribus pœnis tantum mulctari voluerit, & si quando de alicujus capitali judicio coram se proponeretur, vultum animumque exacerbaverit, & haud dissimulate indoluerit. Cuidam quoque, liberius dicere audenti, passim in vulgus conqueri, quod omnes mortis rei non afficerentur supplicio, prudenter respondit: Ah! parumne putas, hominem

minem morti tradere, quem per tot labores, ac tot per annos, humana societas sibi ad utilitatem comparavit, tamque excellenti ac miro opificio Deus creavit? Huic admirandæ omnino lenitati sociæ fuerunt aliæ Principis virtutes plurimæ. Ecclesiasticas enim dignitates hec subito, neque ullis alicujus precibus, sed libero sui animi judicio, pro cujusque meritis ac virtute, distribuit, multosque præstantes viros diversis ecclesiis inscios & absentes præfecit. Primus quoque inter summos existit Pontifex, qui præcipuas quasque arces ac loca discriminosæ Prælati aut dignis sacri ordinis viris custodienda assignavit, quo fidelius in omnem fortis eventum Pontificibus sedique Apostolicæ præservarentur. Præterea in peragendis negotiis altissimi fuit consilii, tantæque taciturnitatis, ut nullus vel maximæ apud eum familiaritatis aut autoritatis plene intelligere potuerit, quid ipse inter sacri senatus Patres egisset, aut agere destinasset. Cognatis etiam agnatisque, nisi bene promeritis, beneficia nulla impertiit, neque unquam tam clemens existit, ut non in fontes quoque amicos graviter animadverteret. Id quod præcipue in *Deiphobo*, germanoquoque ejus, *Francisco*, Anguillaræ Comitibus, luculenter apparuit. Hi enim, cum pacificis *Pauli* consiliis nullo modo obedire velent, ita tandem ejus prudentia ad incitas sunt redacti, ut alter regno profugus, alter vero captivus, fieret. Qua re simul effecit Pontifex, ut ecclesiæ imperium plurimum dilataretur; siquidem duodecim Anguillaræ Comitum munitissima oppida, non multum ab urbe Roma disjuncta, præter ceteras eorum arces, ditioni Apostolicæ addidit. Quæ cum ageret, privatorum rebus simul egregie prospexit. Egenis enim pluribus dignis tanto Principe muneribus tum ipse auxilium præstitit, tum quoque per quasque urbis Romæ regiones aliquot secreta deputavit homines integerrimæ ac probatæ vitæ, quibus quidem quolibet mense certas destinabat pecunias, inter Romanos pauperes pro eorum conditione distribuendas. Mox iterum alia securitatis exempla edidit. *Cervitum* enim, Bohemorum Regem, convictum famosæ tum Fraticellorum sectæ, publice hæreticum damnavit; simul regnum bonaque ejus occupatoribus

Pag. 48.

49.

51.

63.

64.

66.

67.

73.

- bus adjudicavit, ac demum pecunias plurimas *Matthia*, Hungariae Regi, amplissimasque indulgentias adversus damnatum decertantibus, dilargitus est. Nursinos item & Pontanum populum bello compescuit, conspiratorum quoque duo tum detecta consortia fortiter disturbavit. Interim tamen pacis fuit amantissimus, eandemque in bellum pronis Italiae Principibus omni opera commendare studuit. Qua in re cum faventes sibi obsequentesque horum Principum expertus esset animos, mox quoque, quantum *Friderici III*, Caesaris Augusti, erga se esset studium, luculenter apparuit. Hic enim, ejus visendi gratia, magno cum comitatu urbem Romam advenit, multaque ei exhibuit cum honoris, tum amicitiae, documenta, similia quoque ab illo recipiens. Quo tempore nova in Lateranensi ecclesia a Pontifice instituta est *B. Georgii* religio, cujus gubernatori militare vexillum, rubea cruce medio contextum, vestemque fericeam candidam, pari crucis signo, anteriori posteriorique ejus parte, consutam, prius a Pontifice benedictam, ipse Caesar tradidit. Praeter hoc & alia multa praecelara instituit. Etenim urbem Romam, quantum & tempus & occasio suadere videbatur, excoluit; Romanis quoque mulieribus immoderatae gestandorum uniorum gemmarumque, cingulorum, & vestium, limitavit usum ac restrinxit. Ipse vero ob nimiam in conquirendis emendisque lapidibus pretiosis curiositatem ab aliis aliquando notatus est; quod tamen ea ratione ab eo factum esse refert *Capensius*, ut talem successoribus relinqueret suppellectilem, qua dignitas & majestas Pontificia in omnem fortis eventum facile juvari ornarique posset. Ceterum statura quidem ingenti, ac palmis fere duobus supra communem eminentiori, existit; forma vero praestantissima, ac per omnis aetatis gradum ita decora & venusta, ut assidenti vel stanti quaedam autoritas ac majestas inesse videretur. Vultu praeterea fuit sereno atque gratissimo, colore candido, fronte lata, superciliis arcuatis, nec medio junctis, oculis flavis ac pertumentibus, auribus mediocribus, naso insuper oris decentiae respondenti, ad imum tamen educiori, cervice obesa, capillo raro ac nigro, corpore subpingui, ac procero, brachiis conformibus corpo-

rez proceritati, manu distenta, & digitis longis. Obiit ca-
tharro suffocatus inter secundam & tertiam noctis horam, 7
Cal. Augusti, anno ætatis suæ 45, Pontificatus autem sexto,
vel potius, quod, præter *Platinam* aliosque Historicos, multæ
Aleriensis, ad Pontificem perscriptæ, & in ipsa hujus Operis Ap-
pendice pag. 126, 152, 159, &c. exstantes, testantur Epistolæ,
anno septimo.

Quid in Appendice, totius Operis circiter explente dimi-
dium, præcipue præstiterit Eminentiss. *Quirinus*, ex titulo, in
fronte a nobis exhibito, fere manifestum est. Id enim agit vin-
dex clientis sui sagacissimus, ut, enarrando omnium, patro-
cinante *Paulo*, editorum operum catalogos, Pontificis haud
vulgare erga literas studium magis magisque demonstret,
& extra omnem, quod dicitur, dubitationis ponat aleam. Di-
stinguit autem hoc suum opus per *Paragraphos*, & mox
quidem §. 1 trium *Lactantii* paratarum eo tempore edi-
tionum recenset numerum. *Prima* laudatur, quæ in Mo-
nasterio Sublacensi, ad quod nempe primum diverterant Ger-
mani opifices, anno Seculi decimi quinti sexagesimo, absque
typographi mentione, satis eleganter expressa est. *Alteræ* Ro-
mæ prodisse dicitur anno ejusdem Seculi 66, & quidem
subscriptis operariorum nominibus, *Conradi* quippe *Sweinheim*
& *Arnoldi Pannartz*. *Tertia* demum ab iis ipsis Germanis
typographis A. 1570 excusa fertur, editoris hic, ut & in reliquis
hujus officinæ operibus, munus sustinente *Jo. Andrea*, Episco-
po Alerienti. Tum vero §. 2 ea recensentur *Ciceronis* scripta,
quæ eorundem opificum occuparunt conatus. Prodierunt enim
ipsorum opera *Epistole familiares* A. 1567, iterumque A. 1569;
Epistole ad Atticum, Brutum, & Quintum fratrem, A. 1570; *Offi-
cia, Paradoxa, de Amicitia, & Senectute*, A. 1569; *Orationes* de-
mum A. 1571; ut taceamus alia, per *Utricum Han* Romæ tum
expressa, cujus prelo *Jo. Ant. Campanus* eam ipsam præstitisse fer-
tur operam, quam *Aleriensis* prelo *Sweinheimiano*. *Ciceronis*
Operum recensionem sequuntur alia quædam, ad sacram in-
primis literaturam spectantia. Etenim §. 3, *Augustini* celebre *de*
Civitate Dei opus Romæ bis, anno nempe 1568 & 1570, in mo-
nasterio

nasterio autem Sublacensi semel A. 1567, prodiisse, legimus. Tum, ex Hieronymi operibus duo excusa esse eodem tempore volumina, §. 4 memoratur, licet quædam exemplaria, typographorum dolo, annum impressionis 1568, alia autem annum 1570, in fronte gerant. Quibus copiose recensitis, §. 5 editionis *S. Bibliorum vulgata* A. 1571 mentio instituitur; ubi quidem ex *Aleriensis* Præfatione intelligimus, *Aristea* notum de 70 Interpretibus libellum sacro huic Codici præfixum, verborum vero Hebraicorum, in illo passim occurrentium, explicationem calci operis annexam esse. Illo ipso anno 1571 *Cypriani* Epistolas prodiisse, §. 6 docetur; §. 7 autem, *Leonis M.* Operum, haud adscripto tempore, paratam esse ab *Aleriensis* impressionem; denique §. 8, *Thome Aquinatis Catenam in 4 Evangelia* A. 1570 exculam, & §. 9, *Roderici Zamorensis Speculum vite humana* A. 1568 iisdem typis evulgarum, memoratur. Tum ad profanorum, ut vocant, quorundam Auctorum editiones digreditur narratio. Itaque *Cæsaris Commentarios* A. 1569, *Livii Historias*, nec non *Virgilii Poemata*, circa idem fere tempus, deficiente tamen anno, *Ovidii vero Metamorphoseon Libros* A. 1571, *An. Lucanum* A. 1569, *Silium Italicum cum J. Calpurnio* A. 1571, *Plinium Majorem* A. 1570, præcedente *Veneta* A. 1569, *Quintilianum* A. 1568 & 1570, *Suetonium Tranquillum* bis, semel cum *Aleriensis*, semel item cum *Campani*, Epistola, A. 1570, *A. Gellium* A. 1569, eodemque anno *Apulejum & Alcinoium*, *Strabonem* denique ex *Guarini Veronensis & Gregorii Tipherna* versione A. 1571, singulis cuique tributis sectionibus, a §. 10 usque ad 22 prodiisse, Noster commemorat. Hisce autem fuse enarratis, *Bessarionis* addit §. 22 de calumniatoribus *Platonis* Libros quinque, & *Donatum* pro puerulis; simulque eodem *Paragrapho* lectorem monet Em. *Quirinus*, nihil jam eorum restare operum, quæ *C. Schweinheim & A. Pannartz*, typographorum, prelis, *Paulo Pontifice*, publicata fuere. Esse tamen alia quædam, ad ea tempora itidem deferenda, solerter notat, eorumque data opera accenset catalogo §. 23 *Ptolemæi* *Cosmographiam*, A. 1570, & §. 24 *Dionysii Halicarnassensis* *Antiquitates Romanas*, ex versione *Lapi Biragi* editas; tandem vero ultimo totius Operis §. 25 pauca alia, prælu-

prælucente *Maittaireo*, in medium producit, suisque continuo illustrat commentationibus. Atque hæc quidem pro Appendice satis esse, Illustriss. Autor confidit; nec habebit, nobis arbitris, dissentientem, præsertim si quis ejus conamina, levi a nobis tantum adumbrata penicillo, ex ipsa ornatissimi Operis inspectione æstimare velit. Nos quidem peractum feliciter laborem illi Musisque gratulamur ex animo, simul vero tum insignem ejus impensam Bibliothecæ Vaticanæ prædicamus liberalitatem, qua, quod eleganter tribus, ad *Nereum* Cardinalem *Corfinum* datis haud ita pridem, attigit Epistolis, eandem pretiosissima librorum suorum auxilii suppellectile, tum quoque id Lectori novarum rerum cupido ex binis, a Nostro ad *Benedictum XIV*, Summum hodie Pontificem, perscriptis, Epistolis significatum volumus, illum jamjam a præterlapsi anni initio in edendis *Franc. Barbari* Epistolis toto occupatum fuisse animo, imo bonam earum partem jam tum typis exscriptam habuisse. Quod Opus, antehac nunquam visum, uti avide expectamus; ita & summum Numen votis exoramus ardentibus, ut Viri hujus, in Ecclesiæ suæ totiusque eruditi orbis commodum profusus nati, præclaris nunquam non favere velit consiliis, quo & suo desiderio, & aliorum expectationi, integris semper par esse possit corporis animique viribus.

JO. LAUR. MOSHEMII INSTITUTIONES
Historiæ Christianæ majores. Seculum
primum.

Helmstadii, apud Christianum Fridericum Weygand, 1739, 4.
Alph. 2 plag. 16½.

Venerabilis Viri tanta est dudum celebritas, & tum dictionis lactea ubertas, tum tractationum soliditas, ut, non nisi perfectum & excellens ab eo proficisci posse, eruditi dudum uno ore suffragiisque concordissimis existimaverint. Non possumus non hujus instituti rationem & formam justissimis in cœlum tollere laudibus, ad id cum maxime proclives & instituti, ut suum cuique tribuamus, nec præstantissimorum Virorum meritis quidquam detraha-

destruamus. Causam, cur Institutiones Historiæ ecclesiasticæ Nov. Test. uberiores adornare, ad Seculum usque septimum decursuras, susceperit, in Præfatione exponit Autor suo more, id est, & ingeniosè, & eleganter, & verbis copiosis. *Vix Institutiones Historiæ Christianæ breviores exierant, verba sunt Autoris, cum eruditi quidam homines, & in his quidam in eminenti dignitatis gradu positi, demonstrarent, multis vaide consultum fore, si, quæ nervosè ac præcisè in illis dixi, paulo plenius alio libro enarranda mihi sumerem, & certis testimoniis firmarem.* Rationem vero potiore, quæ Viri est prudentia, silentii peplo involvit. Tractationis modus ostendit satis superque, Autorem in eo fuisse, ut genuinam ecclesiæ Christianæ indolem repræsentaret, ministeriique ecclesiastici originem & dignitatem confirmaret, quam quippe recentiores quidam Jureconsulti ita deprimunt, ut opiniones fanaticorum hominum fere adoptent, &, dum monarchicam ecclesiæ formam, vel sacerdotii imperium, intra imperium dari negant, in contraria prorsus currant. Hisce viris egregiis hic & re ipsa, & sapius nominatim, moderatissime tamen & solide, factum esse satis, Lectores facile odorabuntur. Fontium præcipuam habuit rationem. Nec tamen neglexit eos, qui nostra patrumque memoria rebus dubiis & incertis aliquid lucis ingenio asserre tentarunt. Testimonia veterum aut ipsa descripsit, aut accurate indicavit. In rebus dubiis caute se gessit, aut nihil, aut probabilia tantum, pronuntians. Nusquam fere copiosior fuit, quam in hæreticorum, quos vulgo vocant, opinionibus, moribus, institutis, & factis, investigandis. In hanc enim Historiæ sanctioris partem studium sectæ, ignorantia, superstitio, commotiones animi, negligentia, plus tenebrarum, suspitionum, commentorum, & spinarum, invexerunt, quam in reliquis omnibus. Ut scilicet quisque animo constitutus & affectus est, ita vel in accusandis, vel in excusandis, sectarum Christianarum conditoribus modum excedit. Collegit Autor primum ea, quæ de vita & factis hæreticorum scripta inveniuntur; quæ, si nec incredibile aliquid habeant, nec certis rerum documentis repugnent, toleranda & admit-

admittenda esse putat. Ipsa deinde dogmata, quæ passim referuntur, scienter disponit, ut apta quædam & inter se cohærens disciplinæ totius, siquidem id fieri potest, forma nascatur. Neque tamen hoc negotium aggreditur, antequam diligenter perspexit, quid in illis certum ac evidens, quid dubium, quid latens, sit. Ad singulas sententias nominat Autores, ex quibus illæ sunt desumptæ; qui si dissident inter se, nec exitum facile reperire licet, præstat, iudicio ejus, rem omnem in medio relinquere, quam decernere. Orationis genus simplex & apertum adhibuit. Hæc ad instituti rationem, quam exhibet Præfatio. Tractatio ipsa primo quidem complectitur isagogen. Hæc exhibet definitionem Historiæ ecclesiasticæ & divisionem. Divisit Autor eam in externam, satis prosperis adversisque sæcundam, atque in internam. In hac collocavit historiam doctorum, dogmatum ipsorum, ceremoniarum, & rituum. Tum de subsidiis scribendi pragmatice ea, quæ institutum hoc exigit, & generalibus & specialibus, disserit. Porro exponit de fontibus Historiæ ecclesiasticæ, ac requisita ejus, qui illam cum fructu studet tractare, recenset. Adhuc nimirum in ejus intelligentia 1) ingens vitæ, opinionum, & rerum humanarum, cognitio; 2) omnis generis doctrina; 3) memoria fida & tenax; 4) ingenium natura sagax, perspicax, & ratiocinationibus assuetum; 5) iudicium exercitatione & diuturno usu subactum & firmatum. Voluntatem exornent oportet 1) laboris patientia & diligentia; 2) veri rectique studium constans & acerrimum; 3) libertas ab omni servitute vel temporum, vel hominum, vel opinionum. Vicia hominum, in hac Historia committi solita, candide aperit Ven. Autor. Nec omittit fructus, ex Historia ecclesiastica capiendos, scilicet providentiæ divinæ splendorem & celebrationem, alimentum fidei, & in ea constantem animum; prudentiam, ac faciliorem errorum debellationem. Externam decursui temporum alligavit, ac universam temporis Nov. Test. historiam in quatuor periodos partitur, respiciens ad ætatem *Constantini M.*, *Caroli M.*, *Lutheri*, & nostram. Hæc in Præparatione edisseruntur. In historia ecclesiæ Sæculi I externa expauit 1) de statu orbis civili & religioso,

pag. 22.

23.

24.

28.

ligioso, cum nasceretur Servator noster, *Jo. Clerici* studio provocatus; 2) de statu Judææ civili & religioso, nati Servatoris tempore; 3) de vita rebusque gestis Jesu Christi; 4) de factis prosperis ecclesiæ Christianæ; 5) ac adversis. In historia exponenda expenduntur 1) status eruditionis & literarum; 2) historia doctorum Christianorum, formæque civitatis Christianæ; 3) historia doctrinæ Christianæ, seu religionis; 4) rituum & ceremoniarum historia; 5) historia sectarum, sive hæresium. Hisce partibus ac sectionibus universum hoc, Seculi primi historiam ecclesiasticam enarrans, constat opus. Delibabimus nunc singularia, nec alias facile obvia. Præsidum Romanorum injustitiam & ditescendi libidinem vivis Autor coloribus pingit. Templum *Jani*, Christo nascente, clausum fuisse, negat, ratus tamen, tranquilliores & pacatiorum fuisse tum orbem terrarum, quam fuerat antea. Ex *1 Tim. II, 2 seq.* hunc eruit sensum: *Nisi pax in orbe terrarum vigeat, fieri nullo modo potest, ut voluntati divina, que omnium hominum salutem cupit, satis fiat.* Monet solide, Deos & Numina gentium perperam pro iisdem haberi solere. Gentem unam exteram in eo fuisse, ut alteram ad ritus suos sacros vi adligeret, merito negat. Religionem Romanorum publicam a privata sollicitè distinguit. Plerosque populorum dignatos fuisse heroes defunctos cultu divino, ac eos sideribus præfecisse, judicat. Existare exempla hominum in antiquis Autoribus, qui Deorum ope meliores & sapientiores fieri optaverint, cum *Alphonso des Vignoles* monet advertit *Petrum Baylium*. Mysteria sacrorum, quibus gentes oblectarunt sese, orta fuisse ex conservanda certorum eventuum ac beneficiorum, a summis hominibus acceptorum, memoria in Orientis provinciis, pronuntiat, tandemque obvoluta silentio, & a promiscua hominum notitia callide secreta, ne insultas ceremoniarum esset in propatulo. Universam gentium religionem ad pietatem & honestatem nihil adjumenti contulisse, demonstrat. Hinc vita gentium non potuit non plerumque esse perquam impia & scelerata. Nihilominus sacerdotibus earum lubuit deformem suam religionem miraculis, ostentis & prodigiis, divinationibus ac oraculis, defendere.

De

De oraculis Autor ita sentit: *Sae graves, puto, illis causas esse, qui, calliditatem sacerdotum in utrisque versatam esse, nec tam cacodemonem, quam versutos homines, verba plerumque dedisse populis, suspicantur. Sed est tamen nonnihil, neque id nullius momenti, quo impediatur, ne cum iis plane sentiam, qui, nunquam prorsus malum aliquem genium sacerdotibus subvenisse, & plebem fefellisse, arbitrantur.* Romanorum imperium ad propagationem religionis Christianae utile certo modo fuisse, decernit. - Romanos religionem gentium devictarum in suam sensim effinxisse ob dominatus sui stabilitatem, existimat. *Pontium Pilatum* sectae Academicorum fuisse addictum, conjicit ob illa *Pilati* verba *Jo. XVIII, 38: Quid est veritas?* Novimus, hanc sententiam jam olim *Cel. J. C. Flarenbergio* in *Idea juris divini, in convincendo & refusando positi*, placuisse. *Franciscum Baltum* in *Vindictis Patrum Platonismi accusatorum*, Ven. Autor credit, modum excessisse in *Platone* castigando, nec sententiarum *Platonicarum* vim satis acute interdum peripexisse. Idem historiam *Herodum* attingit ita, ut inde statum Judaeae, qualis is *Jesu* nascente exstitit, illustret. Notat idem perditissimos profligatissimosque Pontificum Judaicorum mores, ea aetate degentium. Enarrat opiniones insanas ac supersticiosas, tunc inter Judaeos vigere solitas. Dissensiones sectarum Judaicarum succincte exponit, addens, ipsas haud ideo capitales inter se inimicitias aluisse. Fanaticis tribuit *arram bilem*, medicis refragantibus recentissimis. *Therapevtas, Philoni* commemoratos, existimat exstitisse Judaeos fanaticos, qui, a verbis legum *Mosuaicarum* discedendum, atque ritus in illis sancitos ex praescripto religionis, quam sibi temere finxerant, putaverint, esse exponendos. Ipsos fuisse reliquias Judaeorum, *Babylonem* abreptorum a *Nebucadnezare*, ut crederet, animum suspicacem inducit. Essaeorum origines *Maccabaeis* antiquiores esse, arbitratur. *Herodianos* fuisse dictos, sibi persuadet, qui, Romanos, putaverint, injuste *Herodis* filiis imperium in dimidiam Palaestinae partem, quam provinciae forma donaverant, eripuisse. Credit, rationibus opinionem hanc a sese esse probatam. in *Observationibus ad historiam de numo census*. Suffragatur eis, qui existi-

Pag. 57.

58.

67.

73.

75.

81.

83.

- existimant, Karæos, seu Caraitas, jam ævo nascentis Jesu existisse, ac in Nov. Test. vocari *καραιῖς*. Epulonem opulentum, *Luc. XVI, 19*, memoratum, Sadducæum fuisse credit, ac parabolam de epulone in historiam convertit. Cabhalam, arcanam Judæorum sapientiam, ex Ægyptiorum, fortassis & aliorum populorum, ineptis opinionibus magna sui parte constaram esse, conjicit. Communitatem bonorum ubique primos inter Christianos viguisse, jure denuo negat, suffragatoribus haud inops. Decretum *Tiberii*, quo Christum in numerum Deorum referre voluit, haud esse confictum, largitur. Fæcem duntaxat vulgi dedisse Christo nomen, quæ *Isaaci Vossii* fuit opinio, merito negat. Divinam religionis Christianæ amplificationem a *Thomæ Hobbesii* calumnia vindicat. Legem Romanam jam adfuisse ante *Plinium*, quæ ferri Christianos vetuerit, ex *Plinii* Epistola contra *Franc. Baldwinum* ostendit. Suspiciatur, a Romanis Christianæ genti obiectum fuisse odium generis humani, eo quod Christiani docuerint, gentes a Christo alienas esse malorum geniorum mancipia, æternis pœnis devota. Plures putat existisse Martyras, quam *Dodwellus* statuit; pauciores tamen numero illo, qui circumferri solet. De Martyrologiis ita sentit: *Aut ab imperitis hominibus collecta, aut fallaci manu depravata sunt, aut antiquitatem mentiuntur. Neronianam* persecutionem ad eos quoque, qui extra Romam degebant, progressam esse, probabiliter satis ostendit. Disciplinam errorum Perfidii olim priorum per totam Asiam sese effudisse, in Ægyptum manasse, & extinctis nondum Apostolis, ad Christianos pervenisse, ejusque hæud paucos sectatores turpiter corrupisse, tradit. De origine Gnosticorum doctè disserit, eamque Christiana religione verustiore existimat. *Gnosticisimum* ex *Platonismo* ortum fuisse, negat. Naturam ejus exponit, ad originem mali exponendam id philosophiæ genus comparatum fuisse, docens. Ad *æones* respici a *Paulo* 1 *Tim. I, 4, IV, 7*, sibi persuadet, Gnosticismo familiares. *Γνώσις* perversam jam *Pauli* ætate innotuisse, ostendit. *Æonas* Gnosticorum completi Deum ac naturas, ex eo fluere creditas, cui vel quibus certum operandi & agendi intervallum in mundo intelligibili assigna-

assignaverint, conjeat, ostenditque simul, eos æonas ex Cab-
 bala exponi haud posse. Incunabula Gnosticorum in Chaldæa
 detegit. Inde scabiem hujus Metaphysices per Judæos, e Ba- Pag. 148.
 bylonia reduces, reductam ad lares patria, & ad *Mosaicæ* do-
 ctrinæ complexum attemperatam fuisse, existimat. Cabhalam
 jam Apostolorum ævo Judæis fuisse adamatam, largitur. Res 151.
 zanti momenti extra dubitationem collocata fuisset, malle-
 mus. A *Vespasiani* temporibus desisse sensum sapientiæ studia apud
 Romanos, pronuntiat. Ministerii ecclesiastici originem a Jesu
 arcessit, qui ecclesiæ suæ consultum voluit per doctores, cum
 extraordinarios, tum ordinarios. Scopus sane instituta eccle- 155.
 siæ hoc exegit. Apostolos tradit existisse legatos divinos, po-
 testate leges ferendi, fontes & improbos, si e re videretur,
 coercendi, miracula denique faciendi, instructos. Potesta-
 tem legislatariam illam Apostolis, invito Jctorum quorundam 157.
 suffragio, vindicat, & dissentientium argumenta elidit. Munus
 doctoris, & munus legati extraordinarii, in Apostolo quovis di-
 scernendum esse, sollicite monet, in illud, non in hoc, eccle- 159.
 siastas successisse, ratus. Christum de forma ecclesiæ nihil sigil- 163.
 latim præcepisse, significat. Monarchiam adspectabilis eccle-
 siæ commenticiam appellat fabulam bellam. Amicos Jesu Chri-
 sti, supremum hujus orbis diem & reditum Christi brevi exspe- 164.
 ctandum esse, ipse credit, putasse. Liceat vero existimare,
 eos ab hac sententia satis fuisse alienos, erronea quippe, ulti-
 mamque horam & *παροισίαν* Christi instantem pertinere ad ul-
 tima œconomix *Mosaicæ* tempora, & pœnam, quam Chri-
 stus a Judæis excidio Hierosolymorum templique expetivit.
 Formam ecclesiæ, qualis fuit illa tempore Apostolorum, tem- 167.
 porum nostrorum esse normam, merito adversus *Salmusium*
 Cel. Auctor inficiatur. *Baronius* & *Petavius* idem jam sentierunt,
 ac simul traditionum fidei, ac juribus Pontificis sui, ex ultima an- 169.
 tiquitate deduci solitis, hac ratione exitium pararunt. Cogni-
 tionem, tantopere jadatam, Synagogam inter & ecclesiam Chri-
 stianam, Noster, filii, ait, dubiam videri. Evertit deinde
 hanc sententiam, & de ipsius *Campegii Vitringæ*, qui eam ope- 171.
 rotissime propugnavit, consensu lætatur. Prophetas, in seri-

- ptis Apostolicis commemoratos, interpretes fuisse librorum divinorum, negat. Reputat eos potius pro doctoribus extraordinariis, divinitusque excitatis, qui voluntatem supremi Numinis variis de rebus, quam ipsimet patefactione quadam acceperint traditam, in populi Christiani concione proposuerint, ac interpretati sint. Presbyteros haud singulos facultate valuisse fratres erudiendi atque instituendi, sciscit. Plerosque tamen Presbyterorum munus docendi gessisse, ostendit solide ex *1 Tim. III, 2, & Tit. 1, 9*. Diaconorum Seculi primi indolem fecernendam demonstrat a Diaconis Seculi II & III. Episcopi enim sensim procurationem ac distributionem donorum, in inopes conferendorum, sibi vindicarunt. De origine Episcoporum sic sentit: *Ego quidem nihil dubito asseverare, sublatis nondum Servatoris nostri legatis, usu invaluisse, ut, in majoribus saltem civitatibus, unus rempublicam sacram cum autoritate quadam moderaretur. Quoque diutius statum Christianorum aetatis illius cogito, eo confidentius mihi persuadeo, salutem & tranquillitatem ecclesiarum poposcisse, ut uni principatus quidam inter fratres deferretur.* Discrimen, inter Episcopos primæ aetatis ac inter eos, qui postea exorti, intercedens, prudenter inculcat. Baptizatos a Presbyteris confirmarunt Episcopi unguendo & precando. Hanc Noster *confirmationis* originem existimat. Presbyterorum eum, qui aetate & senio excelluerit, præsedisse reliquis Presbyteris, ac Episcopum re vera existisse, quæ Presbyterianorum, *Blondelli, Bahmeri, Pertschii*, & aliorum, sententia est, negat, & testimonium *Hilarii* nulla esse autoritate, sibi persuadet. Fundamenta, e quibus exorti fuerunt Archiepiscopatus, recenset & probat. Id vero, quod genuina ecclesiæ vivæ membra splendore & gloria perfudit, minori cura investigavit, notius quippe & magis pervulgatum. Chorepiscopos pro ablegatis ab Episcopo in villas & rus doctoribus habet, qui Episcopis minores, Presbyteris majores, existierint. Ubi libertatem docendi, veteres inter Christianos receptam, expendit, egregie prorsus Separatistas & JCros, qui religionis & Servatoris nostri ministros convertere conantur in ministros civitatis, erudit & instituit, ostendens, nequaquam
in

in ecclesia prima omnibus Christianis, spreto legibus & autoritate antistitis, licuisse verba ad concionem facere, vel cogere coetus privatos. Copiose hoc argumentum exposuit & illustravit Autor, nostra ætate inprimis expendendum, qua fanaticæ licentiæ suffragantur viri summi, præcipitia sententiarum suarum haud satis formidantes, perturbationique ordinis ecclesiastici frigidam suffundentes. Locum *Hilarii*, quem illi loco capituli *Medusæ* dissentientibus obsecant, Autor, licentiosis laicorum moribus, munus docendi invadentium, haud favere, ostendit. Quæ de scriptorum Novi Testamenti apocryphorum origine commentatur, ea omne serunt punctum. *Clementis Romani* Epistolam priorem haud omni depravationis suspitione vacare, existimat. Fabula certe de phœnice ave inibi est intrusa, nec non ea, quæ à *Cap. 22 ad 28* de resurrectione corporum mortuorum agunt, universa, immo alia, quæ Autor Ven. feliciter definit. An *Ignatii* Epistolæ breviores, quales illæ e Codice *Mediceo* prodierunt, ubique sint genuinæ, videtur dubitare. *Hermæ Pastorem* Seculo II scriptum esse, haud occulte significat. Traditionibus nullum in prima ecclesia fuisse locum ratione doctrinæ alicujus, a verbo divini, in literas relato, diversæ, accurate demonstrat. De origine allegoricarum Scripturæ Sacræ interpretationum docte commentatur. Origines disciplinæ arcani exquirat solenter. Refellit eos, qui Christianos inter primos nihil reprehensione dignum existisse, opinantur. Excommunicationem ecclesiasticam, contendit, esse juris divini. De origine Conciliorum ea expendit, quæ III. *Justo Henningo Babmero* probata fuerunt, dissentiumque suum moderatissime edisserit. Statum diem, quo convenerunt ante lucem Christiani primi, contendit solis existisse diem. Inunctionem ægrotorum ab Apostolorum ætate derivat. Hæreses solícite evolvit, atque in eis exponendis facile obtinet principatum. Ut vero solet orbem eruditum Ven. Autor promissis grandibus sibi devincire; ita in hoc etiam volumine promissis admodum fuit dives pag. 23, 47, 123, 125, 177, 202, 231, 281, 308, &c. Jubeat modo Deus benignissimus Ven. Virum seculo ad cœlum ire.

Pag. 195

201.

211.

215.

222.

229.

246.

254.

304.

379.

VIE DE PIERRE GASSENDI, &c.

id est,

VITA PETRI GASSENDI, PRÆPOSITI EC-
clesiæ Diniæ, & Professoris Mathematicum in
Collegio Regio.

Parisii, typis Jacobi Vincenti, 1737, 8.

Alph. 1 plag. 21.

Excelluit quondam *Petrus Gassendus* cognitione Philosophiæ, Historiarum, & Astronomiæ, ac propemodum scientia disciplinarum universali. Digna erant merita tanti scientiarum statutoris, quæ invenirent scriptorem, tantis dotibus virtutibusque parem, qui laudibus celebraret stili perspicuitatem, ratiocinationis accuratorem, in *Gassendo* elucentem, ac victorias, per *Gassendum* ex *Fluddio* & sectatoribus *Aristotelis* reportatas. *Gassend* & *Gassendus* viro huic fuit nomen, quemadmodum literæ ejus superstites indicio sunt. Lucem adspexit ipse A. 1592, 22 Jan. in villa Provinciæ *Chanterfier*, milliari quæ distat uno ab urbe *Diniæ* versus occidentem solem. Ipse fuit proles rustica, honestis piisque parentibus alioqui natus. Septimo jam ætatis anno spectavit sidera, parentibus sese noctu subducens. Erudivit ipsum primo ecclesiastes loci. Decem annos natus jam excepit Oratione Latina Episcopum Dinensem, *Antonium Bononiensem*, eo venientem, ac, audita Oratione, divinantem, puerum illum fore magnum scientiarum heroem. *Diniæ* posthæc ad studia incubuit. *Wendelino* ipsum usum esse præceptore *Diniæ*, sunt, qui tradunt, magnopere halucinati.

5. Tam celeriter ipse *Diniæ* arripuit literas humaniores, ut universi ipsum appellarint *parvum Doctorem*. Composuit Comœdias, proso ligatoque sermone venustas, in ædibus optimatum solitas recitari. Philosophiam hausit ex *P. Philiberto Fesaye*, Carmelita, Avenione nato, scilicet *Aristotelicam*. Cum lauream philosophicam *Diniæ*, natus annos 16, consecutus esset, concessit *Aquas*, Theologiæ nomen daturus, præeunte *M. Raphaelis*.

7. Didicit ibi Theologiam scholasticam, expositioni scriptorum

Pag. 3.

ptorum diviniorem invigilavit, Græcam Ebraicamque linguam excoluit. Verba subinde e suggestu sacro ibi fecit, applaudentibus quibuscunque. Eloquentiæ suæ debuit professionem theologiam Forcalquieriæ imprimis, quæ cum reddituum esset tenuiorum, proceres ipsi pensionem 400 librarum æris Gallicarum adjungere. Posthæc Dinensem, lautiolem quippe, meruit professionem theologiam, ac eapropter A. 1614 doctoralem Theologiæ dignitatem cepit in Academia Avenionensi. Obtinuit disputandi gloria cathedram philosophicam & theologiam, Aquis vacantem; hanc tamen posthæc cessit præceptoris quondam suo, *Fesayo*, illam sibi reservavit. Venit ibi in notitiam ac amicitiam *Claudii Nicolai Fabri de Peiresci*, Consiliarii Ordinum provincialium Provinciæ, & *Josephi Galtieri*, Prioris Valetæ, & Vicarii magni Archiepiscopatus, quorum ille erat sæculi sui Mæcenas, hic vero unus e primis Mathematicis ac Astronomis. Æque acceptus fuit *J. B. Morino*, Mathematicum Professore in Collegio regio, & *Ismaeli Bullialdo*, Astronomorum gloriæ. Annum unicum docuit Philosophiam. A. 1617 sacerdotem agere cœpit. Ex quo tempore operam navavit Philosophiæ reformandæ, sideribusque spectandis. A. 1618, 28 Nov. primum applicuit studium cœlo stellifero. Observationes suas, ex eo tempore peractas, ipse descripsit, ediditque A. 1655. Astrologiæ judiciariæ dedit temporis non parum; postea resipiscens, Deum veniam gratiamque stoliditatis admittæ oravit. Astrologiam posthæc publice refellit. Anatonem corporum humanorum & spectavit avide, & perite administravit. Cum animi causâ iret in villam *Peynier*, distantem Aquis tres leucas Gallicas, observavit lumen noctu, micans ex plaga septentrionali; idque primus appellavit *aurorum borealem*. Gratianopoli A. 1624, 8, edidit *Exercitationes paradoxicas adversus Aristotelaos*. Ultra *Librum secundum* nil in publicum emisit, quinque reliquis sibi reservatis, eo quod Pontificii credebant, religionem suam *Aristoteli* esse superstructam; & quamplurimi jam in *Gassendum* tentabantur motus. *Gassendus* putavit, *Asellium* detexisse duos canales, qui ex hepate ad intestina advehant nutrimentum conducibile.

Pag. 8.

9.

11.

14.

17.

23.

- Pag. 35. ducibile. At in eo sefellit sese. *Afellius* nihil præter ductus mesaraitos detexit novi. *Pecquetus* detexit primus ductum thoracicum. In eo autem haud erravit *Gassendus*, quod figuram nivis sexangularem detexit & observavit primus. Amice 38. agitavit controversiam cum *Helmontio*, contendens, convenientiores cibo humano esse fructus frugesque carnibus. *Joannes Brigern* traditur fabulam de *Rosacrucianis* effinxisse pag. 45. 79. *Gassendus* vero inter primos declinationem magnetis animadvertit. Hæc & complura alia, quæ ad historiam ejus ætatis literariam spectant, scriptor vitæ *Gassendianæ* annotavit sollicite. Si dixerimus, hanc vitam esse literariæ rei promptuarium, veritate gaudebimus faurice & amica. *Joannis Kepleri*, A. 1630 defuncti, vitam compendiosè hic relatam esse, 90. significare oportet. *Gassendus* A. 1631 observavit transitum Mercurii per Solis discum, cum Parisiis ageret, primus, prædictione *Kepleri* excitatus ac incensus. Addit vitæ scriptor subsecutas phænomeni ejusdem observationes. Mirum est profecto, *Gassendum* jam progressum macularum solarium ex systemate *Copernicano* exposuisse. *Scheinerus*, se a *Galileo* fuisse minus benigne habitum in Dialogis quatuor, *Gassendo* significavit. Unde fit verisimile, *Scheinerum* calamitatis, quæ *Galileum* posthæc pressit, fuisse adiutorem. Ipse sic judicavit 97. *Gassendus*, ac *Gassarellus* literis ad *Gassendum*, ex Venetiarum urbe datis, id ipsum confirmavit. *Galileum* certe *Gassendus* innocentem fuisse criminis objecti, sæpius declaravit. Vitæ *Gassendianæ* scriptor historiam litis philosophicæ ac theologicæ, *Galileo* intentatæ, studiosè persecutus fuit, & *Gassendi* vitam concinnavit tam eleganter & heroi suo congruenter, ut ipse id honoris *Gassendo* conciliasse censendus sit, quod *Gassendus* quondam *Peirescio* præstiterat communi omnium applausu. 106. 117.

**SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE AD
 loca quædam Juris depravata, quod pro gradu Doctoratus eruditorum examini submittit MATTHIAS
 ROEVER, Delph. Batavus, ad diem 13 No-
 vembr. 1739.**

Lugduni

Lugduni Batavorum, apud Cornelium Haak, 1739, 4.

Plag. 11½.

Non in more nobis est positum, Dissertationes Academicas in his Annalibus exhibere, nisi quidem sint tales, quæ doctrinæ elegantia se commendent, paucisque Germanorum nostrorum innotescant. Jure igitur meritoque aliquem sibi locum hic vindicat præfens *ad loca quædam Juris depravata Specimen inaugurale*, cujus Autor, pluribus jam limatissimis Opusculis clarissimus, eo annis est, ut non obvia ubivis, aut centies dicta, repeteret, chartisque mandaret, sed ingenium potius in ejusmodi exerceret locis, quæ ab aliis vel prætermisâ silentio, vel post sedulum laborem nondum ad liquidum perducta, observaverat. Nec invita sane Minerva consilium hoc executus est. Omnia enim literarum humaniorum luce coruscant, & modesti fanique Critici imaginem referunt. De quo ut inter harum rerum amatores certius constet, singula eruditi Opusculi argumenta enarrabimus. *Quindecim* illud *Capita* complectitur. *Primo* inter ea *Cujacii* emendatio in *Fragmentis Ulpiani Tit. 24 §. 14* rejicitur, & in ejus locum nova substituitur; *Mosaicarum & Romanarum Legum Collatio* bis emendatur, & tandem *Ger. Noodtii* conjectura refellitur. *Capite altero* vera lectio *Paulo* asseritur in eadem Collatione *Tit. 4 n. 3*; obiter emendantur *Plinius & Seneca*; explicatur *lex 1 §. 6 D. de Postul.* & annotatio Græci *Jcti* ad eandem legem ex Codice *MSto* eruitur. *Caput tertium* explicat & corrigit *Ulpianum*; *Jac. Gothofredi* conjecturam improbat, novamque proponit; Codicem *Theodosianum* in *l. 6 de Malefic.* emendat; *Philoxenum* explicat & corrigit. *Quarto Capite* Rescriptum *D. Severi* emendatur; *Celsi* locus corrigitur; *Diocletiani & Maximiani* Edictum castigatur; *Paulus, Ulpianus, & Papinianus*, corriguntur. In *quinto*, quod sequitur, *Capite* Autor Clarissimus conjecturam proponit in *l. 11 §. 10 D. de Donat. inter vir. & uxor.*; *Aniani* interpretationem ad *Pauli Sent. Lib. V Tit. 34 §. 2* ex *MSto* refert & corrigit, pariterque ad varias Digestorum leges suspiciones suas cum eruditis communicat. *Sextum Caput Pauli* Sententiæ, compluribus in locis, medicinam affert. *Septi-*

Septimum autem varia illustrat in *l. 1 §. 3, 5, & 6, D. de Postul.*; Græci cujusdam Jcti ad eam legem annotationes producit, & *Lampridii* locum in *Vita Heliog. Cap. 15* a *Claudii Sarmasii* emendatione critica vindicat. In *Capite octavo Ulpiani Fragmentis* quatuor in locis mederi studet doctissimus *Ræverus*, & Collationem Legum Mosaicarum & Romanarum ter restituit. *Capite nono Petronii, Plinii, ac Festi*, loca, ad jus Romanum spectantia, indicat atque emendat; de luctu viduarum nonnulla subjungit; in veram rationem ferendarum legum *Furiae & Voconix* inquirat, & *Paulo* in *l. 12 §. 3 D. de Administr. & peric. tutor. ex Apuleji Met. Lib. X pag. 227* lucem affundit. *Decimum Caput Institutiones Caji* ex Codice manu exarato multis in locis ad genuinam lectionem revocat; *undecimum* autem in corrigenda *l. 19 C. de Episc. & Cleric.* potissimum est occupatum. *Capite duodecimo* Edictum *Diocletiani & Maximiani de Manichæis* hinc inde explicatur & emendatur; *Theodosii & Valentiniiani* Novella castigatur, & *Petri Siculi* locus quidam velut in transitu corrigitur. *Caput tertium decimum* inscriptum est ita: Mosaicarum & Romanarum Legum Collatio plurimis in locis emendatur ex Codice *Josephi Scaligeri*; *Isidorus* obiter castigatur. *Decimum quartum Caput* loca quaedam emendat in *Dosithei* libello, qui *Hadriani* Sententias continet, pariterque veteris Jcti Fragmentum, quod nuper ediderat *Clarissimus & Græcarum literarum scientissimus Autor*, corrigit atque illustrat. *Postremi* denique *Capitis* argumentum est emendatio Novellarum Constitutionum *Theodosii, Valentiniiani, Majoriani, & Anthemii*, quod ipsum variis in locis tentavit *Autor*. Addeamus nunc speciminum nonnihil, ut *Criticum nostrum Lectores*, velo quasi levato, paulo penitius cognoscant. *Pag. 36* elegans observatio est de *Carfania*, quæ inverecunde postulavit olim. Sæpe illa *Criticorum* senatum inquietavit, dubia scilicet nominis lectione; nam a quibusdam appellatur *Calburnia*, ab aliis *C. Afrania*, in Florentino Codice *Carfania*, & sic *Basilicos* referre, *Cujacius* monuit. Sed, frustra in editis *Basilicis* hanc quæri foeminam, evincit *Clariss. Ræverus*; unde non improbabilis ei suspicio suboritur, eodem, quo

quo ipse usus est, MSto Codice usum quoque *Cujacium* fuisse. Idem existimavit vir magnus, *Carfania* mentionem injectam esse a *Juvenale II, 69*, cui accedere non dubitavit *Janus a Costa ad §. 3 l. de Susp. tutor.* At vero corrupta est lectio. Prima Satyrici editio habet *Corfinia*, alii libri antiquiores *Carphinia*; ut adeo eorum sententia haud videatur rejicienda, qui hanc foeminam, quam *Juvenalis* memorat, diversam ab illa esse volunt, cujus in *Digestis* nomen exstat. Accedit, quod Satyricus in ista muliere non carpat litigandi libidinem, sed impudicos potius mores, nisi dixeris, impudentiam & impudicitiam belle conjungi. *Pag. 46* mendum in *Petronio Cap. 72* indicatur. Quovis pignore contenderet literatissimus Autor, pro verbis *muliebri errore* excidisse scriptoris calamo *muliebri marore*, & sic lepide militem, qui apud *Petronium* mulierculam alloquitur, ad viduarum alludere ludum. Quod ne temere factum quis dicat, ad *Senecam* in *Consol. ad Helv. Cap. 16*, *Apulejum Met. Lib. VIII pag. 157*, & *Tacitum* in *Vita Agric. Cap. 28*, provocat, horumque autoritate sua ipsius conjecturae auctoritatem conciliat praclarissimi ingenii *Raverus*. Idem *pag. 59* in *l. 5 C. de Postul.* verba, in eadem *severitate permanserint*, vitio laborare credit, & pro *severitate* legere nos *scavitate* jubet, quod ipsum jam *Cujacio* venisse in mentem, animadvertit. Subjungitur exemplum simul ex *Apuleji Metam. Lib. IX pag. 183*, ubi sic se habent verba: *En! indigna rei scavitatem, quam plerique insontes periclitantur homines.* Et haec sunt quaedam conjecturae *Raveri* nostri, satis, ut arbitramur, felices. In paucis si rem accuratissime non videatur, eum Poetae *Venusini* dictum excusat:

Non semper feriet, quodcumque minabitur arcus.

Kurze Historische Nachricht von dem Stapelrecht der
alten Stadt Magdeburg, &c.

hoc est,

SUCCINCTA HISTORICA EXPOSITIO
Juris Stapulae urbis vetustae Magdeburgi; in qua si-
mul de pristinis Burggraviis, & eorum in Palco-Mag-
deburgi

deburgi civitate juribus, exponitur, & qui deprehenduntur in D. Benjamin Leuberi libro: Magdeburgischer Stapel-Unfug, nevi ac errores deteguntur, aliorumque objectiones profligantur. Confirmantur omnia probatissimis documentis, fideque dignis relationibus, ac Historicorum testimoniis.

Magdeburgi, apud Gothofredum Vetterum, 1741, 4.
Plag. 20.

Continentur hoc libro vindiciæ juris Stapulæ Magdeburgi veteris, *Leubero* aliisque opposita. In Præfatione Autor exposuit de controversia, ob Diploma *Otonis I*, ad A. 940 referri solitum, superiori Seculo agitata, quam præcipue *D. Benjamin Leuberus*, Electoris Saxonix in Lusatia superiori Procurator Cameræ, scripto, A. 1648 publicato, auxit, quippe qui, Diploma illud esse supposititium, contendit. Genuinum illud *D. Joannes Borcholtus*, JCrus Helmstadiensis, reddere tentavit in Consilio, ea super re impertito. Hoc autem refellit *Leuberus* in *Disquisitione plenaria Stapulæ Saxonice*, propemodum communibus omnium suffragiis approbata. Ab hoc tamen dissensit *Henricus ab Henniges* in *Meditat. ad Capitul. Josephi Art. 20 pag. 245*. Contendit *Leuberus* docere, 1) jus stapulæ, navigationis per Albim, commerciique frumentarii ibidem, ævo *Carolingidarum* penes *Missos* regios fuisse; 2) ab eis vero ad *Burggravios* pervenisse; 3) *Otonem* jus stapulæ Archiepiscopatu Magdeburgico quidem concessisse, ea tamen lege, ut inspectio ac directio juris illius cum omni commodo & emolumento esset *Burggravorum* propria; tandem vero 4), *Electorem Saxonix*, qua *Burggravium* Magdeburgicum, id jus primo *Halas* ad *Salam*, deinde *Lipsiam*, transtulisse, atque ideo *Stapulam Lipsiensem* esse *Saxonicam* illam Imperii *Stapulam*. Inficiandum haud est, *Leuberum* subinde ea pro certis posuisse, quibus deest fundamentum. Autor itaque argumenta *Leuberi* examinavit, & sententiam suam de *edictis platearum*
Electo-

Electoralibus Saxonis dicit, horumque originem & momenta disquirere tentavit. Inprimis historiam Stapulæ Palæo-Magdeburgicæ exhibere studuit, ac confirmationi jurium Magdeburgicorum, A. 1666 a Sereniss. Electore Brandenburgico obtentæ, tandem superstruxit. Non opis est nostræ, tantas componere lites. Recensimus genuine summam tractationis, & ab omni iudicio abstinemus. *Caroli M.* ætate existit Magdeburgum, idque negotiatoribus illustre. A. 965 *Otto I* Abbatæ novæ Magdeburgicæ donavit *mercatum, telonium, & vannum regium in Magdaburg*, Advocati opera administrandum. Archiepiscopatum Magdeburgicum, ab *Ottone M.* institutum, confirmavit *Joannes XI* Ravennæ in Concilio A. 970. *Otto II & III* imperiere Archiepiscopo privilegium eligendi Archiepiscopum ex voto & pro arbitratu. Privis illis Advocatis denominatio Burggraviorum fuit indita. Missis Regiis fuisse jus Stapulæ in Albi, Misiorumque in locum venisse Burggravios, Noster haud accredit *Leubero*. Advocatum seu Burggravium Magdeburgicum ab Imperatore fuisse investitum, Autor negat, ratus, advocatiam illam a solis Archiepiscopis pependisse. Burggraviatum fuisse adhuc A. 1269 feudum Archiepiscopale, ostendit. Anno certe 1425 *Sigismundus* Imperator *Fridericum* Milnicum Electoratu Saxonie & Burggraviatu Magdeburgico infeudavit. Jus Stapulæ Autor tribuit Palæo-Magdeburgo ex præscriptione immemoriali, & confirmato a *Carolo IV* A. 1377 & a *Matthia* Imperatoribus jure negociandi frumentis in Albi. *Stapulæ* vocem, ejusque jus, meminisse docet *Fridericum Wilhelmum*, Electorem Brandenburgicum, A. 1666. Hinc applicat animum ad objectiones, a Consultiss. *Bornio*, doctissimo cive nostro, in *Diss. posteriori de Jure Stapulæ Lipsiensis*, & a *Leubero*, prolatas. Jus Stapulæ ab Electore *Friderico Placido* Halas, & deinde Lipsiam, translatum esse, negat. Jus Stapulæ Lipsiensis haud obfarcire Palæo-Magdeburgico, & intercessionibus Magdeburgensium impetitum fuisse, monet. Ostendit adhuc, Palæo-Magdeburgenses jus suum adversus Bohemica commercia, in Albi instituta, & vicinos, possessionem suam tutatos esse & propugnasse. Controversias Magdeburgicas, *Carolo V* imperante implicatas, recenset. Jus Stapulæ A. 1574

Pag. 2.

4.

7.

13.

27.

28.

23.

33.

45.

49.

- Pag. 59. a Palæo-Magdeburgensibus adversus Duces Brunsvicenses & Hamburgenses propugnatum, demonstrat. Sequuntur controversiæ, cum Hamburgi civibus exortæ. Jus Stapulæ ab Electore Brandenburgico A. 1676 confirmatum, significat. Edicta, viæ publicæ Magdeburgensis servandæ ergo promulgata, recenset. Adjungit eis bannum vialem Lipsiensem, ac de eo sententiam juridicam expromere laborat, ut illum restringat ad aurigas, ex Sillesia, non ex Bohemia, vel ex Hassia, vel Hamburgo, vel Noriberga & Ratisbona, adventantes. Tractationi subjiciuntur Documenta XVI, ex Actis publicis descripta. De Indice, non est, quod moneamus. Copiosioribus nobis esse haud licuit, ne videremur eadem recoquere vel iterare, cum statim de Vindiciis Lipsiensium sit æque exponendum, in quibus argumenta scripti Magdeburgici honestissime expenduntur, ac stricturis illuminantur,

Abhandlung von dem Stapelrechte der Alten Stadt
Magdeburg, 16.

id est,

TRACTATIO DE JURE STAPULÆ PALÆO-Magdeburgi, in qua simul argumenta ejus nonnulla examinantur, & jura urbis Lipsiæ contra Magdeburgum, ratione illius Stapulæ juris, disceptantur & vindicantur.

Lipsiæ, apud Joannem Christianum Langenhemium, 1742, 4.
Plag. 13.

Quemadmodum *Leuberi* argumenta & tractationem *Anonymus Magdeburgensis* examinavit & refellere aggressus est; ita *Cel. Autor*, pius Lipsiæ civis, ejusdemque decus, tractationem *Anonymi Magdeburgensis* sub limam & examen revocavit. Utrique sua merita volumus esse salva. Nihil autem a vero alienum affirmamus, si, *Vindiciis Lipsiensis* tractationem nil nisi modestiam, suavitatem, gravitatem, diligentiam, & soliditatem, spirare, affirmamus. Quanta in ipso sit *Historiæ Saxoniciæ* peritia, & quam accurata rerum investigatio, specimine sciagraphico declarabimus.

Ori-

Origines Magdeburgi ultra *Carolus M.* patere, largitus, monet, ea, quæ de antiquiori ætate afferri solent, esse efficta, fabulisque plena. Comitum Magdeburgi Seculo XI frequentem mentionem fieri, docet. Distinguit Burggravios Magdeburgicos Imperatorios ab Advocatis ecclesiæ, seu Burggraviis Archiepiscopalibus, probabilibus argumentis adjurus. Utrumque Burggraviatum ab uno viro nonnunquam obtentum & administratum fuisse, suspicatur. De origine Neostadii & Sundenburgi omnia ante annum 1363 incerta esse, monet. Ejusdem commatis esse originem Magdeburgicæ Stapulæ incertam, addit. In convellendis Consultiss. *Jac. Henr. Bornii de Jure Stapulæ & nundinarum civitatis Lipsiæ Commentariis*, in urbe nostra A. 1739, 4, publicatis, præcipuam Anonymus Magdeburgensis operam collocavit. Eum igitur denuo Autor noster, cui a partibus *Bornianis* stare libitum fuit, examine fuit dignatus, ostendens, a Palæo-Magdeburgo jus stapulæ nunquam fuisse obtentum, & argumenta, in contrarium allata, abire in auras. Ut membrum demonstrationis prius firmet, digitat, 1) Palæo-Magdeburgo deesse sufficientem juris stapulæ titulum; 2) jus vehendi frumenta per Albiam diversum esse a jure stapulæ; 3) ea, quæ inde a 200 annis facere possunt ad propugnandum illud jus, ab Imperatoribus Regibusque Romanis per privilegia, Lipsiæ urbi impertita, fuisse pro irritis declarata, penitusque extincta. Nemo certe huc usque produxit privilegium, quod Imperator ullus Palæo-Magdeburgo indulserit. *Ottonis I & II* Diplomata sunt infra fidem, nec a Magdeburgensibus ad jus stapulæ propugnandum amplius adhibentur. Haud meminerunt juris stapulæ *Carolus IV* A. 1355 & 1377, aut *Sigismundus* A. 1431, aut *Fridericus III* A. 1447, aut *Ferdinandus I* A. 1362, qui privilegia Palæo-Magdeburgi confirmarunt. In consimili confirmatione *Matthiæ* A. 1616 frustra illud quæritur. In decreto Imp. *Maximiliani II* sit A. 1574 apud *Werdenbadium* juris stapulæ mentio, sed secundum ea, quæ a Magdeburgensibus fuerant relata. Noluerunt illud jus Magdeburgensibus impertire vel confirmare *Rudolphus II*, & *Ferdinandus II*, atque *Ferdinandus III*. In Comitibus Ratisbonensibus A. 1654 jus stapulæ

Pag. 5.

7.

9.

- pag. 13. **pula** Magdeburgicæ a Collegiis superioribus declaratum fuit jure destitutum, ac turbulentis belli temporibus usurpatum. Immemoriali præscriptioni, a Palæo-Magdeburgensibus venditæ, Cel. Autor, obstare, existimat, defectum actuum publicorum, continuorum, frequentium, & uniformium, commerciorum frumentariorum indolem, contradictionem Electorum Saxonie perpetuam, ex quo Sec. XVII commercii frumentarii Magdeburgici notio in jus stapulæ dilatarî a Magdeburgensibus cepit. Addit, A. 1497 Palæo-Magdeburgum sibi jus stapulæ nondum tribuisse, cum Lipsia jus nundinarum & stapulæ, ad 15 milliaria circumquaque exercendum, obtinuit ab Imperatore, cujus olim potestati hoc jus fuit reservatum. Privilegiis claris sola præscriptio, privilegio vacua, an opponi possit, merito dubitant Jcti. Jus per Albim vehendi frumenta Noster Palæo-Magdeburgo haud invidet, nec de eo disputat. Id vero jus stapulæ complecti, negat. A. 1538 Hamburgenses & Magdeburgenses transactionem inierunt de navigatione frumentaria & *cerevisia*. A. 1562 in foedere urbis, cum Archiepiscopo *Sigismundo* inuito, addita fuit mentio *mercatus piscium*. Paulo post in transactione cum Ducibus Brunsvico-Luneburgicis conciliata commemoratur illud jus prima vice, quod A. 1666 dominus novus Magdeburgi, *Fridericus Wilhelmus*, Elector Brandeburgicus, agnovit. Vocatur illud inibi *eine gebührende Niederlage und Stapelgerechtigkeit*. Vox *Niederlage*, *Niederlage*, jam Seculo XIII & XIV tritissima, in documentis Palæo-Magdeburgicis ante A. 1574 est res inaudita. Jus navigandi frumenti denotat jus *naves frumentis onerandi, ac eas, immunes a vectigalibus, deferendi per flumen, vel mare*, quod in *Capitul. Caroli VII Art. 8* a jure stapulæ distinguitur. Illud Cel. Autor invenit in chartis Palæo-Magdeburgensium ante A. 1562, hoc haud æque. Cum vero inde ab anno 1529 Imperatores stapulas & nundinas imperiales omnes circa Lipsiam ad 15 milliaria Germanica, sive immemoriali præscriptione & usu, sive Imperatorum constitutione, nitentes, pro irritis declararint; Cel. Autor inde perimit, quicquid de jure stapulæ Magdeburgensis circumfertur. Tum vero idem progreditur ad scriptum
- Anonymi*

Anonymi Magdeburgensis, laborans, ut argumentum ejus, ex præscriptione immemoriali desumptum, subruat & evertat, nervosque novem criteriis illius præscriptionis incidat, si quibus ea viguerunt pro nonnullorum opinione. Edit primus Diploma *Caroli V*, quo ipse A. 1547, 20 Jul. Magdeburgum in gratiam recepit. In eo fit mentio *der Niederlage zu Wasser und zu Lande*, expositionis mercium terra marique, *sämbe derselben zugehörigen Jahrmärkten*, cum nundinis, ad eam referendis. Non dubitandum putat Autor, depositionem illam denotare jus merces in nundinis exponendi. Quæ Magdeburgensis Autor & Apologeta porro recenset pro præsidio & propugnatione juris stapulæ, ea persequitur Vindex Lipsiensis, ratus, in eis nil minus, quam juris stapulæ Magdeburgensis præsidium, situm esse, & *Burchardum*, Archiepiscopum, ad transactionem A. 1307 cum oppidanis Palæo-Magdeburgi ineundam vi & necessitate compulsus fuisse. De statutis *Rolandinis* annotat pauca, copiosiori expositione digna, & ostendit, *Fridericum III* Imp. Comitibus *Muhlingi* & *Barbiæ* privilegium vehendi frumenta per *Albim* impertiisse, Comitesque eo fuisse usos. Jus hanni platearum ex natura stapulæ Lipsiensis colligit & vindicat, ejusque amplitudinem & antiquitatem ostendit. Non est, quod nos iudicii, supra lati de hac tractatione, pœniteat, vel pœnitere possit.

Pag. 31.
49.

53.

69.

73.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD INCREMENTUM Scientiarum ab his, qui sunt in colligendis Eruditorum Actis occupati, per Partes publicata.

Voluminis I Pars II.


Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschium, 1742, 8.

Plag. 12.


Vires acquirunt eundo *Miscellanea* hæc nostra. Prodit jam in lucem *Voluminis primi Pars secunda*, offerens momenta septem. Scenam aperiens *Joannis Christophori Harenbergii Cogitata de Inopia pluviae in Egypto, ac malis, inde exoriri*

- Pag. 177 exoriri solitis, ad illustrandum locum Deut. XI, 9, 10 seq. Deus enim, ut per *Mosen* Israelidas ab amore & grata memoria Ægypti disjungeret, principatum, ostendit, Palæstinæ esse tribuendum præ Ægypto, eam præcipue ob causam, quod Ægyptus laboret pluvix inopia, ac eapropter conficeretur cum morbis, inde exortis, cum aere sicciori ac ferventissimis notis, & cum corporum animique calamitatibus sit conjunctissima. Nil horum infestavit Palæstinam, quippe quam crebri rivi, amnesque amoeni, pluvix crebriores, aer salubris, ac corporum humanorum salus, commendabilem reddiderunt. Ne igitur vis argumentationis hujus divinæ lectores Codicis sacri latere possit, Autor, quam potuit, operam dedit. Inprimis ex scriptoribus fide dignis, infrequentem Ægypto contingere raramque pluviam, ostendit. Omnem Ægyptiorum spem in Nilo exuberante positam esse, adjungit. Per *alveum Schibbor*, Jer. II, 18, commemoratum, designari, demonstrat, canalem, e lacu Sirbonide in mare magnum profluentem, ratus præterea, ex Deut. XXVIII, 68, perspicui, tramitem cursumque itineris, ab Israelidis, Ægypto relicta, iniri per oram maris mediterranei, partemque lacus, modo demonstrati. Nilum instar Dei quondam fuisse cultum, tradit. Fœcunditatem, quam sentiunt mulieres, Nilum bibentes, deducit ex limo nitroso, diutissime intra Nilum excocto & preparato. Delta inundatum mari esse simile, ac ideo dici *mare Jof. XVIII, 2*, monet. Calorem æstivum Ægypti flagrantissimum copiosa exequitur oratione, haud oblitus turbinum arenosorum, qui instar tempestatum nonnunquam Ægyptiis incumbunt. Dissasit deinde de austro æstivo, Ægyptiis per 50 dies funesto ac fatali, quippe quo permulti sæpius homines spiritu orbantur. De hoc vento, *Sammiel Orientalibus dicto*, fusius exponit. Progreditur porro ad austrum, tempore Nili exundantis spirantem, qui Ægypto invehit febrem, pelles, & morbos quoscunque. Etesias in Ægypto ab aquilonibus spirare, docet. Ex inopia refrigerati aeris in Ægypto arcessendam putat indolem Ægyptiis propriam, fervidam nempe, igneam, callidam, levissimam, voluptatibusque venereis addictam. Mulieres Ægyptiorum olim
- rem

rem cum hircis habuisse, ex *Pindaro, Strabone, & Æliano*, confirmat. Exponit tum legis *Levit XVII, 7*, sensum, qua Deus sanxit, ne quis Israelitarum victimas hircis offerat. Hinc enumerat morbos, ex insalubri aqua Ægypti exortos, pestem, vitiliginem, lepram, elephantiasin, scrotorum inflationem, scabiem feram, melancholiam, & cœcitatem. Illustrat obiter locum *Deut. XXVIII, 27, 28, 60*. Morbum, quocum *Jobus* conflicatus fuit, existimat, *elephantiasin* fuisse. Medicos, Seculo VI antiquiores, ab ipso sæpius fuisse lectos & evolutos, facile persuadet familiaritas, quam cum iis videtur contraxisse. Horum enim autoritate perpetuo in rem suam utitur. Vocem עמוליי designare *serota*, verosimillime commo-
strat. Indicari *hemorrhoidas* illa voce, ob locum *Deut. XXVIII, 27*, constanter inficiatur. Hæmorrhoides enim sunt beneficii in loco deputandæ, tantum abest, ut illæ morbis dirissimis possint annumerari. Lepras & alphas oriri ex limosis Ægypti aquis ac lacte, intra Ægyptum pro potu sumtis, testimoniis locupletissimis ostendit Autor, addens, per ננע צרעה *Levit. XIII, 47, XIV, 3, 32*, intelligendam esse impetiginem scabiei feræ, in qua res incommode ac noxiæ variæ confluerint. Ex aqua Ægypti zythus fuit coctus, quem ipsum quoque fuisse insalubrem, ex *Paulo Ægineta* docet. Tandem exponit de pluvia Palæstinæ gemina, de priori ac posteriori. Illam incidisse in tempus autumnale, hanc in tempus, paschali festo prævertens, convenisse, ostendit. Omittimus jam ea, quæ de gemina frugum intra Palæstinam & Ægyptum messe soterter commentatur. Loco *Jo. IV, 35*, lucem affundit, ac sententiam *Prov. XVI, 15*, accurate exponit. Tandem notat quendam *Caroli Schaafii* errorem, qui sibi persuaserat, a Syris appellari *pluviam Palæstina posteriorem* alicubi priorem. Succedit huic Dissertationi *Joannis Conradi Schwartzii*, S. Th. D. & Gymnasii Coburgensis Directoris, *Observatio de Quedam Ignatii*. S. Rev. Autor jam nonnihil Commentationis hujus, recto licet nomine, edisseruit in his *Actis A. 1731 Mens. Octobr. pag. 455 seq.* Ea vero, quæ ipse hic dedit, illis multo sunt elaboratiora; & majori eruditionis exquisitæ variæque apparatus instructa. Vul-



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1743

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 613 L 4⁰

- garis ita fert dadum opinio, ut per *Deodotus* illos *legati*
 Pag. 224. *Christiani*, ad creationem *Episcopi remotioris cujusdam ecclesie*
missi, designentur. Quam sententiam S. Rev. Autor radicitus
 extirpavit, contendens, ipsos *Christianos*, viam quippe
 Dei decurrentes, intelligendos esse. Si vel maxime re-
 clamare, & tragulas injicere, vellemus; nihil tamen sup-
 petit armorum, quo hanc opinionem, solidissime com-
 munitam, loco movere possimus. Redeundum est nunc ad
237. *Joannem Christophorum Harenbergium*, ejusque *Origines Hil-*
deneshemiæ, Bennopolis, & Bennenburgi. Urbis *Hildesie*, in
 Saxonia inferiori sitæ, denominationem deducit ex ignoto quo-
 dam *Hildeno*, ac originationem, ex silva *Hils* deproptam, ex-
 plodit haud secus, ac illam, quæ ex *Hilgenschnei*, nive sacra,
 & *Hildeschnei*, nive propera, depromi arcessique solet, ratus,
 fabulam, de nive illa excogitatam, Seculo XII esse ferio-
 rem.
243. *Bennonem Frisum*, a quo, putarunt recentiores quidam, *Hilde-*
neshemium fuisse conditum, *Bennopolis* nomine vocatum, re-
 jicit inter commenta ac deliria vetularum. A Monacho S.
Michaelis, Bennone, Seculi XI initiis noto, urbem illam di-
 ctam fuisse *Bennopolin*, pro deridiculo habet. Suspiciatur po-
 tius, exeunte Seculo X, ac ineunte XI, *Hildeneshemium* a *Ben-*
 none II, seu *Bernhardo II*, Duce Saxoniæ, munitum ac amplia-
 tum fuisse, ejusque in honorem ad tempus appellatum fuisse
Bennopolin. *Hildeneshemium* in præfectura Regis fuisse, ac a
 Comite seu præfecto ejus rectum fuisse adhuc Seculo XI, osten-
 dit. *Castellum paternum*, quod *Tammo, Berwardi*, Episcopi
Hildeneshemensis, frater, teste *Tancmaro*, dicitur insecuisse, osten-
 dit, existitisse non *Sommerseburgi*, sed *Hildeneshemii*. Sub-
 dit, Autor: *Unde perspicitur, Hildeneshemium (A. 1022) ea*
atate fuisse præfecturam Regis in pago Flurwide. Sic vulgo.
Vox Flurwide ibi temere irrepsit. Lege: *in pago Astfalaba*.
 Ad eundem *Bennonem II* Autor refert originem *Benneburgi*,
 quod olim prope *Hildeneshemium* versus occidentalem pla-
 gam juxta *Carthusiam* veterem stetit usque ad medium Secu-
 lum XIII. Transvehimur ea, quæ idem de *Ostfalia* provin-
 cia, ac de pago *Astfalo*, nec non de origine *Episcopatus Hil-*
 denes-

deneshemensis, differuit. *Luteam villam*, in illo pago sitam, tradit esse desolatam, *Kobtdorf* & *Luti villam* alias dictam, jacuisse autem in præfectura *Steuerwalde* inter vicum montanum *S. Mauriti* & villam *Himmelsthür* in radicibus montis *Kreila*. Episcopum *Hildeneshemensem*, atque Abbatem *Benedictinum*, *Guntherium*, obiisse A. 834, demonstrat. Adjungit tandem argumenta, cur existimet, Diplomata episcopalia *Hildeneshemensia*, ad annum usque 1044 produci solita, suppositicia esse; & cur opinetur, origines *Palæo-Hildeneshemii* olim studiose fuisse suppressas. Procedimus porro ad *Jo. Georg. Waltheri*, A. M. *Emendationem loci Herodotei I, 72, ejusque & aliorum, inprimis Dionysii Alexandrini, qui Asiæ veteris descriptionem in superiorem & inferiorem illustrant, explicationem*. Enatum hoc est varix eruditionis specimen ex Cl. Auctoris primo *Specimine animadversionum in C. Cellarii Orbem antiquum*, quod A. 1741 evulgatum est. Disceptaturus est idem alibi locum *Æschyli*, de primis agentem *Asiæ Monarchis in Persis v. 761-788*. Crediderat *Cellarius*, *Herodotum* in describenda *Asia* sibi haud constare. Sed in alia omnia discedit Noster, ac tria *Herodoti* loca ab isto probro vindicat. *Asiam* subinde *Herodotus* memorat nude, ubi *superiorem* ob oculos habuit positam, quod ipsum ex collatione *IV, 4, & IV, 1*, perspicere licet. *Herodotus* scilicet ipse docuit, inter ostium *Halyos* & littus *Ciliciæ*, *Cypro* oppositum, extare *Asiæ* isthmum, & quæ ad orientem fluvii illius sint sita, dici *Asiam superiorem*, quæ ad occidentem sint posita, appellari *inferiorem*. Nam ἡ ἀνω Ἀσίη & ἡ κάτω Ἀσίη est elliptica dicendi ratio, supplenda vocibus Ἄλυος ποταμῶ, uti constat ex *Herodoti I, 130*. *Halym* fluvium originem trahere docet ex uno *Armeniorum* monte, & per *Cataoniam* decurrere primum ex oriente versus occasum, deinde, mutato cursu ad portas *Ciliciæ*, flecti in septentriones. *Cellarium* & *Jo. Matth. Haasium* hic simul notat. Vocem ἀνχένας exponit per *isthmum*, ostendens, eum *Asiæ* minoris isthmum a *Dionysio Alexandrino* appellatum fuisse Ἀσίης στενῶ, eumque isthmum a *Sinope* usque ad *Cilicium mare* patuisse itinere dierum quinque, teste *Herodoto*

Pag. 255.

267.

268.

269.

272.

274.

277.

287.

- II, 34. Tunc emendat locum *Herodoti*, rescribens vocem
 Pag. 292. ~~ἄρος~~ loco vocis ~~ἄρος~~. Huic *Diatribæ* succedit *C. A. Heuman-*
nii Revelatio Autorum Observationum Halensium Latinarum, egre-
 gia Historiæ literariæ facula, quam lector instar clavis ac indicis
 ipse adhibeat consulatque, necesse est. Restant tamen pauculæ
 Observationes, quarum Autores Viro præstantissimo manserunt
 ignoti. Quam vellemus, lacunam hanc aliquis expleat & illu-
 319. stre vir doctus! Succedit *Frid. Ottonis Menckeni de Vera vocum*
exemplum & exemplar significatione Observatio critica. Infedit
 ubique adhuc & inveteravit apud scriptores opinio, voce *exem-*
pli apographum designari. Verum, excussis veterum classico-
 rumque Latinorum locis admodum multis, probeque expen-
 sis, Noster, rationes secus ducendas esse, docet. Veteribus
 placuit *apographum* vocare *exemplar*, ac *formam* seu *formulam*
 332. *dictorum* dicere *exemplum*. Nec tamen inficiatur idem, in sen-
 tentiis *Digestorum* sæpius *exemplum* dici pro *apographo*, ipsum-
 que *Ovidium*, metri necessitate compulsum, *exemplum* vocas-
 340. se id, quod nos *apographum* appellare consuevimus. *Exem-*
plar vero a *Pliniis* aliisque dictum fuisse *apographon*, ipse te-
 stimoniis comprobavit tam illustribus, ut caliginis superesse
 342. queat nihil. Extremo tandem loco subjecta apparet *Guilielmi*
Cavei & Ottonis Menckeni Epistolarum mutuarum Decas, cum
Præfatione Frid. Ott. Menckeni. Qui fata literariæ rei, qua-
 lis illa fuit per Angliam Seculo superiori exeunte, discere cu-
 piunt, eorum ad palatum erunt hæc dapes, bellariis subinde in
 annotationibus, ab Editore adjectis, ornata. Habes hic iudicium
 de *Thoma Pope-Blount Censura celebriorum Autorum*, notitiam
 350. de *Christiano Wagnero*, Lipsiensi, m. A. 1693, de *Morbosio*, de con-
 troversia *Itigii* ac *Cavei* occulta, de *Schellstruteni* Opere geo-
 graphico, de *Anglia sacra & Athenis Oxoniensibus*, de *Hodii*
 laboribus literariis, de *Richardi Bentleji Manilio*, de *Claudii*
Menetresii Symbolica Dianæ Ephesæ statua, ac de aliis rebus me-
 moratu dignis. Et hæc quidem est *Partis* hujus *secunda* sum-
 ma, propediem accessionibus secururis prosequendæ.

HET DERDE JUBELJAAR DER UITGEVON-
 dene Boekdrukkonst, &c.

hoc est,

hoc est,

TERTIUM INVENTÆ TYPOGRAPHIÆ JUBILEUM, complectens succinctam tractationem historicam de nobili arte typographica, per JOANNEM CHRISTIANUM SEITZ, Franco-Germanum.

Harlemi, apud Isaacum & Joannem Enschede, 1740, 8.

Plag. 19.

Lectori subolet facile, Harlemum *Laurentio Jansenio*, a munere æditui dici solito *Coffero*, suo civi, inventæ artis typographicæ laudem denuo vindicatum ire. Præmisit Autor catalogum eorum, qui de inventa typographia aliquid literis prodiderunt. Tractatio omnis *Capitibus decem* absolvitur. *Primo* exponitur de inventione artium generatim; *secundo* de arte scribendi, ejusque origine, ex sculptorio instituto derivanda, agitur: *tertium* occupatur in tempore illo designando, quo typographia fuit inventa; *quartum* versatur in cardine & scopo libri totius. In hoc enim contendit Cl. Autor, Harlemum artis inventæ incunabula ostendere, ac gloriam inventionis referendam esse ad *Laurentium Jansenium Coffero*. *Capite quinto* recenset eorum argumenta, qui, artem illam Moguntia inventam, tradunt. Argentoratensium argumenta perlustrat *Capite sexto*. Quænam harum narrationum sit verisimilior, definire laborat *Capite septimo*. *Capite octavo* edisserit amplificationem typographicæ artis per Europam terrarumque orbem universum. *Capite nono* de usu artis istius multiplici exponit. Utrum abusus artis, an usus, sit major, disquirat idem *Capite postremo*. Si dixerimus, Autorem *Petri Scriverii*, qui Harlemi A. 1628, 4, edidit *Laure-krans voor Laurens Koster*, id est, *lauream pro Laur. Coffero*, esse apologetam, non admodum errasse censendi sumus. Cel. *Trozzius*, qui *Hermannii Hugonis* librum *de prima scribendi origine, & universa rei literariæ antiquitate*, Ultrajecti A. 1738 recudendum curavit, secus sensit, docens *pag. 580*: *Frustra Harlemenses statuam erexerunt Coffero suo, multa religione cimelium illud, ceu primum librum, cui titulus: Speculum humanæ salvationis, custodientes.* In *Friderici Christiani Les-* Pag. 9.

- seri Typographia jubilante* Autor notat operam præproperam, ordinis defectum, & rerum Harlemensium peritiam justo minore. Nec tamen idem inficiari potest, in libro hoc exhiberi plurima memoratu digna. Cum librum *Prosperi Marchandi*, qui inscribitur: *Histoire de l'origine & des premiers progrès de l'Imprimerie*, meminisset, obelis eum quoque suis haud esse indignum judicavit, causatus, tædiosam ejus esse lectionem ob annotationes triplices, ac emendationes copiosas, *Tomo II* adjunctas. Miratur, Operi 180 paginarum subjectas fuisse 7 paginas correctionum, excitarique annotationes nonnunquam, quæ in libro profus haud queant reperiri. Secutus scilicet fuit *Marchandus* partes *Naudæi*, nec *Junii* ac *Seriverii* opiones pensi habuit, quin potius eas refellere contendit. Hæc fuit ratio, cur Autor acutius cernere studuerit ejus nævos, ac eis subinde stricturas obmolitus fuerit. Optandum sane fuerat, ut Cl. Autori licuisset prius expendere *Vindicias Joannis Guttenbergii*, a Cel. *Kælero* scriptas, editasque A. 1741, quam ad hoc Opus emittendum accederet. Quæ *Marchandus* objecerat *Kælera*, a Nostro repetita, *Kælerus* satis superque in Præfatione ad *Vindicias Guttenbergii* videtur depulisse. Mittimus jam alia. In id vero curas intendemus omnes, ut argumenta perlustremus, quibus Cl. Autor adductus, *Costero* palmam inventæ typographiæ tribuere voluerit. Inprimis effigiem domus *Costerianæ*, in foro Harlemensi conspicuæ, statuamque *Costeri*, repræsentat, æri incisâs. *Costerum* figuras literasque invertâs ligno incidisse, atque denuo eas, humore imbutas, impressisse lateri chartæ alteri, ita, ut alterum vacaret, nemo inficiatur. Quæritur autem, an ipse literas adhibuerit separatas, & ex metallo, seu stanno, fusas. Exhibebimus Cl. Autoris argumenta, quibus ipse inductus, existimat, ad quæstionem illam propositam affirmando esse respondendum. Primo quidem exhibet commemorationem Harlemensem, quæ tradit, *Laurentium Jansenium* ineunte Seculo XV Harlemi existisse ædituum, quem ibi vocant *Kæster*, ac A. 1431 judicem, vulgo *Schepen*, ibidem egisse; ipsum figuras ligno incidisse, ac eas adhibuisse ad literarum ductus in chartam transfundendos; quadraginta figuris ligno inci-

incisis ipsum historiam Vet. & Nov. Testamenti delineasse; re-
 presentasse septem tentationes ægroti figuris septem, quibus ad-
 ditus fuerit seriori ætate titulus, indicans, opus id a *L. J. Costero*
 A. 1428 effectui datum esse; adornasse 16 figuras cum senten-
 tiolis Latinis ex *Cantico Canticorum*, quibus præmissus sit titu-
 lus recentior, quo hoc artificium ad A. 1430 referatur; com-
 posuisse figuras 48 ex *Apocalypsi Joannis*, adjectis sententiis La-
 tinis; tria posteriora opuscula asservari in curia Harlemensi;
 expressisse typis ligneis in una chartæ pagina sigillatim *Dona-* Pag. 46.
tum, seu *Grammaticam Donati*; fudisse deinde literas ex metal-
 lo & stanno, eisque in chartam impressis edidisse librum *Spie-*
gel der Berhoudenisse A. 1440; servum quendam ejus Germa- 47.
 nicum eodem anno, subducto ei literarum apparatu nonnullo,
 Moguntiam perfugisse, ibique A. 1442 Grammaticam, cui
 nomen *Alexandri Galli Doctrinale*, una cum *Petri Hispani Tra-*
ctatibus logicis, formis publicis ductibusque *Costerianis* expres-
 sam, edidisse. Leguntur hæc etiam in *Hadriniani Junii* Batavia
pag. 255-257. Quæri potest, quibusnam autoribus, & quando,
 hæc fuerint tradita. Potuit enim hæc de servo fugitivo historia
 serius effingi. Quæritur, an *Speculum* illud A. 1440 literis fuis-
 ac mobilibus fuerit expressum. Quæritur, an literæ, adhibitæ
 ad *Alexandri Galli Doctrinale* & *Petri* Tractatus logicos, fuerint 60.
 eodem ac illæ, ad *Speculum* adhibitæ. Quæritur, quisnam ille
 fuerit servulus. Argumentum secundum Autor depromit ex 65.
MSto Archivi Cantuariensis, A. 1459 exarato, quod prodere
 dicitur, ex operariis Harlemensibus didicisse quosdam Mo-
 guntinos artem typographicam. Quæritur, quamam fide &
 antiquitate sit illud manuscriptum. Scripsit eapropter Cl. Au- 73.
 tor ad Archiepiscopum Cantuariensem *Joannem* A. 1740;
 quid vero responsi tulerit, ignoramus. Tertium argumen-
 tum capit ex *Chronico Colonensi*, quod inter annos 1470 &
 1500 scriptum, annoque 1494 jam iterum formis publicis
 expressum fuit, quo traditur, Moguntinos artem typogra-
 phicam hausisse ex *Donato*, Harlemi impresso. Quartum argu- 74.
 mentum desumit ex eo, quod adscripsit *Mariungelus Accursius*
Donato

- Donato, A. 1450* Moguntiae formis publicis descripto: *Admonitus certe fuit* (Joannes Faust) *ex Donato Hollandiae prius impresso in tabula incisa*. Hæc scripsit *Mariangelus Accursius*, qui vixit circa A. 1570. Quæritur, an *tabula incisa* spectet ad formas literarum stannearum mobiles.
- Pag. 76.
80. Quintum argumentum deducit ex testimonio *Ludovici Guicciardini*, in Descriptione Belgii anno circiter 1589 allato. Omittimus argumenta, ex testimoniis recentioribus collecta. Subjungit deinde Cl. Autor inscriptiones & numos, superiori Seculo in *Costerum* factos. Addit præterea tres tabulas, quæ referunt scripturam, e *Laurentii Costeri Donato* desumptam, totidemque paginas. *Joannem Guttenbergium* fuisse Argentinensem, tradiderunt *Jacobus Wimphelingius* in Epitome rerum Germanicarum *Cap. 68*, & in Catalogo Episcoporum Argentinenium, atque *Joannes Arnoldus Bergellanus*. Alii contra eum existimant fuisse Moguntinum, e. g. Autor *Chronici Colonienfis* modo laudati, liber feudalis Argentinenfis, *Petrus Schaffnerus* in calce *Institutionum*, A. 1468 Moguntiae editarum. Plura decerperemus ex Cl. Autoris libro, nisi *Gel. Joannes Davidus Katernus* nobis hic otia fecisset, & *Guttenbergii* patriam, genus, ac dignitatem, extra dubitationis aleam collocasset. Ex hoc perspicue cognosci potest, *Gensfleischium*, *Guttenbergium*, & *Sorgenloebium*, fuisse virum eundem, licet Autor hic in omnia alia ire videatur. Qui dignitatem *Guttenbergii* perspexerunt natalem, eis facile subolebit, quid *Argentoratensium* commemoratio-ni tribuendum sit fidei, in qua *Hans Gensfleisch* traditur fuisse *Joannis Montelini* famulus. Mirandum sane, *Joannem Gensfleischium* in ea distingui a *Joanne Guttenbergio*. Nec minus mirabile, Cl. Auctorem sibi imperasse, ut crederet, *Guttenbergium*, fama permotum, A. 1439 *Harlemum* venisse, ac *Costeri* famulum egisse, anno autem 1440 rediisse *Moguntiam*. Alii famulum illum fugitivum, furtique reum, vocant *Cornelium*. Si quid licet judicare, suspicione laborat omnis illa de famulo fugitivo historia. Nihil certe horum in *Guttenbergium* quadrat. Idem statuimus de *Guttenbergii* secessu *Argentoratenfi*, rati, *Guttenbergium* a *Gensfleischio* prorsus immerito distingui. Id vero habet Cl. Autor singulare & præclarum, ut in tabula quasi representet natales typographiæ, quaquaversus per orbem diffusæ, nec obliviscatur *Petri Magni*, qui *Amstelodamo* formas literarum impressoriarum *Petropolin* arcessendas curavit. Si quis utilitatem, usum, & abusum, artis typographiæ debita mentis attentione voluerit ponderare, is ad Cl. Auctorem accedat oportet, de hoc argumento præclare commentatum. Licet enim in uno alterove momento ab ipsius partibus haud stemus; non possumus tamen, quin eruditioni ejus honorem habeamus, librique hujus merita prædicemus.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCCXLIII.

Pars I.

AUTORES MYTHOGRAPHI LATINI, CUM INTEGRIS Commentariis MICYLLI, SCIEFFERI, MUNKERI, & WOPKENSII, curante AUGUSTINO VAN STAVEREN.

Lugduni Batavorum, apud Sam. Luchtmans, Amstelodami, apud Wetstenium & Smith, 1741, 4 maj.

Alph. 5 plag. 16.

Ita præclare de Mythographis Latinis meritum esse *Th. Munckerum*, crediderunt omnes, ut bene de iis merendi locus haud reliquus videretur. A qua opinione cum haud abhorreret *Augustinus van Staveren*, Vir Clarissimus; haud se tamen passus est deterri, quo minus ipse quoque aliquid prodesse *Mythographis* studeret. In qua ille re ita est versatus, ut primo, *Munckeri* exemplo, cum Scriptores veteres omnes, in quibus de iisdem fabulis exponitur, diligenter excuteret, imprimisque eorum inter se de iisdem fabulis dissidia observaret, tum eos maxime, quos levi digito attigisse *Munckerus* videbatur, ex quibus etiam deperditorum scriptorum fragmenta in suos usus, cum haud exiguo fructu, convertit. Deinde consuluit viroborum doctorum, qui cum ante, tum post *Munckerum*, *Hygino* aliquid lucis attulerunt, opera, *Meziriaci*, *Leopardi*, *Loensis*, *Burmanni*que; quibus tractandis intellexit, non paucas *Munckeri* emendationes a *Leopardo* & *Meziriaco*

occupatas fuisse. Contulit etiam Codices MStos quinque, tres Lugdunenses, unum *Hemsterhusianum*, e quo Cel. *Weffelingius* in *Observ. II, 23*, quædam *Hygini* loca restituit, & alterum item *Dorvillianum*, sed qui *Hygini Astronomicum* tantum exhibebant. Ceterum de *Hygino* ipso ita statuit, ut eum non modo non pro illo Grammatico antiquo, sed ne pro ejus Epitomatore quidem, habeat, ut *Berkelius* putabat. De eodem autem *Hygino* reperit in hac editione *Schefferi* & *Munckeri* Dissertationes. Quod ad Notas attinet, quibus in hac editione Mythographi illustrantur, primo integræ hic reperiuntur *Munckeri* Notæ. Sed ejus *Commentariis in Hyginum* prætexuit Vir Cl. *Jac. Micylli* notas marginales, ex editione Basileensi anni 1535 *Hervagiana* depromptas, & *Jo. Schefferi* annotationes ex editione anni 1674. Subtexuit autem *Munckerianis Tb. Wopkensii*, Viri Cl., antea nondum editas, in *Hyginum* observationes, paucas illas quidem, sed elegantes, quas ille Editori sua sponte obtulit. Sed longe plurimæ numero sunt ipsius Editoris, partim ex veterum Scriptorum, qui rem mythicam attigere, partim ex recentiorum Criticorum, libris comparatæ; quæ, non dubitamus, quin gratæ sint futuræ, cum omnibus antiquitatis, tum imprimis mythicæ rei, studiosis. Quicquid enim est de rebus mythicis, quas quidem hi Scriptores attigerunt, de nominibus personarum mythicarum, genere, conjugibus, fratribus sororibusve, aut natis, apud veteres dissensus, quicquid de iisdem rebus recentiores scripsere, id propemodum omne in has Notas ab eo studiose congestum videmus. Unum exemplum sat erit attulisse, quod statim in limine Notarum ad *Hyginum* reperitur. Commemorantur *Gigantes e Terra & Tartaro* nati. Hic primo nomina occurrunt manifeste corrupta, in quibus emendandis jam superiores Editores elaborarunt. Deinde quidam non comparent, qui ab aliis in giganteum numero ponuntur. Hic Noster primo a superioribus dicta interdum confirmat & illustrat; deinde recte monet, non esse mirandum, si hic quidam desint, qui ab aliis commemorentur. Nam, a Poetis gigantes etiam dictos antiquos mortales, & quicumque insigni in Deos impietate ac furore, aut mira magnitudine

rudine portentosaque specie, fuerint. Hoc deinde transfert ad nomen *Eryti*, sive *Euryti*. Olim in *Hygini* textu legebatur *Erylus*. Id nomen de conjectura emendabat *Micyllus* ita, ut legendum censeret *Eriolus*. *Munckerus* autem non dubitabat, quin ex *Apollodoro* legendum esset *Eurytus*. Id non probabat *Bentlejus*, *Vir Cel.*, ad *Horatii Carm. II, 19, 25*, sed, cum apud *Hyginum*, tum apud *Apollodorum*, legi volebat *Rbatus*. In hujus ipsius autem nominis scriptura est inter doctos homines dissensus. Nam ab aliis *Rbæcus* dicitur. De quo videndi viri doctissimi, *Perizonius* ad *Æliani Var. Hist. XIII, 1*, *Burmianus* ad *Valerii Flacci I, 140*. *Bentleji* tamen sententiam sequitur *Cel. Oudendorpius* ad *Lucani VI, 390*. Quid ergo? Potuit aliquis *Eurytus*, potuit alius *Rbatus*, alius denique *Rbæcus*, fuisse, quorum sua quisque de causa gigas diceretur. Nisi forte *Rbatus* gigas cum *Rbæco* aliquo permutatus est. Non unius enim *Rbæci* mentio apud veteres. *Rbæcus*, *Samius*, primus ætarius faber est apud *Herodotum III, 60*, alius item artifex *Cnidius*, *Rbæcus*, est in *Scholiis Theocriti* ad *Idyll. III, 13*. Hujus generis non contemnendas observationes valde multas *Viro Clarissimo* debemus. Alia quædam dos est *Notarum* in *Albrici* libellum de *Deorum imaginibus*. Eæ sunt fere verbosiores ceteris. Occupantur autem in congerendis iis, quæ ab antiquis de *Deorum imaginibus* & *statuis* dicta sunt; imprimisque hoc actum est, ut, quid de *statuariis* & *pictoribus* statuendum esset, qui *Deorum imagines* varie expresserunt, intelligi posset, quod non injucundum aut inutile antiquariæ supellectilis amatoribus & rei poeticæ studiosis putamus fore. Operi universo subiecti sunt *Excursus varii* in *Mythographos*, non *Lipsianis* illis ad *Tacitum*, & *Cortianis* ad *Crispium*, similes, sed in quibus partim *typothetarum* *sphalmata* emendantur, partim *omissa* quædam in *Notis* adduntur, verbo, in quibus, quicquid, permissis jam *typis Operis*, dum operæ in eo excubendo laborant, reperit *Autor*, quod in *Notis* locum habere potuisset, id omne in hos ita dictos *Excursus* conjectum est. Sic, cum in *ipsis Notis* ad *Hygini Cap. 63 de Danae* nil dixisset ad verba: *Danaan pater ob stuprum, inclusum in arca cum Perseo, in mare dejecit*, in *his Excursibus*

ille ostendit multis veterum locis, hunc antiquissimis temporibus morem fuisse, ut parentes filias, quæ pudicitiam subtrayerant, ita in mare deicerent. In quibusdam etiam mutæ, cum sua sponte, tum monitæ ab amicis, sententiam. Apud *Hyginum Fab. 28* est de *Oto & Ephialte*, qui, montibus supra se positæ, in cœlum impetum facere sustinuerunt. Ibi *Hyginus: qui ab Apolline nacti, sunt inter, fœli*. Hunc locum Vir Cl. ita emendaverat primus, ut *Naxo* legendum censeret; primo, quod illud *nacti, παθηκώς* positum, indignum est *Hygino*, quamvis parum probato scriptore; deinde, quod non modo *Plutarchus παρὶ Φρυγῆς T. II pag. 602* tradit, *Naxum* fuisse sedem eorum, sed etiam *Pinlarus Pyth. IV, 156*, dilerte dicit, eos in insula *Naxo* periisse, ut reliqua veterum testimonia, ibi allata, inietamus. Quod ad rem ipsam attinet, nihil dubitationis in ea emendatione cuiquam esse potest. Sed *Jo. Arzenius & Th. Wopkensius* per literas Nostro significarunt, sibi videri legendum *Naxi*. Idem venerat ei in memora, cum ista scriberet. Sed, quia *Hyginus* aliis locis ablativo usus est, consentaneum putabat, hunc casum ei, hoc quoque loco, reddere. Ceterum, re, admonitæ amicorum, iterum cogitata, magis inclinavit animus in hanc partem, ut *Naxi* scriberetur, legibus criticis hoc postulancibus, ut, quam minimum fieri potest, a lectionis vulgatæ vestigiis recedatur.

JOANNIS HARDUINI, E SOC. JESU, COMMENTARIUS in Novum Testamentum. Accedit ejusdem Autoris lucubratio, in cujus prima parte ostenditur, Cephæ, a Paulo reprehensum, Petrum non esse; in altera parte Joannis Apostoli de sanctissima Trinitate locus explanatur, & eidem autori suo vindicatur.

Hagæ Comitum, apud Petrum de Hondt, 1741, fol.

Alph. 8 plag. 19.

Singularibus & paradoxis subinde opinionibus inclulisse *Joannem Harduinum*, Societati Jesu olim addictum, norunt eruditi ad unum omnes. Earum in hoc Commentario hinc inde mira

mira etiam sese offert seges. Margaritas tamen bene multas inter paradoxa passim enitere, ac lucem locis obscurioribus affundi inexpectatam, non est, quod inficiemur. Operi præmissa est Prefatio, docens, qua lingua fuerint scripta Evangelia. Nil mutandum omnino putat in divinis literis, ne jota quidem aut apicem, sed in his, quas certo divinas esse constet: in editione scilicet Latina sola, cujus quidem Novum Testamentum ab ipsis conditum sacris scriptoribus arbitratur, atque adeo authenticum primæ classis, Vetus autem ab eruditissimo interprete ex Hebræo Latine redditum, & ab Ecclesia Romana statim approbatum, atque adeo authenticum secundæ classis. Succenset idcirco plerisque interpretibus, qui, dum Commentarios in Scripturam Sacram edere se profitentur, & vulgatam exhibent, eidem tamen reliquæ Græcam anteponant, & hanc explicent veluti potiore ac certiore. Arbitratur enim, Apostolos scripsisse Latine, quæcunque scripserunt; nonnulla etiam Græce fortassis; Hebræicè quoque *Apocalypsin* fuisse scriptam, non Latine tantum. Addit: *Latina tamen editio versio dici ex parte aliqua fortassis potest quodammodo, si quam nimirum partem prius Græce Apostoli scripserint, quam Latine; tamen si Latinam interpretationem, a suis factam amanuensibus, Autores ipsimet recognoverint & probarint. Hebræica & Græca exemplaria, si qua illi scripsere ea lingua gemina, quia nemo ea in unum corpus collegit, perire. Latina tantum salva sunt, quoniam ea pro potestate Ecclesia Romana collegit. Et sunt Latina, inquam, ipsa primigenia, ut diximus; ex Latinis autem deinde facta sunt ab hominibus privatis Græca, qua legimus, antequam Ecclesiastici Scriptores Græci quidquam exararent.* Comprobatum ita sententiam suam ex scopo scriptorum, qui voluerint ab universis intelligi. Adjungit, Latinam linguam tam notam fuisse ipsis Hierosolymis ea ætate, quam Græca fuerit & Hebræa. Fuisse Paulo amanuensium Latinum, Tertium, qui dictata a se, & a se mox recognoscenda, Latine scriberet, contendit. Ex nomine *Titi* idem exculpere studet. Evangelium *Matthæi* Hebræice statim fuisse scriptum, negat, inductus interpretatione vocum Hebræicarum, a *Matthæo* instituta. Idem alii monuerunt. Utrum Græce,

- Græce, an Latine, scripserit *Mattheus*, dubitat. *Marcum* Latine scripsisse, pronuntiat post Autorem libri Pontificalis in *Petro*, & *Joannem Cantacuzenum* contra Judæos, testesque ætatis recentioris, *Bellarminum*, ac *Gretserum*. Opinatur deinde, linguam Latinam Christi temporibus fuisse Hierosolymis ipsismet Judæis familiarem; præter Hebræam, provocans ad *Plinium III, 6*, & magistratus, Roma eo missos. Commentarius ipse exhibet primo verba Vulgatæ, deinde Autoris paraphrasin, ac tertio annotationes, magis criticas & philologicas, quam pietati excitandæ simul accommodatas. Titulos Evangeliorum arcessit ab Evangelistis ipsis. Verba *Matthæi I, 1-18*, trahit ad codicem genealogiarum, unde *Mattheus* illa hauserit, in templo Hierosolymitano olim asservatum. Græcos Nov. Test. MStos Codices non excedere annos 600, ad summum 800, idem credit, ratus, extare in Bibliotheca Parisiensi Codicem Latinum 1000 annorum. Distinctionem *Capitum*, quæ invenitur in *Evangelis*, & *Actis*, & *Apocalypsi*, ab ipsis institutam esse sacris librorum autoribus, arbitratur. Rejicit pristinam expositionem suam vaticinii *Gen. XLIX, 10*, ac novam affert satis orthodoxam, id cum *Joanne Hybnero* habens commune, ut ostendat, Christum fuisse Regem Judæorum jure hæreditario, licet non factò ipso, ac per ipsum regni *Davidici* haud esse finem, eo quod ipse est Rex sempiternus. Vaticinia, in Vet. Test. de Christo promulgata, dextre plerumque exponit.
6. Egregie annotat, quatuor fœminas extraneas in Christi genealogia commemorari, quia Deus voluerit significare, Christum pro salute omnium venisse. Ammanitin distinguit ab Ammonitide, illamque pro parte Ammonitidis habet, quæ ad tribum Gad pertinuerit. Distinctionem illam ignorant Ebræi, nec ulla pars Ammonitidis subiecta fuit Gaditis. *Harduinus* isthæc videtur finxisse in gratiam *Naemæ*, quæ in Vulgata appellatur *Ammanitis* 1 *Par. XIV, 21, 31*, ubi Alexandrinus, e quo Vulgata fuit facta, habet vocem *Ἀμμωνίτις*. Tres progenies *Jorannum* inter & *Oziam* a *Matthæo* ideo omissas, existimat, quod tres *Jorami* successores ob impietatem suam fuerint interfecti. Magos, qui ab Oriente ad Christum venerunt, negat fuisse Reges,

ges, ratus, ipsos fuisse homines e plebe. Per *filios Orientis* Pag. 13.
 & *Orientales*, in sacro Codice memoratos, designari arbitratur
 incolas Arabiæ Felicis. Stellam, Jesu nati indicem, ac Hiero- 14.
 solymis imminentem, Magis indicasse dæmonem, quem Magi
 contulerint consulere, sibi persuadet. Locum de *stella ex*
Jacobo Num. XXIV, 17, ad hanc stellam spectare, negat. *He-*
rodem Magnum denuo pro gentili ac extraneo, sacras literas 16.
 ignorante, habet. Vaticinia Prophetarum in proprio ac na-
 tivo verborum sensu esse adimplenda, tradit. Illud *Matthæi*
II, 23, de Jesu vocando Nazaraeo ex viro, cujus nomen *Ze-*
mach Zach. VI, 12, exponit ex מרזח permutato cum צמח,
 quasi *Ναζωραῖος* sit מרזח. Quæ quidem expositio nil habet 18.
 solidi, nil certi. Per *ἀνγίδας*, a *Joanne* eas, designari credit
 locustas. Mel sylvestre fuit, ipso iudice, mel ab agrestibus in-
 cultisque apibus confectum, in scissuris petrarum & cavis ar- 19.
 borum, in silvis, ob *1 Sam. XIV, 25*. De baptizatione *Joan-*
nis sic statuit, ut, baptizandos, putet, ingressos in aquam nudis
 pedibus, & ab adstante *Joanne* aqua in caput injecta perfusos.
Radix arborum, III, 10, commemorata, est ipsi Hierosolyma,
 cui suprema tunc clades imminabat. Πρύον ipsi est ventila- 21.
 brum, non vannus. Cum *Joannes* dicitur *traditus*, id ita ac-
 cipit, ut traditus sit in manus scribarum, raptusque ad conci-
 lium, ubi iudicium de eo statim, ut mos est, peractum fue-
 rit, *IV, 12, XVII, 12*. Nondum putat eum tunc missum in
 carcerem. Sermonem Christi, *Matth. V, VI, VII*, descriptum,
 distinguit ab eo, qui legitur *Luc. VI, 17 seq.* In Veteri Test. 25.
 putat nullum fuisse *regnum calorum*. Ex *Matth. V, 18*, ubi
 mentio fit de jota, colligit, Verus Testamentum jam tum existisse
 Latine translatum, siquidem Latini literam *i* dixerint *jota*. Elum-
 be profecto argumentum. Ponit ipse pro certo, apicem ibi esse
 punctum jotæ superscriptum, quod tamen, ut norunt MSto- 26.
 rum periti, Seculo XIII demum fuit natum. Vocem *Raka*
 ex Syriaca ריקא deducit, ac per *inopem* exponit. Vocem *ge-*
benna non ex Ge-hennom, sed ex געֶהֱנָה, mugiente luctu,
 derivat. Vox *Mammona*, ipso iudice, est ex מַמּוֹן, copia, & Mem
 præformativo. Historiam de centurionis servo, *Matth. VIII, 5*, 33.
 memo-

- memorata, distinguit ab illa *Luc. VII, 1*. Per tenebras ex-
- Fig. 37. teriores allusum putat ad tenebras Ægyptiacas *Exod. X, 22*. Τὸν
 ἰδὼν ἀνθρώπων exponit per *primogenitum filiorum hominum*, quæ
 expositio sane facit satis locis universis, in quibus Christo hoc
 38. nominis tribuitur. Judæis fuisse porcos, licet eis haud vesci
 consueissent, comprobatur ex *Matth. VIII, 30*, & *Juvenalis Sat. VI,*
 43. *158*, ratus tamen, fas fuisse Judæis edere porcellos. *Petrum*
 existimat dici *Matth. X, 2*, *primum*, non ob ordinis rationem,
 sed ob regimen parium inter sese, ante quos fuerit institutus
 primus. Nomen *Chanunai* v. 4 arcessit ex כַּנְעָנִי, *mercator*, &
 vocem *Zelotes* *Luc. VI, 15*, ex זֵלִיז, *contempto, vili, & ignobili*,
 quæ vox legitur *Pf. XII, 9*. *Judam* proditorem dici *Isca-*
rioten a nomine patris gentili, ostendit ex *Jo. XIII, 2*, atque co-
 44. gnomen id derivat ex עֶסֶר יִקְרָא, *mendacia regente*. Sama-
 ritanos solum *Genesis* librum amplexos esse, non quia ex *Mose*,
 sed quia ex Patribus, fuerit acceptus, arbitratur, eosque ha-
 bet pro ethnicis & publicanis, qui non communicant cum
 Ecclesia Romana. Divinitatem Christi ex *Matth. XII, 3, 4*,
 50. comprobatur. *Judeos* ætate Christi adspectabilis diem artifi-
 ciallem a media nocte inchoasse, opinatur, credens præterea, *Jo-*
 51. *sephum* solum e familia *Davidica* masculinum fuisse superstitem,
 & pariter Christum ex materna stirpe solum superasse. *Jose-*
pho illi τέκτονι tribuit sorores duas, unam *Jacobi* conjugem
Luc. VI, 16, alteram *Mariam*, uxorem *Alphai*, seu *Cleophae*. Ex
 illa putat natos *Judam*, seu *Thaddeum*, & *Simonem Chananæum*;
 ex hac *Jacobum minorem* & *Josephum*. At obstat huic opinio-
 ni locus clarissimus *Jo. XIX, 25*, ubi *Maria, Cleopha* uxor, ap-
 62. pellatur *soror matris Jesu*. *Josephum* Historicum denuo repu-
 diat. Voces *solvere* & *ligare* in *Matth. XVI, 19*, exponit de
 rebus, non de personis, addens: *Et solvere quidem idem valet*
ac uti licitum permittere, vel uti verum probare; ligare autem
idem ac velut illicitum prohibere, vel ut falsum noxiumve da-
mnare. Provocat ad *Lightfootum*, e Talmudicis locis signifi-
 catui suppetias ferentem. Montem, in quo *Jesus* fuit gloria
 64. collustratus, definit ad *Cæsaream Philippi*. *Eliam*, in caelos ra-
 ptum, mortuum esse citra dolorem, priusquam in *Abrabæ*
 sinum

sinum induceretur, arbitratur. Cum munere evangelizandi conjunctum fuisse solenne continentiae votum, ex *Matth. XIX, 29*, contendit. Ornatus causa in parabola de vineae operariis positum esse quidquam, negat. Per *ultimos* designari putat adfcitos e gentibus. Denarium diurnum de praemio beatitudinis accipiendum esse, negat. Per *ἐπιτροπῶν* intelligit v. 8 *Petrum*. *Joannem* ac *Jacobum* ob *XX, 23*, credit aequae gladio percussos obiisse, eo quod dicuntur *calicem bibituri*. *Herodiani*, ipso iudice, fuere ex aula & comitatu *Herodis*, per Galilaeam tetrarchae. *Petrum* Romam vidisse, negat, ratus, eum ab Hierosolymitanis cruci esse affixum. *Zachariam*, *Joannis* patrem, existisse illum *Baruchie* filium, videtur suspicatus. *Capite XXIV Matthaei* toto nihil aliud Christum praedixisse, nisi templi & civitatis Hierosolymitanae excidium, pronuntiat, usus gemino argumento laud spernendo. Solis obscurationem, ac commotionem virium caeli, exponit de summo moerore per allegoriam. Per decem virgines mysticas designari putat Judaeos & Galilaeos; per fatuas intelligit Judaeos; per lampadas vero libros propheticos. Denuo docet, Galilaeos die alio edisse agnum paschalem, alio Judaeos. Opinionem illam jam exhibuerat in *Diss. de Supremo Christi Paschate*. Judaeis denegat potestatem interficiendi quemquam, etiam legis *Mosaicae* violatorem; tribuit vero jus cognoscendi delictum, litemque instruendi, provocans ad *Jo. XVIII, 31, XIX, 7, Act XXIV, 6, XXVI, 10*. Per *latrones Matth. XXVII, 44*, significari putat *unum*, ut *Ebr. XI, 33*. Dilutam aqua vappam putat dici *acerum* in historia passionis dominicae. Per *Galileam, Matth. XXVIII, 16*, commemoratam, intelligit montem olivarum, vel potius unum e tribus illius regionis collibus, cui nomen hodieque *Galilea*. Copiosius hanc opinionem edisseruerat in *Memoriis Trivoltinis A. 1729 Mens. Sept. Art. 95 pag. 1763 ed. Paris.* Solide vero eam profligavit Pl. Rev. M. Christianus *Gottlob Eichlerus* in *Dissertationum Anti-Harduinianarum biga*, cujus epitomen ante biennium dedimus in *Supplementorum Tom. IV Sect. III pag. 137 seq.* Haec ad *Mattheum*. Subjunxit ei illustrato *Harduinus* ordinem apparitionum resurgentis Christi. Post *Eti*

Pag. 69.

71.

77

80.

84.

85.

88.

94.

98.

101.

- Pag. 109. sacerdotem summum duos simul Judæis fuisse Pontifices summos, quorum fuerint annuæ fere vices, sibi persuasit, tabulaque adjuncta reddidit evidentius. Vocem *Boanerges* deducit ex בן & הרג & שן, quasi *filium interficientis igne* diceremus. In Præfatione ad *Lucam* hæc expromit inter alia:
113. Varias subinde proferimus Græcas lectiones, præter vulgatam Latinam, præsertim ex *Cantabrigiensi MSco Codice & Alexandrino*, ut appareat saltem, quanta licentia e multis impostoribus alius alium codicem cuderit, quantumvis credatur *Codicem Cantabrigiensem annos excedere centum supra mille; Alexandrinus etiam ducentos. Facta certe Græca esse, quæ circumferuntur, ex aliquo alio idiomate, ac proinde ex Latino, suadet illa diversitas lectionum in Nov. Test. Græco. - - Et unde omnes (Codices Græci) zizania? Tam barbara certe est in eo ipso, quæ manibus omnium tevitur, Græca locutio, ut nemo unus interpretes sit, qui non subsidium querat ex editione Latina, multoque magis nativam hanc esse, quam Græcam, ipso usu sexcenties agnoscat.*
145. Primum a *Luca* Evangelium fuisse scriptum, contendit. *Acta Apostolorum* ejus esse partem, addit. Unde conjicit, Evangelium *Luca* ante annum 60 æræ vulgaris haud exiisse. Per *universum orbem Luc. II, 1*, intelligit *Judæam*, uti *XXI, 26*, & *Matth. XXIV, 14*. Per *Syriam II, 2*, intelligit *Decapollitanam*. *Varum, Silanum*, aliosque, qui vulgo *Præsides* *Syriæ* habentur, existimat, existisse duces exercituum in limite orientali. Christum dici putat primogenitum v. 7 ob jus natalium eminent & regale. *Mariam* martyrio & gladio occubuisse, colligit ex v. 35. *Herodum* genealogiam, a *Josepho* prorsus diversam, denuo expromit pag. 106. Græca verba, τὰ ἐνόητα, obscuritatis accusat *Luc. XI, 41*, Vulgatamque suam eis præfert. Eandem cantilenam canit ad *Luc. XII, 29*. Per *quinque fratres, Luc. XVI, 28*, designatos credit quinque *Pharisæos* adstantes, & hæc audientes v. 14. Verba, *jejuno bis in sabbato, XVIII, 12*, exponit de cœnæ & prandii abstinentia in die sabbati. *Petrum* re ipsa fuisse gradu & potestate majorem reliquis Apostolis, exsculpat ex *Luc. XXII, 26*. *Monti Calvariarum* nomen esse ex loci figura, conjectat. *Joannis Evangelium*

lium primigenium esse Latine scriptum, contendit, addens, Græcam orationem in eo esse coactam, humilem, interdum etiam **Pag 244.**
 Catholicæ fidei placitis repugnantem, immo subinde corruptam, invita & reclamante Patrum Apostolicorum fide. Verba, *omnia per ipsum facta sunt*, Jo. I, 3, exponit de omnibus miraculis Vet. Testamenti. Per *hunc mundum v. 8* intelligit terram **250.**
Israelis, ut IX, 39, XI, 27, XVIII, 36. Quare *incisum 10* non capit de creatione universi hujus, sed de singulari populi Israelitici creatione. *Cephæ*, de quo Paulus in *Epistolis ad Galatas & Corinthios* loquitur, a Petro distinguit. Paraphrasin aliquot *primi Capitis incisorum*, a Socinianis ac Joanne Clerico fabricatam, refellit. *Incisum 4 Cap. II* ita enuntiat: *Qua in re te laesi, mulier? Quæ causa est, cur me filium non appelles, aut a me pro his vina petas?* Provocat ad eandem loquendi formulam, prouti ea legitur 1 Reg. XVII, 18, & Matth. VIII, 29, XXVII, 19. Christo subinde tribuit *εὐχαριστίαν*, & urbanam sermonis festivitatem. Fabulam putat id, quicquid alii de templo Hierosolymitano *Herodiano* narrant ex *Josepho*. Locum Jo. III, 13, ita exponit: *Nemo ascendit ad Trinitatem, nisi qui descendit de Trinitate, filius hominis, qui est in Trinitate.* Contorta sane expositio! Apostolos baptismum, non nisi Jesu redivivo, expressâ Trinitatis invocatione peregrisse, sibi, ut crederet, imperavit. Samaritanos ultra *Genesin* ex Pentateucho nil in fidei normam recepisse, denuo inculcat, ac rationes subjicit probabiles. Per festum diem Judæorum, cujus fit V, 1, mentio, diem expiationis designatum, opinatur. Ex sequenti *incisō* solide ostendit, Evangelium a Joanne scriptum fuisse stante adhuc templo. Ad VII, 15, comprobatur it, Christum novisse Latine. Barbaram *Vulgatæ* linguam non solum demiratur, sed etiam Græco contextui præfert passim. Per *principem mundi* foras ejiciendum XII, 31, designari, tradit, Deum omnipotentem, cujus gubernationem & gratiam Judæi fuerint proxime rejecturi. Doctrinam de transubstantiatione & Apostolorum sacerdotio affigit cœnæ paschali. *Vulgatæ* illud *majora horum* solide vindicat XIV, 12. Græca verba, τῶ χειμᾶρῶς καὶ κέρων, XVIII, 1, exagitat, & ab imperito scriba e Latinis **301.**
304.
314.

- facta contendit. Sanguinem & aquam e latere Christi miraculo tribuendam esse, solide monet. Episcopatum Papæ catholicum putat sese invenisse magis in *Mattb. XVI, 18*, quam in *Jo. XXI, 16*. Jesum existimat redivivum 40 diebus verba fecisse inter suos de hierarchia ecclesiastica, ac de celebratione sacramentorum omnium. Ad *Act. I, 4*, ea in Calvinianis notat, quæ Reformati a suis doctrinis quam maxime putant aliena. *Novissimos dies II, 17*, exponit de *ultimis temporibus Synagoga & prima legis, hoc est, Mosaica*. Locum *Joelis*, a *Petro* adducti, curate explicat. *Infernum* exponit per *sepulcrum*. Communitatem honorum Hierosolymitanis Christianis duntaxat propriam arbitratur. Jansenianos cum Sadducæis comparat. *Josèphi* fidem in historia de *Theuda* sibi haud constare, pronunciat. Qui Græcos Codices Vulgatæ anteferunt, eos furoris accusat. De *Synagoga Libertinorum* peculiarem intexit Dissertationem. Libertinos existimat dici ex *לברית*, ad *transitum*, Judæos ad latus utrumque Syriæ & Palæstinæ. Ejusdem formæ est originitio Maccabæorum, quos ex *μακκαβαιοι* appellatos credit. Qui illos a Libertina, Africæ urbe, & hos ex *קנען*, *tudi te, mulleo*, didos credunt, propius a vero abesse nobis videntur. Non *Gazam desertam*, sed viam desertam, a *Luca* memorari, credit. Nisi fallimur, loca arenosa vel montana, minus fertilia, appellantur voce *ερημος*. Conf. *1 Macc. I, 27-29*. Per vocem *hodie Act. XIII, 33*, æternitatem denotari, negat. Per *preordinatos v. 48* intelligit eos, qui e gentibus erant fidem Christo habituri, loco Judæorum evecti. Per fornicationem *Cap. XV, 20*, intelligit *idololatriam*. Ad *XIX, 31*, notat, unicum fuisse uno tempore Asiarcham, eumque annum magistratum, ab urbe Roma missum, hominem Romanum, præsidem ludorum, quos Asiæ communitas exhiberet, interdum sacerdotio vel prætura simul fungentem. *Prolem Juvis* ab Ephesiis cultam, quam habet Vulgata *v. 35*, ostendere haud potuit, & invitus Græcum *διοπατης* adoptavit. Romanos dedisse Judææ post *Archelai* obitum non Procuratores, sed Præsides, contendit. *Taciti* autem recordamur, qui *Pontium Pilitatum* dixit Procuratorem *Ann. XV, 44*. Sed nondum est finis para-

paradoxorum. En aliud: *Phariseorum, aut Sadduceorum, nomen vel sibiſima natum fuiſſe ante Herodis Regis tempora, nullo ſuaderi poteſt probabili argumento.* Certamina inter Judæos ab anno 51 uſque ad annum 59 fuiſſe nulla, *Terzullo, ne quidem* Pag. 414.
 id dicenti, accredere vult potius, quam *Joſepho*, contraria tenenti, fidem habere. Injurius eſt in verba Græca *Aſt. XXIV, 5. Drufillam, Felicis uxorem*, reputat pro Romana genere, 416.
 Juxta religionem. *Tacitus* eam vocavit *Cleopatre & Antonii* neptem *Hiſt. V, 9.* Concinit *Suetonius. Joſephus* eam facit *Agrippæ* prioris filiam. *Harduino* judicæ, ipſa fuit *Caji Caſaris Germanici Auguſti* filia, neptis *Germanici Caſaris*, proneptis *Neronis Druſi Germanici*, Imperatoris, unde illi fuerit *Drufille* nomen. *Lyſtram* Lyciæ, quam Vulgata habet *Aſt. XXVII, 5, Myra* Græci contextus præfert; *Thaſſam* v. 8 præfert Græco 423.
Λααρία; *Aſſon* Vulgatæ v. 13 retinet, in Græcæ australi litore locandum; *Euroaquilonem* v. 14 collaudat; Adriam credit per mare Ionium ævo *Luca* patuiſſe. In ſingendis rationibus, cur Græcus ſcriptor a Latino diſceſſerit, ridiculus ſæpe eſt, & ultra fidem ingenioſus. Meliten Illyricam negat *Paulo* naufrago dare hoſpitiū. Ad Epistolam *Pauli*, ad Romanos ſcriptam, exhibet præcognoscenda. In hiſce vocem *πρεπειζεν* *Paulinam* ita exponit: *De prædeſtinatione ſingulorum vel omnium ſalvandum neque ipſe, neque alius ſacrorum ſcriptorum, verbum ullum facit, ſed de ſola prædeſtinatione Eccleſiæ conſtituendæ ex fidelibus quibuſcunque, decreta prædicatione Evangelii omnibus, præſertim vero gentilibus, poſt adſenſionem Chriſti in cælos. Recenſet deinde vocabula quædam Paulina, eiſque poteſtatem aſſigit. Juſtificari eſt, ipſo judice, idem ac ad verum Dei cultum perducere, pium, religioſum, verumque Dei cultorem reddi, & talem exiſtimari a Deo. Juſtificari per fidem dicitur ipſi is, qui verus Dei cultor conſetur, quia Chriſto vel Deo crediderit. Dum vero fidem in aſſenſu ponit, nec fiduciam, in promiſſis Dei deſixam, includit, non poteſt non eos, qui animum haud emendarunt, magnam partem pro juſtificatis reputare. At juſtificati ſunt in amicitiam Dei recepti, & pace conſcientiæ fruuntur. Juſtificationis itaque notio *Harduimiana**

- non congruit *Paulo*. Ejus ad Romanos scriptam *Epistolam* Latine a *Tertio* amanuensi fuisse compositam, remis velisque contendit. *Incisa* 19 ac 20 *Capitis primi* de Judæis exponit, ac *creaturam mundi*, κτίσιν κόσμου, existimat esse *populum orbis Judaici*. Per τὰ ποιήματα intelligit miracula & signa. *Incisum* Græcum 12 *Cap. II* notat ac perstringit. Laudat id *Vulgatæ V, 1, pacem habeamus*, pro Græco εἰρήνην ἔχομεν, licet *Alexandrinus Codex* Græcus quoque habeat ἔχομεν. Immeritos fuisse eos, qui *Apostolico ævo* baptizati fuerunt, inficiatur, nec ad immersionem illam respici *VI, 3*, contendit. Concupiscentiam per se esse peccatum, negat *pag. 452*. Locum *VIII, 3*, perturbavit magis, quam enodavit. Credimus vero, eum ita cum *inciso* proxime antecedenti esse conjungendum: *Lex enim spiritus vitæ* (vivificantis) *in Christo Jesu est* (id est, Jesus doctrinam patefecit, quæ mentem, ejusque vitam, accendit ad ea explenda, quæ Deo sunt grata, nihil hic est rei cum ossibus ac membris victimarum mortuis). *In libertatem asseruit me* (qui in Jesum credo) *a lege peccati & mortis* (indice) *Deus ille*, (liberare enim illud est negotium legis illius, scopum haud consequens, in quo per carnem infirma erat,) qui *filium suum misit*, ac per similitudinem carnis peccatis infecte & piaculo enervavit peccatum illud per carnem, scilicet a Christo susceptam. *Alexandrinus* vocat ΠΝΟΜ, piaculum, sæpius πειρὶ ἀμαρτίας. Ad *Rom. VIII* subjungit *ἀγροβίον* de predestinatione hominum, ostensurus, non egisse *Apostolum* in hac *Epistola* de predestinatione singulorum electorum ad gloriam; simulque tradens de gratia Dei, quæ *Molinam* decent. *Anathema esse a Christo* is ei dicitur, in quem *Christus* peccata fratrum expianda imponit. *Apocalypsin* ut exponat *Autor*, nullum subterfugit laborem. Ipsam putat scriptam fuisse anno 66, eo quod cito *Juanes* eventum vaticiniorum crediderit futurum, ac 3½ annos eum in finem desiniverit, ut, *cladem Hierosolymitani excidii* proxime instare, constaret. Nec tamen negat, in *Breviario Romano* tradi, prophetiam hanc sub *Domitiano* scriptam esse. Numerum 666 in voces וּמַרְרָה וּמַרְרָה, quæ *defectionem & rebellionem* denotant, infert. *Symbola & nomina ænigmatica* enodare

tentat

tentat licentiose, e. g. per *Parmon* intelligens Judæam, per *Armagedon* Hierosolymam, per *terram* Judæam, per *mare* Hierosolymam, per *Gog & Magog* exercitum Romanum, e Syria advenientem, per *Nicolaitas* Judæos, idololatria Romanorum ex parte implicatos, per *septem montes* Romam septicollem, per *decem cornua* decem Judææ toparchas, &c. Nostrum est, id addere, *Harduino* visum, *Apocryphos* vaticinia excidio Hierosolymæ fuisse completa. Prævidemus jam, quanta contentione in Academiis hypothefes *Harduini* sint excitaturæ pulverem palmamque nobilem. Multa sane insunt sententiis ingeniosissimi viri, quæ punctum ferunt; plura autem limam haud sustinebunt. *Harduini* Dissertatio, quæ *Cephæm* a *Petro* *Ciel. II*, Pag. 785. n, distinguit, jam separatim olim fuit edita, & a viris summis refutata. Vide *Jo. Christ. Wosii* *Curas* ad eum locum. Dissertatio altera, qua *adv. Servitio* dicti *Joanni* de tribus in cælo testibus vindicatur, lucernam olet, & cedro est digna.

TENTAMEN THEOLOGICÆ DOGMATICÆ METHODO scientifica pertractatæ, Autore DAN. WYTTENBACHIO, Bernate V. D. M.

Tomus I.

Bernæ, ex officina Emanuelis Hortini, 1741, 8.

Alph. 1 plag. 15.

In Præfatione exposuit Pl. Rev. Autor methodos varias, quibus Theologiam explanarunt majores, rationesque suppeditat, quibus ad recentiorum methodum, qua disciplinæ philosophicæ nunc tradi solent, adhibendam fuerit adductus. Scepticismo ac libidini cavillatorum, atque logomachiis, haud aliam methodum feliciter opponi, arbitratur, pronuntians tandem: *Non putandum est, cum hæc methodus audiatur mathematica, aut geometrica, eam in rebus solum mathematicis locum invenire; verum ipsa ideo hoc nomine salutatur, quod non nisi a Mathematicis distincte ac plene fuerit adhibita, & rite applicata, cum alias res & veritates cujuslibet generis eam admittant.* Ut Autor difficil-

difficillimas quæstiones solveret *de origine mali, de bonitate & justitia Dei circa illud, de libertate hominis, ejusque cum concursu divino & gratia efficaci concordia, de imputatione actuum humanarum, & peccato originali, lectionem Theodiceæ Ill. Gosbofr. Guil. Leibnitii* tibi commendatam habuit, addiditque in eam rem hæc: *Ejus summi Viri cogitata cum ingens iis ipsis controversiis decidendis afferre tamen, & ceteris veritatibus revelatis præsidium, mihi viderentur, egregias ipsius observationes mente in Theologiam transferebam, & cum iis, quæ in Theologorum nostrorum habentur libris, comparabam.* Operam deinde impendit Operibus Ill. Christiani Wolfii philosophicis, ac, juncta lectioni meditatione, veritates, in *Theodiceæ* sparsas, suo quasque collocatas loco, & sequentes e præcedentibus deducas, invenit, cunctasque reliquas veritates cum doctrina de anima, mundo, ac Deo, ibi traditas fuisse eo modo, qui scientiis convenit, & convictionem parit, deprehendit. Simul credidit, confestimque sensit, veritates theologicas methodo tractari posse eadem. Appulit ipse huic destinationi animum & calamus, atque sex priora Theologiæ loca, eo modo composita, A. 1735 ostendit Ill. Cramero, qui ea ætate Marpurgum gloria Philosophiæ ac Jurisprudentiæ illustrabat, ac Nostrum, ut coactus perficeret, studiosè hortabatur. Adidit deinde Vir præstantissimus locorum duorum elaborationem, & quidem eo tempore, quo Cl. Carpovii Institutiones Theologiæ revelatæ, ad eam methodum accommodatæ, in lucem nondum exierant. Nec tamen negat, sese a Cel. Canzii meditationibus, quas *Jurisprudentia hujus theologicæ* suppeditat, valde adjutum esse, atque multo cum fructu legisse Cl. Carpovii libellos, alterum *de Mysterio Trinitatis*, alterum *de Imputatione*, inscriptum. Sunt, qui queruntur, Theologiam hac ratione superstrui Philosophiæ, veritates supernaturales inædificari naturalibus, commixtionem fieri rerum divinarum humanarumque, auctoritatem divinam subjici humanæ, &c. His respondet Autor, veritatem quæcumque esse divinam, Deum veritatum omnium esse autorem, dari articulos mixtos, usum rationis instrumentalem ab Exegesi, ipsorumque mysteriorum expositione, sejungendum

gendum non esse, methodum naturalem non esse detrimento doctrinis supernaturaliter revelatis, & non nisi ex parte patefactis, pernicacisque Evangelii hostes & empernas per veritates naturales communiter receptas deducendos esse ad supernaturales amplectendas. Universum ipse Theologiæ dogmaticæ in 12 loca digessit, quo antea priora quinque *Tomo* huic *primo* inseruit, nominatim *de Theologia naturali, de sacris literis, de Deo simpliciter & oppositè spectato, de actionibus Dei immanentibus, atque transeuntibus.* Præmisit nonnihil, ut tradere posset divisionem Theologiæ generalis, atque exhibere rationes, cur Theologiam revelatam hac methodo docere voluerit. Communicavit ibidem fundamenta, quibus veritas innititur religionis Christianæ. Cur vero doctrinam unam alteri præferret, ordinemque hunc, quo utitur, selegerit, exponit in e. i. Præfatione admodum solide & eleganter. Doctrinam autem decreto Dei, præcipue de eo, quod appellant *absolutum*, perspicue ac distincte, molliusque more inter suos consueto, executus fuit, ac contingentie moralis libertatisque adeo rationem habuit, ut ratio haud facile sit inventura, quod culpare possit. Commemorabimus hæc loco suo evidentius. Singulare est hoc Autoris pronuntiatum: *Spes est, fore, ut, simul ac positiones Leibnitianæ sese probabunt diversis Christianorum partibus, hæc, ne quidem iis, qui ecclesiæ Romanae sunt addicti, exceptis, non amplius Reformatis super prædestinatione litem moveant.* Non dubitamus, quin maxima controversiæ pars in sumum sit abitura, si Reformatorum reliquorum antistites doctrinam, de absoluto decreto exponi solitam, haud aliter exposituri sint. Addit Noster: *Positiones Leibnitianæ etiam id boni asserunt, ut clarum faciant, quod & cur decretum Dei sic non nisi unum, scilicet quia mundus cum omnibus suis eventibus ob nexum non nisi unum quid est. Unde ordine decretorum in prædestinatione nequaquam est opus, & ex hoc ordine quomodo dissensus inter Protestantes circa doctrinam illam originem trahat, ostendere mihi sumsi, de qua tot scripta eristica, nocte æterna sepelienda, tanta animorum contentione sunt protrusa. Ipse arbitratur, nec Supralapsariorum, nec Infralapsariorum, dogmate*

P

amplius

- amplius esse opus, siquidem secundum expositionem traditam omnia in mutuam societatem ac oscula ruunt, licet ipse sese locis haud unis Infralapsarium praestiterit. Plures ipse constituit globos habitabiles, nec dubitat, stellis fixis suos esse planetas. Usus sententiarum morales omisit. Perspicue scripsit, tertie haud pariter. Nec hoc ipse dissimulat. Optamus serio, ut *Tomus II* ac *III* propediem videant lucem, eodem pacis ac æquitatis condimento spectabiles. Ut vero S. Rev. *Ribovius* remisit lectores passim ad elementa *Perill. Christiani Wolfii* Latina; ita Noster Germanicarum philosophicarum ejusdem Institutionum habuit rationem. Dari Theologiam naturalem, Theologiæ vocem a Græcis, falsè religioni addictis, originem trahere. Socinianos immerito Theologiam conculcare naturalem, gentes multas esse ab atheismi crimine liberandas, ac Pyrrhonismum theologicum esse insulsium, tradit. Theologiam experimentalem hæcere adhuc intra desideria pia, credit, ratus, *Perill. Wolfium* monstrasse primum rationem, qua ista sit tractanda. Existere eam, tradit ex *Jo. VII, 17, & Act. X, 34*. Ordinem partium Theologiæ enarrat succincte. Ipse hinc inde errores dissentientium elidit. Utilitatem Theologiæ apodicticæ exhibet. Eam methodo scientifica tradi posse, ostendit. Addit præterea, dogmaticam ea methodo esse tractandam, eo quod convictio sit necessaria, & objectiones, quas Theologi solent obmoliri, faciles sint dissipatu. Convictionem tamen, methodo ea partam, docet, effricem tantum esse fidei humanæ. Monet deinde, systema Philosophiæ nominis veri haud existisse ante *Christianum Wolfium*. Indolem Theologiæ systematicæ deinceps exponit, & loco primo Theologiam edisserit naturalem. Rationem refellendi Idealistam suppeditat succincte & concise. Laudat Dissertationem *Cl. Carpovii de Principio rationis sufficientis*, quod ipsum Noster extra dubitationis aleam ponit, ejusque usum late patentem *Leibnizio* inventori adscribit. *Canzii Usum Philosophiæ Leibnitiana* prædicat, ludibusque effert. *Bülfingeri Dilucidationes* non minoris facit. Attributa Dei passim consensu sapientiorum e gentibus illustrat. Infinitum esse Deum, id est, supremo gradu, eoque immutabili, simul

mul omnia habentem, quæ ipse habere potest, tradit. Mundum esse natura contingente, atque, cum antea non existerat, existere per Dei actionem omnipotentem cœpisse, solide ostendit, monens, eum ex nihilo, non metaphysice, sed physice, intelligendo, ortum esse. Deo tribuit *facultatem* creandi, id est, vim, in qua creationis ratio sufficiens inest. Inprimis accurate ostendit, Deum, ni præcognovisset nexus mundorum omnium possibilium æque ac ejus, quem re ipsa produxit, in mundi creatione sapientiam ac bonitatem haud exercuisse, ac in rerum perduratioe tunc quidem casus fortuitos intercedere, Deo impervios. Miramur, Philosophum nuperum, qui ideam electi mundi optimi a Deo removere contendit, id ipsum haud æque introspexisse, sed opinionem, in castris atheorum tritam, adoptasse. Hi enim somniant, ex eo, quod causa quædam aliquid produxit, non sequi, eam distincte illud cognovisse. Unicum esse Deum, Autor comprobat ex unitate mundi, cui sufficit causa una infinita producendo ac conservando. Justitiam Dei definit per attributum, quo is bonitatem suam sapientissime administrat. Definitio, de optimo allata, apparet nobis justo contractior. Ea enim sic habet: *Qui melius eligit, est optimus.* Ille enim optimus dicitur, qui præstat summis perfectionibus, earumque alios reddit participes, quoad illi earum sunt capaces. Dari actiones humanas nec bonas, nec malas, inficiatur, ratus, moralitatem actionum liberarum deprehendi in actionum natura & relatione ad statum hominum. Audit porro, legem naturæ esse necessariam, æternam, immutabilem, nec voluntate Dei constitutam. Proscribit itaque essentias arbitrarias, quas qui propugnant, largiantur, oportet, Deo integrum esse, surta vel præcipere, vel interdici, &c. Rationem subjektivam, qua quis vult, quia vult, a Deo removet. Animam esse pœnæ capacem post hanc vitam, solide demonstrat. Ex eo, quod dari potest placamentum, quo justitiæ divinæ ad avertendas pœnas, a nobis promeritas, sit satis, nec tamen illud rationi humanæ, sibi relicte, esse exploratum, Autor colligit, divinitus existere doctrinam, qua instituemur de indole illius placamenti. At quid? Si quis dixerit, placamentum

Pag. 44.

47.

49.

55.

63.

67.

68.

82.

- camentum illud quidem esse *δυνατόν*, esse autem prorsus im-
 Pag. 89. probabile? Characteres revelationis genuinæ, divinitus imper-
 titæ, egregie exponit, quos non minori cum soliditate ad sa-
 cras literas transfert, *Jaqueloti* cogitatis limatissimis subinde
 114. usus. Miracula, quæ solent *Pythagoræ* ac *Apollonio Thyaneusi*
 assignari, esse conficta, monstrat. Quid de miraculis, quæ
 Magis Ægyptiorum tribuuntur, sit sentiendum, non plane est
 certus. Id vero ostendit luculente, nos de autoritate Codi-
 cis sacri posse esse certos, licet ecclesia adspectabilis haud ex-
 132. stet. Pontificios, secus statuentes, impugnat. Incorruptum
 154. esse Codicem sacrum, copiose ita comprobatum. Conqueri-
 tur cum *Wolfio*, Lexicon accuratum nondum esse confe-
 ctum, in quo voces Ebraicæ, Chaldaicæ, & Græcæ, originales
 175. per definitiones genuinas sint expressæ & explicatæ. Regulas
 exhibet exegeticas non contemnendas. Dari iudicem in re-
 bus fidei falli nescium, negat. Usam rationis in Theologia
 necessarium communit, limitibusque coerctet. Epistolam illam
 210. *ἐκ Ἀκαδημαίας Col IV, 16*, esse epistolam, a *Paulo* ad *Ephesios*
 scriptam, cum *Juane Millio* arbitratur. De traditionibus ita
 exponit, ut neget, Protestantibus fordere quaslibet historicas
 213. traditiones, rejicit vero dogmaticas. Ideam de Deo innatam
 216. exponit per potentiam propinquam perveniendi ad cognitio-
 nem Dei. Successionem a duratione Dei removet, & tempus
 220. infinitum ab æternitate Dei differre, monet. Ideam mundi
 optimi a Deo electi stabilit, rationemque objectivam esse de-
 228. creti divini fundamentum, largitur. Scientiam Dei mediam
 237. esse superfluam, pronuntiat. Deo tribuit præscientiam
 241. futurorum contingentium, siquidem, ea cessante, Deus haud
 potuisset mundum eligere perfectissimum. Per præscientiam
 ejusmodi actiones humanas liberas exui libertate, negat, & So-
 244. cinianos, secus ratiocinatos, refellit. Mundum hunc esse
 251. optimum, id est, sapientiæ Dei convenientissimum, ostendit.
 252. Libertatem Dei esse maximam, commonstrat. Voluntatem
 beneplaciti & signi a voluntate decreti & præcepti haud
 256. differre, ostendit. Voluntatem antecedentem proprie talem
 Deo tribuendam esse, negat, largitus tamen, posse eam reti-
 neri

neri per abstractionem mentis, ac improprio sensu, *praesertim*
si objectum ejus limitetur, ut nempe tantum versetur circa sta- Pag. 258.
tum hominis post hanc vitam, habeatque pro objecto officium homi-
nis & premium, adeoque conveniat cum voluntate signi. Vo-
 luntatem, Deo quam Arminiani tribuunt, inefficacem defen-
 sione indignam existimat. *Bellii* objectiones, bonitati Dei in- 263.
 tentatas, retundit. Removet porro objectiones eorum, qui 268.
 definitionem *justitiae Wolfianam* labefactare & cavillari student.
 Poenas a Deo irrogari putat ob tres rationes: 1) ut is, qui pec-
 cavit, in posterum melius agat; 2) ut alii exemplo monean- 274.
 tur, ne male agant; 3) ut turbatus ordo restituatur, nec ma-
 lefici porro noceant bono publico. Negat, Deum posse di-
 mittere maleficia plana impunita. Unicum dari Deum, soli- 280.
 dissime credit demonstrari ex principio indiscernibilium. Iram
 Dei exponit per severam ejus voluntatem puniendi malos. In
 definienda Dei sanctitate accedit *Cel. Cantzio*. Mallemus eam 285.
 definire per perfectionum consensionem cum fine convenient-
 tissimo, ut significatus Biblicus conservaretur. Undenam enim
 homo vel angelus dicitur sanctus, nisi ob eam rationem, quod
 vires suas in consensione cum fine convenientissimo, divinitus
 patefacto, perpetuo exercet. Doctrinam de Trinitate fuisse
 revelatione dignam ob placamentum recte intelligendum,
 monstrat. Omnipraesentiam attributis Dei annumerat. 288.
 Substantiam divinam fuisse cum qualibet trium personarum com- 308.
 municatam, docet. Decreta Dei temporaria & successione
 gaudentia proscribit; esse autem decreta Dei in accidentium
 numero habenda, negat. Ostendit, decreto Dei inesse ratio- 328.
 nem objectivam. Decretum, arbitrio soli superstructum, quo
 quis vult, quia vult, proscribit. *Decretum absolutum* expō-
 nit per decretum Dei, quatenus id versatur circa adminicula
 & fines. Addit hisce: *Minime autem decretum Dei absolutum* 332.
est eo sensu, quod Deus quid decernat nullo habito respectu ad
media, eo ducentia, uti inter homines quis dicitur absolute quid
velle, dum non vult desistere a proposito, nulla habita ratione
ad media, quae eo ducere possunt; hoc enim sensu decretum ab-
solutum repugnaret sapientiae divinae; nec eo sensu Reformati

Deo tribuunt absolutum decretum, siquidem jugiter inculcant, media non esse separanda a fine, & si finis decretus sit, etiam media decreta esse. Eadem fere docuit Görtlerus in Inst. Theol. §. 173 pag. 225. Decretum Dei absolutum, nexumque causa-

- Pag. 334.** rum atque effectuum, Autor reputat pro re eadem, libertatemque actionum humanarum cum eo conciliare contendit. Doctrinam de prædestinatione ac reprobatione ita exponit, ut
- 345.** Nostrates ea quodammodo fore contentos, suspicemur. Faxit supremum Numen, ut fissuræ Sionis, si id fieri possit, tandem reparentur, veritasque pacem coagmentet! Autor certe Nostrates ubique blando fratrum nomine prosequitur, ratus, controversiam de prædestinationis dogmate esse logomachiam.
- 354.** Oracum tandem volumus Autorem Pl. Rev., ut copiosum accuratumque Indicem *Tomo III* subjungat, indicandis sententiis, quæ *Tomis* singulis insertæ conspiciuntur, accommodatum; siquidem prævidemus, fore, ut volumen hoc universum universali attentione excipiat, & crebra volvatur manu, licet gratia Christi expiatoria in eo exhibeatur non nisi particularis.

**JOANNIS BAPTISTÆ BIANCHI, IN ARCHIA-
trorum Magistratu primi a Consiliis, Regiæque Tauri-
nensi in Academia Medicæ Facultatis Professoris, de
naturali in humano corpore vitiosa morbosaque
generatione Historia.**

Augustæ Taurinorum, ex typographia Jo. Baptistæ Chais, Genevæ, apud hæredes Crameri & fratres Millibertos, 1741, 8.

Alph. 1 plag. 8, Fig. æn. 3.

Doctissimus, torque editis Operibus Celeberrimus, Autor, cum ingenti labore res illas collegisset, quas, ut optime norunt Medicinæ bonarumque artium in Taurinensi Academia cultores, vix alibi reperias, amicorum precibus, humanæ generationis historiam ab eo postulantium, morem gerendum ratus, librum hunc, multis utilem futurum, aliis Operibus suis, postea publicandis, libamenti instar præmisit.

mist. Cum enim humanorum foetuum balsamo illitorum ex-
 ficcatorumque, quibus primi incrementorum gradus usque ad
 maturi foetus mensuram ex ordine designari possent, magnam
 copiam teneret; hinc facile ei fuit, humani foetus historiam bre-
 viter digerere. Atque hoc ipsum, licet antea clarissimi quique
 viri exequendum susceperint, tamen accurate adeo diligenter-
 que nondum perfecerunt. Nimirum naturali generationi vi-
 tiosam atque morbosam ita conjunxit, ut fere omnia figuris ex-
 primantur, quas discipulus ejus, *Nicolaus Broardus*, accuratissime
 delineavit & sculpsit. Habetur itaque generationis materia *tres*
 in *Partes* divisa, quarum *una* foetus primordia, & incrementa
 gradatim usque ad ejus maturitatem, continet; *altera* vero
 conceptus, graviditates, & partus, explicat, qui a principio
 quidem naturali proficiscuntur, sed tempore, loco, modove
 non naturali, succedunt; *tertia* demum nocentium animalium
 conceptus exhibet, qui a praeternaturali principio in variis
 humani corporis partibus producuntur. Ut vero Operis hu-
 jus summam exhibeamus, quae in *prima Parte* continen-
 tur, haec sunt: Quatuor generationis principia, aut instru-
 menta, nempe *germen* praeivium, seu semen, aut *embryo*, quod
 idem est; *folliculus* continens, qui *ovum* dicitur; *fecundans*,
 seu generans, causa; denique foecunditati germinis, usque ad
 generationis complementum, conveniens stationis locus, qui
incubatus vocatur. Haec requiruntur ad naturalem generatio-
 nem explicandam. Explicatur deinde, quid sit ovorum maturi-
 tas, quid eorum alibilia vasa, quid placenta, & quae praeser-
 tim hanc inter & foetum communio vaforum intersit; quomo-
 do *embryo* ab *ovario* solvatur, in uterum descendat, & huic
 annectatur; quatenam amnii liquoris immutatio fiat; qua ra-
 tione sanguis conficiatur; unde cordis motus, humorum cir-
 cuitus, ceteraque vitales functiones, proveniant. Hinc du-
 plex aetas consideranda occurrit, nempe antequam nascatur foec-
 tus, & postquam in lucem editus est. Exponitur primo, qui
 motus & liquores prima foetus aetate eidem & matri communes
 sint, & quae partes in foetu agant, in nato vero deleantur, aut
 otiosae

otiosæ permaneant. In altera vero ætate unam primis mensibus hunc munculi nutritionem esse; sequentibus celebrari duplicem; quæ partus causa sit, & quid a partu contingat in homine, ostenditur. Hinc, ut ea, quæ ante partum adveniunt, patentiora fiant, redit Autor ad recens fecundatum ovum, atque ejus in utero accretionum leges & ordines ex suis archetypis demonstrat, additque causas & tempora, quibus foetus in utero vertitur, & quæ inde succedant; simul docens, quem locum teneat *placenta* tum in *ovario*, tum in *utero*; quomodo his necatur, & quænam sint ejusdem & vasorum umbilicalium mutationes, quæ graviditatis processu contingunt. Tandem foetus, ab Autore observati, & hic descripti, cum aliorum Autorum foetibus comparantur, atque omnia Tabulis æneis insculpta luculenter apparent.

Altera sequitur Pars, quæ morbosam generationem explicat. Hic vero, quidnam in mulierum *ovariis*, tubis, & utero, interdum vitiosam generationem efficiat; cur mulieres præ cæteris animantibus vitiosæ generationi obnoxie sint, & quantum mulierum intemperantia eidem conferat, ad amissim explanatur. Deinde vitiosi omnes conceptus, externi, interni, & intermedii, etiam mola falsa germina, & monstra, describuntur. His adduntur foetus, vel diutius coerciti, indeque exsiccati, aut etiam incorrupti, vel brevius immorati, qui abortus dicuntur. Incorruptorum vero foetuum adducitur casus, qui omnium consideratione dignus est. Nam Taurinensis mulier post quindecim graviditatis annos mortua est, ex qua, publice dissecta, foetum pinguem, integrum, & omnino incorruptum, Clarissimus Autor extraxit. Sequuntur vero omnium differentie & indicia cum exemplis, quæ ex suis historiis Autor decerpfit. Tantem quorundam vitiosorum conceptuum auxilium, seu cæsareus partus, internus externusque, copiose diligenterque describitur. At de superfœtatione determinatum nullum occurrit Autoris judicium. Quid ergo? Fortasse rem adeo difficilem, adeoque tenebris involutam, Autor explicare in posterum, certisque observationibus illustrare, meditatur. Interea, dum

ii

in Historia pag. 141 superfœtatio describitur, cum, fœtu mortuo, hæmorrhagia, uterino aperto osculo, indeque menstrua, subsecuta sunt, inde erui potest, nullam fieri superfœtationem, dum fœtus adhuc vivus, uterique osculum oclusum est. Hinc, de superfœtatione aliquando ortam fuisse suspitionem in celebri illa Taurinensi 15 annorum graviditate, scribit Autor, quod accidere poterat, quia fœtus defunctus erat, & menses quoque fluxerunt. Eadem ratione binæ illæ superfœtationes contigere in muliere, cujus historia describitur pag. 100 seq. At enim Clarissimus Autor pag. 76, aliisque locis, ostendit, vivificans virilis genituræ effluvium per uterum & tubas ad ovaria recta ferri. Expleto autem conceptu, uteri aditum omnino occludi, nemo nescit. Quo vero tempore in humanum corpus anima indatur, pag. 221, aliisque locis, Autor designare videtur; cui non ignotum esse divinamus, nullum aliud animæ ingressui momentum temporis, præter conceptionis illud ipsum, assignari posse.

Tertia demum *Pars* morbosas generationes exhibet, quæ a præternaturali principio in variis humani corporis partibus sunt, morborumque sunt cause. Verminosæ itaque germinationes ut explicantur singulæ, ita etiam vermium dispositio docetur. Dividuntur humani vermes in eos, qui vel infra, vel extra, cibarium canalem degunt. Primi vero aut naturales dicuntur, aut morbosi. Naturales vermes, seu teretes, lumbrici, pineales, tæniolæ, & ascarides, qui homini familiares sunt, & natura sua innocui, breviter hic memorantur, indeque transitus fit ad peregrina & infesta animantia, quæ in alimentorum fistula aliisve partibus aut intrusa, aut orta, fuerunt. Demonstrat postea, intestinales tænias, proprie dictas, variis speciebus & formis instructas esse; unde tot scriptorum dissidia facile conciliantur; atque insuper, has tænias non propriam speciem constituere, sed teretium vermium monstra esse posse, dubitatur. *Cucurbitini* vermes dicti, eorumque novæ partes, invisique ad hanc diem juncturarum modi, atque earum rationes, aperiuntur. Postmodum inter monstruosa intestinorum animalia *Lacerti-forme*, aut, si lubet, *Salamandri-forme*, in-

fectum apparet; *Cruci-forme*, vel potius *bombyci-forme*, subsequitur. Adest quoque *anguiformis viviparus* vermis; cuius causa *intestinales* ipsos ordinarios *oviparos* esse alteros, alteros *viviparos*, exemplo pariter *oviparæ viviparæque muscæ* conjicitur. Extranea deinde humani corporis bruta ab extraneis quoque parentibus propagari, ostenditur. Hinc ad vermes extra intestina natos transitus fit, quorum alii in partibus sunt, e quibus exitus pater, alii vero alicubi degunt, unde exire non possunt. Ex tribus primorum vermium classibus prima in exteriorum sensuum organis aut cavéis viventes, seu aurium, narium, oculorum, & oris, vermes, complectitur; altera vermes per naturalia trajicientes sistit, nimirum *renales*, aut *urinales*, dios, iteinque qui utriusque sexus genitalium partium morbofi sunt; tertia *ne-rearum* majorum viarum incolas, seu *pulmonarios*, continet. Plerique vero singularibus Autoris historiis firmantur. Deinde, ad eos, qui, ad corporis fores non positi, nullam videntur habere viam, qua exeant, gradu facto, primum hepatici vermes, hinc illi, qui nidulantur in cerebro, tum quæ super his plane comperta sunt, adjiciuntur. Succedunt lienis, pancreatis, pericardii, ipsiusque cordis, ac aliorum viscerum, vermes; atque etiam volatile quoddam insectum, spermaticæ hominis venæ assidere repertum, cujus folliculus atque incubatio ostenditur. Porro *mesenterici naturales* hominum vermes demonstrantur, qui suapte natura nec rumpunt, nec rodunt; intermediis item generis alii, seu qui inter externos internosque censendi, variam cum propriis latibulis rationem consequuntur, scabiei vermes, atque *phthiriasis pediculi*, quibus additur recens quoddam vermium cujuslibet morbi propriorum commentum. Atque, habito, in corollarii locum, brevi de vermibus sanguinis naturalibus morbofisque sermone, ipsa, ad complementum operis, humanorum cadaverum genuina animalia, eorumque *chrysalides*, & nata muscarum genera, attinguntur. En præcipua Medicinæ studia simul connexa. In *priori Parte* naturalem historiam anatome illustrat; in *altera hæc praxi*; in *ultima* tandem naturali historiarum praxis, inservit.

Jam

Jam vero res illas, quæ vel huc usque nunquam ab aliis explicatæ fuerunt, vel speciatim in hoc Opere demonstrantur, breviter subjiciemus: Fœtus, dum adhuc vermis est; justa fœtus progressio a statu vermis usque ad maturitatem, cum singulis accrementorum gradibus & dimensionibus; causa, modus, & tempus, quo fœtus in utero volvitur; usus renum succenturiatorum, tympi glandula, ut dicunt, cæci intestini, & appendicis vermiformis in fœtu; varix *placentarum* cum aliis secundinis proportionibus, earumque per gradus incrementum; varix *umbilicalis* funiculi habitudines, quæ graviditatis progressu eveniunt; diversæ vitiosarum graviditatum species, quæ extra uterum contingunt; quarum plures, hætenus ignotæ, aut obscuræ, historiis & notis illustratæ sunt; vera diversitas & origo molarum, atque spuriorum, seu falsorum, ut dicunt, germinum; quibus uteri partibus diversi tumores eveniant, dum fœtus in eo continetur; atque herniarum uteri naturalium ac vitiosarum; binæ, dissimilesque, partus cæsarei species; cerebri, urinæ, & aurium, vermes, meliorem lucem expositi; humani vermes, & præcipue teretes, in *oviparos* & *viviparos* distincti; ampla cucurbitinorum rima; varia foeminarum capita; cibarii canalis eruca; Salamandriiformis intestinorum vermis; Scarabæus inter humanæ spermaticæ venæ tunicas repertus; humanorum cadaverum vermes, & eorum indoles; humanorum omnium vermium accuratior in species divisio; fœtus in *ovario* nutritus, & auctus, deinde in cæcam ventris cavitatem delatus, atque 14 annorum & ulterius spatio ibidem reservatus; ac tandem, mortua matre, ab eadem humidus, mollis, recens, pinguis, & flexibilis, instar viventis, extractus; *placenta* in ovis præexistens, & situs supra vesiculas in *ovariis*, ejusque *identitas* per varios incrementi gradus in ovis, atque ovorum etiam *identitas* cum vesiculis *ovariorum*; proindeque, ovorum, quæ in luteis corporibus dicuntur, ficticiam esse hypothesein, ostenditur; cur ligamenta intestini coli ad vermiformem appendicem coeant, & desinant; quo tempore ab humano fœtu, dum adhuc est vermis, artus prodire incipiant, & quales eorum justis progressibus;

gressus; quæ extra uterum graviditates, aut in uterinis ipsis graviditatibus vaginæ disrptiones, mortiferæ suapte natura sint, quæ vero non sint; diversa monstrorum genera & causæ; teretes intestinorum vermes propria indole non rodere, nec nocere; aliaque singularia non pauca.

Tractatus hujusmodi, eleganti stilo conscriptus, vere novus dici potest, cum nemo de triplici generatione, quæ in humano corpore sit, huc usque simul tractaverit. Quia vero prudens Autor, materiam hæc medicam tam brevi dilucidari non posse, cognovit; in suo hoc Opere passim admonet de iis rebus, quæ ad historiam hanc complectendam adhuc desiderari possunt. Hoc ergo nomine magnam etiam laudem meretur, quod inceperit, atque ceteris viam steruens, ad historiam hanc, utilem adeo & necessariam, perficiendam velut facem prætulit.

DE L' ATTAQUE ET DE LA DEFENSE DES PLACES par Mr. DE VAUBAN, Marechal de France, & Directeur general des Fortifications du Royaume.
id est,

DE OPPUGNATIONE ET DEFENSIONE locorum munitorum; Autore Domino DE VAUBAN, supremo copiarum Gallicarum duce, & munitioum castrensiū per regnum universum direttore primario.

Tomus I.

Hagæ Comitum, 1737, 4 maj.

Alph. 1, plag. 6, cum Tabb. æn. 33.

Quibus opibus instructus Ill. *Vaubanius* manum Operi huic admoverit, ex elogio vitæ ejus, quod *Fontenellius* composuit, satis constat. Postquam *Ludovici XIV*, Galliarum Regis, auspiciis supra 300 munimenta vel nova condiderat, vel vetustate collapsa aut emendaverat, aut instauraverat, plus quam quinquaginta munitissimorum locorum, imprimis in Belgio, obsidiis interfuerat, quæ ex suo ingenio maximam partem instruxerat, in præliis

præliis plus quam 140 strenue pugnaverat, illa rei militaris fecerat experimenta, ut suo tempore superiorem nullum in arte oppugnandi & defendendi, paucissimos forte pares, haberet. Singularis illius experientiae fructus omnes hoc uno libro complexus est, destinato uti Ducis Burgundiae, qui tunc temporis in spem regni Galliae educabatur. Gallorum itaque proceres sollicito semper studio caverunt, ne *Vaubaniana* experientiae, sumptibus fere infinitis atque gravissimis belli laboribus acquiratae, commoda per libros hos exteris divulgarentur, sed inter arcana & cimelia regni Principum tantum usibus abscondita servarentur. Cum vero summi quidam viri, vel Legatorum munere in Gallorum aula versati, vel propter alia negotia Lutetiae Parisiorum commorantes, thesauros hos Gallis invidentes, magna argenti vi copiam ejus nacti essent, a multis postea descriptus liber passim circumferebatur, immodico licet pretio comparandus. Unum vel alterum Operis manu scripti exemplum in Belgium delatum, tandem bonis avibus in solertissimi Bibliopola *Hondtii* manus incidit, qui, ut publico commodo in posterum liber inserviret, illum, splendidis ornamentis donatum, typis excudere statuit. Nostrum non est, causas multis enarrare, cur, Ill. *Vaubanio* dudum extincto, ejus muniendi forma, atque disciplinae militaris principia, viris in bello maximis hodie adhuc cara sint, eorumque judicio plurimis inventis, quae post fata prudentissimi Viri publicae luci exposita fuerunt, anteferantur. Ita hoc testatur experientia, ut non sine ratione auguremur, hunc quoque *Vaubaniani* ingenii sortum singulari virorum militiam intelligentium applausu exceptum iri. Novas quidem muniendi formas Ill. Auctorem hoc libro exposuisse, non invenimus, cum illas constanter servet, quae nomine ejus ornatae, diu jam ante in diversis operibus divulgatae fuerunt, licet novis incrementis atque ornamentis passim illas donet. Liber itaque eo imprimis nomine commendatur, quod totus, ut ajunt, practicus, atque additis innumeris Figuris, elegantissime aeri incisis, quibus *Vaubanii* inventa oculis clarissime objiciuntur, cujusvis eorum, qui castra sequuntur, captui accommodatus sit. Primorum Geometriae

eriæ elementorum notitiâ ad præclarum hoc Opus intelligendum, atque in usum convertendum, vix requiritur, sed sufficiet, terminos artis militaris intelligere, ut mentem *Vaubani* quis assequatur, atque meditationum ejus uberrimos fructus percipiat. Multum imprimis lectores Geometriæ imperiti adjuvantur luculenta figurarum ichnographicarum atque stereographicarum copia, quæ non modo elegantia sua oculos alliciunt, sed, propter additas disertas atque uberrimas explicationes, hæbetioris etiam ingenii homines ex voto instruunt. Cum Ill. Autor non modo, quid in oppugnandis, sed quoque quid in defendendis, locis natura aut arte munitis observandum sit, docere instituerit, in *duos Libros* Opus hoc partitur. *Primo Libro* sub initium, quomodo præparandus sit exercitus, ad urbis oppugnationem ducendus, edisserit, qua arte atque prudentia duci militari in seligendis munimentis ante alia oppugnandis opus, & quid agendum ipsi sit, simul ac suffragio senatus bellici obsidio decreta est. Omnem igitur suppellectilem bellicam, vicinis in locis congerendam, recenset, de explorando commodissimo oppugnandi loco disserit, de pontibus, quibus commercia inter diversas castrorum partes firmentur, de inveniendis atque construendis vallo ad munitionem castrorum, de fossis effodiendis, quibus miles tutus ad hostilia opera accedere queat, qua ratione cuniculi agendi, & qua solertia miles usque ad primariam fossam hostilium munimentorum deducendus sit, copiose ac dilerte commentatur. Monet, qua ratione hostium eruptiones vel impediri prorsus, vel caveri possit, ne multum detrimenti oppugnantes patiantur, & quibus insidiis hostiles copix intra mœnia repellantur. Ubi suggestus tormentarios omnis generis instruere docet, quo intervallo ab operibus oppugnandis collocandi sint, & quid observandum sit, sive globis, sive lapidibus, onerentur bombardæ, regulis præcipit, quas experimentis, crebro a se factis, superstruxit. Dignissima Ill. Autore sunt, quæ tum de suggestibus tormentariis universis, tum de singulari illorum genere, ita instructo, ut subsultantes globi opposita opera oblique feriant, de quo nihil hæcenus ab Autoribus pyrotechnicis præceptum est, commentatur. Rebus

hus omnibus ita dispositis, viam coopertam aggredi jubet. Supponit, lineas accessus jam ultra dimidium lorice viæ coopertæ deductas esse, ubi omnis oppugnantium cura in eo versatur, ut hostem ex via cooperta exturbent, operarios in via cooperta stabiliant, qui valla aliasque munitiones subito struant, post quæ miles in genua procumbens illos tueatur, donec perfectis operibus ab ictibus hostium tuti sint. Cum Ill. Autor distincte exponere instituerit, qua ratione, & quo imprimis ordine, singula opera externa expugnanda sint, imo tempus & dies subinde accurate definiat, quibus scopum oppugnantes consequi possunt; porro edocet, quid faciendum sit, ubi, redacta in potestatem via cooperta, vel minimo periculo miles ad expugnandam lunulam ducendus est. Singulari studio explicat, qua ratione in fossam miles descendat, illamque, sive sicca, sive aqua repleta, aut paludosa, sit, superet. Egregias cautelas impertitur, quas longo usu bellorum ipse didicit, a quibus periculis cavendum, quid suscipiendum sit, sive dormiente, ut ajunt, aqua fossa repleatur, sive a rivulis ac torrentibus illa subvehatur, sive per canales in fossam derivetur. Ubi jam opera hostilia tormentorum ictibus satis concussa atque perterebrata sunt, ut spes sit, virtute insipientis militis urbem capi posse; ipsum propugnaculum sine mora adoriri præcipit, neque spe illud expugnandi facile excidet miles, si Ill. Ducis nostri consilia sequatur, etiamsi novum aggerem præne diruta opera hostes subintruxerint. Quanta cuniculorum subterraneorum in perturbandis hostibus, atque munimentis ipsorum evertendis, virtus & efficacia sit, expertis belli ducibus satis constat. *Vaubanius*, postquam de componenda pulveris pyrii materia, atque vario ejus effectu, multa præclare & utiliter disseruit, pluribus de multiplici cuniculorum usu & abusu commentatur. Tentando dumtaxat hæcenus artis pyrocholicæ magistri definiverunt pulveris pyrii quantitatem, cuius cuniculorum generi necessariam. Assidua vero meditatione, atque multa rerum bellicarum experientia, eo usque progressus est *Vaubanius*, ut certis argumentum hoc regulis explicare, & quicquid scitu de illo necessarium est, paucis verbis complecti, possit. Simplicissimæ & propterea egregia

egregia utilitate commendandæ sunt istæ, quas exponit, regulæ, cum applicatio illarum captum hominis, qui non plane obverso est ingenio, non superet. Accurate illis præcipit, quæ pulveris pyrii quantitas, quæ cameræ subterraneæ magnitudo, quæ capacitas furni, esse debeat, sive solum saxosum, sive argilla-cetum, sive arenosum, & vel conquassandum, vel projiciendum, sit. Illas hoc loco *Actis nostris* inserere, animus nobis erat; sed, cum *altero Operis hujus Tomo* longe uberius exponantur, compendio, quod brevi ex illo suppeditabimus, reservandas esse duximus. Postquam hoc de locorum, regulari, ut vocant, munitione cinctorum, obsidione præcepit, quid in urbibus oppugnandis agendum sit, quarum munimenta inter se dissimilia sunt, porro edocet. Et situs enim, & constructio, ejusmodi locorum, ut diversâ ratione castra oppugnantium ipsis admoveantur, jubent. Sed, cum dissimilia illa opera infinita ratione inter se differre possint, exemplum aliquod seligit, quo normæ loco uti possunt, quorum interest, scire, quid in oppugnandis locis, quæ dissimilibus operibus munita sunt, Auctor præcipiat. Pingit urbem, ex antiquorum instituto muro & fossâ cinctam, atque certo intervallo inter se distitis turribus munitam. Supponit, opus cornutum antiquis monumentis præstructum esse, aut moenia urbis majori flumine allui, in montibus vel paludosis locis ipsam sram esse, aut locis humili, aut turribus, vallorum loco, circumdatam esse. Casus singulos ordine percurrit, & quid duci militari, urbem ejusmodi obsessuro, cavendum, aut mollendum, sit, quomodo præveniendus sit hostis, ne vel commeatum in urbem advehat, vel auxilium obsessis præbeat, dilacide exponit. Sed nobis non vacat, omnia, quæ in hoc libro aut ingeniose excogitata, aut prudentissime instituta, aut licentem explicata, occurrunt, excerpere. Sufficiant hæc, quæ de præclari Operis instituto atque argumento generalius enarravimus, neque opus erit, quid in singulis *et Capitibus*, quibus *Tomus prior* constat, Ill. Auctor præcipiat, sigillatim repetere. E re Lectoris esse, arbitramur, ex ipso potius Opere nonnulla passim excerpere, quæ ab insigni utilitate sua commendantur. Quibus *Vnubanæ* acies mentis ex aliis ejus Operibus
jam

jam perspecta est, hisce speciminibus pro argumentis utentur, ex quibus colligant, an digna tanto Autore sint, quæ in hoc Opere proferuntur, & an genuinus illud ingenii *Vaubuniani* factus sit. Dolemus omnino, non licere nobis inspersas passim observationes rariore, regulas, longo bellorum usu confirmatas, monita militaria plurima, eaque egregia, excerpere, quæ ita cum rebus propositis cohærent, ut divelli inde commodè, atque sigillatim exponi, nequeant. Ex multis itaque arduis argumentis speciminis loco deligimus exemplum, ab Ill. Autore propositum, qua ratione ex ejus consilio vallum oppugnandum sit, cui opus cornutum præstructum est. Inter omnia opera externa plurimum roboris ejusmodi operi cornuto tribuit, modo non, secundum plurimorum architectorum militarium errorem, chordæ præstructum sit, sed ipsum propugnaculum illo ita præmuniatur, ut alam ejus utramque in sinu suo complectatur. Ita enim prælonga operis cornuti latera non solum a tormentis, in chorda dispositis, sed a lunulis quoque, ab utroque latere sitis, egregie defenduntur, cum plures quam 50 aut 60 perticæ Callicæ laterum operis cornuti, directis bombardarum, ex lunulis explosarum, ictibus pateant. Eandem insignem opem lunulæ istæ a munimentis operis cornuti mutuantur, ut difficile sit, illas destruere, nisi cornuti operis propugnacula ante diruta fuerint. Operis cornuti, quod non chordæ, sed ipsi propugnaculo, præstructum est, præstantiam ex molestissimis laboribus metiri licet, quos oppugnantes subeunt, antequam locum principalem aggredi possint. Capienda enim est illius operis via cooperta, porro lunula, chordæ ejus objecta, tunc lorice transversæ, & tandem utraque lunula, a lateribus operis cornuti posita. Superatis omnibus hisce laboribus, obsidentes ad ipsum tandem propugnaculum loci principalis accedunt, cujus utramque faciem non sine multis impedimentis oppugnandam habent. Apparet itaque, quinque munimenta destruenda & occupanda esse, atque tanto labore obsidentes parum profecisse, etiam si ratio illarum munitionum habita non sit, quas obsessi post disjecta aut occupata opera moliantur, quæ obsidentes gravissimis laboribus implicant. Ex

adversa parte III. Autor accurate computat, quid superandum, aut occupandum, ab obsidentibus sit, si cornutum opus, ut mos hactenus fert, chordæ sit præstructum, atque, subductis diligenter rationibus, demonstrat, non solum multo minores hoc casu oppugnantium labores esse, sed longe majora quoque emolumenta capto hoc opere ipsos lucratos esse, imprimis cum post redactum in potestatem opus cornutum, ante chordam positum, liber ipsis pateat aditus ad faciem utriusque propugnaculi. Tantum præstantiæ operi cornuto, ex mente sua ante propugnaculum constructo, asserit, ut ducem militarem sollicite cavere jubeat, ne urbem, tali opere munitam, ex hac parte aggrediatur, & si ulla ratione fieri possit, alium oppugnandi locum deligat. Si alio loco nullo accessus ad urbem concedatur, vult, ut sibi persuadeat, singulare præter locum principalem castellum aut arcem occupandam esse, atque mature de apparatu militari ad geminatum opus necessario prospiciat. Ut, quæ argumentis demonstravit, oculis pateant, singulari plaga opus tale cornutum, ex mente sua propugnaculo præstructum, idque tam oppugnandi, quam defendendi, rationem, eleganter delineat. Cum vero eadem sit ejusmodi operis oppugnandi ratio, quæ loci principalis; nihil novi de ejus obsidione monendum esse duxit III. Autor; donec utraque facies cornuti operis expugnata fuerit. Illas postquam obsidentes in potestatem redegerunt, in singulis dimidiis propugnaculis duas vel tres bombardas, atque in medio chordæ operis cornuti sex vel octo, collocari jubet. His enim contra segmenta, quæ obsessi interea præstruxerunt, atque loricas ipsorum transversas, opus est. Insignis quoque illarum usus est ad defensionem propugnaculorum destruendam, si satis profunde disponi possint, ut interiora hostium munimenta illis percutiantur. Illud si fieri nequeat, loci principalis via cooperta, ejusque lorica, secundum notas regulas oppugnanda, atque opera, a quibus illa præsidium mutuatur, tormentorum crebris ictibus disjicienda sunt, dum interea miles descensum in fossam parat. Cum præcepta hæc militaria longe rectius intelligantur, si opera illa accurate delineata oculis subjiciantur, III. *Vauban-*

nus figuris æri nitide incisis atque copiosis mentem suam clarissime explicat. Jubet porro, dum obsidentes per interiorem operis cornuti campum accessum ad locum principalem parant, ut pars copiarum simul lunulas, a latere positas, aggrediatur. Quid vero in hoc negotio observari velit, verbis non exponit, sed figura potius æri incisa dilucide repræsentat.

Sed reliquum est, ut paucis adhuc de *altera Parte Tomi prioris* præclari hujus Operis dicamus, qua Ill. *Vaubanius sex Capitibus* præcipit, quid in propugnandis locis munitis præsidariis agendum, aut cavendum sit. Ab ovo rem orditur, atque præsidiariorum ducem monet, quæ ipsi expedienda sint, ubi hostes jam obsidionem minantur, quomodo lineas accessus, quas moliuntur, impedire, qua ratione tempeste eruptionem in castra obsidentium tentare, atque opera ipsorum destruere, debeat, quid in defendenda lorica viæ coopertæ agendum, qua ratione lunulæ atque ipsa propugnacula defendenda sint. Saluberrima, atque longo rei militaris usu confirmata, monita suppeditat, quæ inspersis passim haud proletariis consiliis distinguit. Sed, cum ratio defensionis locorum secundum oppugnantium machinationes necessario ineatur, plurima eorum, quæ profert, in regulis illis fundantur, quas *priori Parte* exposuit, nec sine circuitu a nobis repeti possunt. Satis nobis est, Opus, egregiis atque utilissimis consiliis militaribus refertum, usui eorum, qui exercitus ducunt, ipsa argumentorum præstantissimorum expositione commendasse. De *altero* ejus *Tomus* proxime agemus.

MISCELLANEA BEROLINENSIA, AD INCREMENTUM Scientiarum, ex scriptis, Societati Regiæ Scientiarum exhibitis, edita. Continuatio quarta, sive Tomus quintus. Cum Figuris & Indice contentorum.

Halæ Magdeburgicæ, in officina libraria Rengeriana, 1737, 4. Alph. 1 plag. 7.

Avide excipimus *Tomum* hunc *quintum*, qui Lectori delicias ostendit longe exoptatissimas. *Pars prima* continet ea, quæ disciplinis mathematicis propria sunt ac dicata. *Pars se-*

- cunda* complectitur observationes, cum physicas, tum medicas. In *Parte tertia* lectori sese offerunt literaria. In *Parte prima* exhibentur 1) *Alphonsi des-Vignoles* Supplementum ad disquisitionem de Cyclis Sinensium; 2) *Philippi Naudæi* Conspectus Trigonoscopix novæ; 3) *Jo. Bapt. Clairaut* Problema de nova quadam Tractoriæ specie; 4) *Gottfr. Kircbii* Observatio Cometæ, A. 1699 in suprema puppi navis Argus detecti, nunc demum ex Diario ejus Astronomico edita, & annotationibus quibusdam ab ejus filio illustrata; 5) *C. Kircbii* Observations Cometæ anni 1723 a d. 19 Octobr. ad 27 Nov. Berolini habitæ; 6) ejusdem duæ occultationes stellarum fixarum a luna, A. 1736 Berolini observatæ; 7) *J. F. Weidleri* Observatio eclipsis lunæ partialis, die 2 Octobris A. 1735 horis matutinis Vitembergæ habitæ. Legerat *Alphonsus des-Vignoles* *Theophili Sigefridi Bayeri de Eclipsi Sinica Dissertationem*, eo quidem eventu, ut cyclum dierum, Sinensibus usitatum, feliciter assequeretur. Indicavit octennio post, anno scilicet 1722, *Bayerus* in *Museo Sinico* plures ejusmodi dies cyclicos. *Cel. Des-Vignoles* fecit rationes *Bayeri* suas, editaque *Dissertatione*, ea, quæ ad cyclum dierum spectant, copiosius exposuit, illustravitque simul cyclum mensium quinquennalem, nondum expositum. Confirmavit illustrationem *Bayerus*, subsidiis, ex China suppeditatis, adjutus, ut nullum dubium de hac re superfit. Habent Chineses cyclum sexagenarium & annorum, & mensium, & dierum. Seposuit *Cel. Des-Vignoles* cyclos particulares, *denarium* ac *duodenarium*, atque eorum aggregatum *sexagenarium* in sese enucleandum suscepit. Cycli duodenarii momenta accurate descripsit *Bayerus* in novo opere, hoc modo: Horam Sinæ vocant XI, ac unaquæque hora Sinica æqualis est duabus Europæis. Ipsi Sinenses Chronologi suas horas dividunt in principium, medium, & finem. Quæque horarum Sinicarum in duas semihoras dividitur, quarum una uni horæ Europææ est æqualis. Unaquæque semihora in quatuor quadrantes, quas *Ke* vocant, dividitur, quadrantibus Europæis æquales. Unumquodque autem *Ke* in 15 *fuen*, seu minuta, dividitur. Ipsi vero Sinæ numerum 15^m non excedunt.
- Cyclus

Cyclus itaque horarum sexagenarius non est in usu penes illos. Cyclus annorum sexagenarius anno ante æram Christianam 2697 tentatus fuit, inchoandus ab anno primo Imperatoris *Hoam-ti*, quamvis anno ejus demum duodetricesimo perfectus fuerit. Assumptis vero quibusdam principiis, antea propositis, perspicere sibi visus est, annum proxime sequentem cœpisse, cum Sol in 15° Aquarii consisteret, triduo ante verum novilunium, quam regulam deinceps Sinenses continuo fuerint secuti. Opinatur Vir Celeberrimus, principia sua, quibus in ea re nitatur, suffragia eruditorum nondum meruisse, & sese proinde eorum exspectare judicia, eoque dubium adhuc hæreret. At vix fallimur, rati, quadrare huc illud *Ciceronis: Tecum ipse certa*. Quis enim in Chronologia Sinensium docere hac ætate ex Europæis poterit *Alphonsum Des-Vignoles & Bayerum*? In præsens clarius, quam antea, prior docet, cyclum mensium quinquennalem, nulla habita ratione intercalarium, incipere mense undecimo annorum, qui illius cycli vocantur quinti, vel decimi. En schema cycli:

XL.	XLV.	m. I. Kia-Yn	51.
..	..	II. Quinqu.	I.
XLI.	XLVI.	m. I. Pjm-Yn	3.
XLII.	XLVII.	m. I. Vu-Yn	15.
XLIII.	XLVIII.	m. I. Ken-Yn	27.
XLIV.	XLIX.	m. I. Gin-Yn	39.
XLV.	L.	m. I. Kia-Yn	51.
..	..	II. Quinqu.	I.

Pag. 6.

Notandum 1), quod in utroque quinquennio menses annorum correspondentium semper sint iidem; 2) omnes hi menses secundo loco characterem *Yn* habeant, qui tertius est in cyclo duodenario; 3) numeri cyclici, mensibus apposti, 3, 15, 27, 39, 51, duodenario distent, eo quod sunt menses in quolibet anno, omissis intercalaribus; 4) iidem præcise sint numeri, quos Cel. Autor singulis quinquenniis assignaverat; 5) initium cycli fiat a mense undecimo, qui præcedit annos cyclicos XLI, XLVI; 6) hic cyclus mensium annis 761 ante Christum na-

- tum fuerit adhibitus, & per calculos ad annum A. C. N. 1122 revocari possit. Suspiciatur Autor, originem cycli ejusmodi deberi homagiis, quibus Reguli sese Imperatoribus obstrinxerint, ac de hoc momento peritorum expectat judicia. Quo minus de intercalatione delibemus quædam, rationibus instituti nostri impedimur. Succedit cyclus dierum plenior, quem
- Pag. 8. A. 1722 nec aliis Europæis, nec Jesuitis ipsis, notum fuisse constat. Chronologicæ huic tractationi succedit Trigonoscopicæ
- 10 seq. cujusdam novæ conspectus, a *Philippo Naudæo* exhibitus. Prædicatur hic utilitas Geometriæ elementaris, ac præter latera angulosque considerantur in triangulo momenta alia, e. g. ambitus, area, altitudo, crurum summa, vel differentia, eorundemque crurum quadratorum vel summa vel differentia, novique modi, quibus problemata solvuntur, proferuntur. Possunt etiam determinari triangula a certis datis rationibus, quas in triangulo habere debent quædam rectæ, in illo, vel in datis angulis, ductæ, vel alio quodam denique modo determinatæ. Illustrat Autor hæc solutionibus problematum quorundam ejus generis novis, novis constructionibus triangulorum, novisque demonstrationibus theorematum. Problemata ipsa geometrica distinguit in XVI classes, ostenditque, in ipsa Geometria elementari uberrimam adhuc veritatum detegendarum superesse messem.
- 29 seq. Coronidis loco subnectitur problema algebraicum, quo, cognitis cujusdam progressionis arithmeticæ numero terminorum c , & terminorum illorum summa a , atque etiam summa cuborum eorundem b , invenitur seorsim quisque illius progressionis terminus. Tertio loco *Joannes Baptista Clairaut* exhibuit de nova quadam Trajectoriæ specie problema, quo problemati illi novam dat universalitatem, qua supponitur altera sibi extremitas duci vel incedere in data quadam curva, quæ jacet in plano, quod diversum est ab illo, in quo corpus jacet. Etenim inter curvas transcendentes prima utique, quæ a Geometris considerari cœpit, haberi potest illa *Hugenii*, quæ est ea curva, quam in plano horizontali describit corpus, alteri sibi alicujus extremitati affixum, dum altera sibi extremitas in recta quadam linea protrahitur at-
33. que

que incedit. Excipiunt investigationem hanc observationes de Cometa, A. 1723 a die 19 Octobr. ad d. 27 Nov. Berolini habitæ a C. Kirchio, ad historiam amussim, primo descriptæ, deinde in tabulas chronologicas, quibus partes micrometri & intervalla adjiciuntur, redactæ, tum expressæ in tabella, qua continetur comete longitudo, latitudo, & motus in orbita propria, quibus ille observatus fuerat vesperi hora octava. Mirum, Cometam bis, & quidem duobus diebus immediate secutis, stellas fixas centraliter occultasse, quæ observationes rarissime duntaxat contingere queunt. Attendit imprimis ad tempus, quo Cometa in Perigæo esset futurus, eumque in Perigæo conspexit die 14 Octobr. mane circa horam primam. Si distantia minima Cometæ a Terra assumitur 1000 partium, Cometa quotidie 334 tales partes motu suo absolvit in semita sua, seu via tractoria. Motum ejus diurnum, visum in Perigæo, collegit esse circiter $18^{\circ} 30'$. Diameter Cometæ, cum ipse esset in Perigæo, ad minimum duplo major apparere debuit, quam apparuit die 19 Octobris, & discus ejus apparuit quadruplo major. Distantia enim Cometæ a Terra die 19 Octobr. paulo plus, quam dupla, fuit distantia perigææ. Ultimo observatus fuit Cometa d. 27 Nov. Succedit huic Observationi alia haud dissimilis argumenti, de Cometa, A. 1699 in suprema puppi navis Argus a Gothofredo Kirchio detecto, nunc demum ex Diario ejus Astronomico edita, & annotationibus quibusdam illustrata, ab ejus filio, Christofrido Kirchio. Semel eum observaverat B. parens Kirchius Gubenæ in inferiori Lusacia, ideo notandum, quod nulla de eo alia exstat cujusquam commemoratio, licet is nudis oculis fuerit conspicuus, motuque satis celeri sit gavisus, qui eum, jam satis meridionalem, & meridiem versus tendentem, celerime sub horizontem nostrum depressit. Duas stellas lucidas, secundæ magnitudinis, quas in *Bartschii* Planisphærio in posteriori parte galli existere crediderunt Astronomi, & quas *Bayernus* in *Uranometria* literis Græcis β & γ in Argo navi notavit, *Montanarius* jam A. 1690 evanuisse comperit, vel, ut crederet ita, sibi imperavit. Persuasus tandem fuit *Cel. Kirchius*, filius, illas ne quidem olim ibi existisse, sed ob errorem duntaxat

Pag. 36
seq.

45.

47.

48.

49 seq.

51.

taxat

- taxat a *Bayero* & aliis fuisse transpositas, id quod *pag. 53 seq.*
 Pag. 56 accurate demonstrat. Progredimur ad *duas occultationes stel-*
 60. *larum fixarum, a Luna ortas A. 1736*, scilicet occultationem
 0)(die 20 Jan. & occultationem Palilicii die 14 April. Acce-
 dit loco septimo *Observatio Eclipsis Lunæ partialis, die 2 Octobr.*
A. 1735 horis matutinis Vitembergæ habita a *J. F. Weidlero,*
 63 seq. *J. U. D. & Prof. Math. Sup.* Observationibus astronomicis
 succedunt physica & mathematica. Primo quidem exhiben-
 tur *Augustini Buddæi, D. Observationes miscellæ circa ussæ,* qua-
 rum quidem prima de æquivoco ossificationis præternaturalis
 sensu, secunda de exfoliatione, & quousque ea in morbis ossium
 71. sit expectanda, tertia de carie ossium tarsi, plerumque exitia-
 li, gemino exemplo comprobata, agit. Offert sese posthæc
 conspectui beati nunc *D. Casparis Neumannii* tractatio *de vi*
 74 seq. *caustica & conversione salium alcalino-fixorum, aeri expositorum,*
in salia neutra, quam suppeditavit controversia, Autori olim
 cum doctissimo *Helvetio* intercedens, quam lectione de Sali-
 bus alcalino-fixis, olim habita, ac tandem in publicum emissa, in-
 dicavit. Hic enim suspicatus fuit, vim causticam salium alcal-
 ino-fixorum potius ab acido concentrato, quam a $\Phi\lambda\omicron\gamma\iota\varsigma\delta$,
 originem ducere, saliumque alcalino-fixorum, aeri expositorum,
 in salia neutra conversionem potius resuscitationem vel revivi-
 ficationem salium acidorum in terra alcalina, mediante igne fi-
 xatorum, esse, quam ab acido ex aere absorpto posse deduci.
 Dubiis ejus removendis, ac ex observationum penu debellandis,
 penitus vacat & intentus est *Cel. Neumannus*, ea edisserens, quæ
 summam Chimix peritiam testantur. Adduntur hisce curis *D.*
 91 seq. *Joannis Henrici Potti Experimenta quædam chemica circa dia-*
crisin tartari vitriolati. Rectius quidem tartarus vitriolatus
 dici posset sal alcalinum vitriolatum. Sed usui tyranno est ce-
 dendum. *Zwafferus*, in tartaro vitriolato non dari regressum,
 crediderat. Sed in promptu est experimentum *Stahlianum*, quo
 dissolutio illa perficitur in igne fulorio additione terræ inflam-
 mabilis, qua ratione ex hac acidi vitriolici cum terra inflam-
 mabili conjunctione sulphur verum producitur, & alcalinum sal,
 sui juris redditum, rursus solvit sulphur, & hepar sulphuris con-
 stituit,

stituit, ex quo autem facili negotio cum quovis etiam levissimo acido sulphur perfectum reducitur. Sumsit Autor libras tres cum portione anatica ex alumine usto, quod miscuit, & destillationis actui subiecit. Exinde impetravit spiritus vitrioli volatilis sulphurei, cum phlegmate commixti, uncias circiter 17, cum infecuris duabus unciis spiritus magis acidi, & auctiori demum igne olei quasi nigri vitriolici, quæ separavit postea, & utraque rectificavit. Prior spiritus sulphureus volatilis solutionem Mercurii, in aqua forti factam, leviter tantum turbabat, posterior vero confestim colore albo eundem dejiciebat, qui ulteriori examine itidem acidum salis communis, sed cum alio adhuc acido commixtum, manifestabat, quod ut penitus erueret, affudit eundem spiritum auro & argento, & sub instituta digestionem vidit, quod aurum is omne dissolverit, argentum vero intactum reliquerit. Quis vero ex hac commixtione expectasset liquorem, qui aurum dissolvit? Adjungitur huic Dissertationi porro D. Jo. Phil. Scipii *Relatio de caverna vaporifera sulphurea in lapicidina Pyrmontana, quæ similis est foveæ Neapolitanae, Grotta del Cane dicta, a Missiono & aliis descripta.* Succedit Jo. Leonh. Frischii *Observatio de Bombyce, e folliculi sui textura prorepente.* Bombyx bene mane ad emolliendam inprimis internam texturam emittit ex ore suo succum clarissimum, quo madefacit locum, quem in loco vertici proximo perforare annititur. Hic unicus oris usus est, quem in bombyce, dum in papilionem mutatur, huc usque Cl. Vir observare potuit. Excipit hanc Observationem Jo. Jac. Schillingii *Continuatio Schediasmatis, §. VI pag. 334 quarti Miscellaneorum Voluminis exhibiti.* Sollicitus fuit Vir Cel. de phænomenis vitri electrici & phosphorescentis, & varia subjungit experimenta. Deinceps sequitur *Hyetometria Cvischoviana continuatio per annos 1734 & 1735.* Adduntur *Observationes altitudinis pluvie & nivis liquatæ, annis sex proxime elapsis ad A. 1734 Vitembergæ Saxoniæ collectæ, nec non A. 1734 & 1735 digitis & lineis pedis Parisiensis notatæ.* Hæc excipiunt *Observationes quædam meteorologicae, in Pennsylvania habitæ, quarum collatio cum Berolinensibus instituta*

Pag. 99

102 seq.

106 seq.

109 seq.

113 seq.

121.

123.

- tuta est a *Christfrido Kirchio*. Adjunguntur eis *Annotationes in Thermometra*. Ipse vero usus fuit accuratissimo *Fahrenbeii*.
- Pag. 131. *Indicatur celeris immutatio caloris & frigoris in ea regione, qualis in nostris regionibus est incognita, vel ad minimum inusitata. Attentionem lectoris porro excitant* *Andree Celsii Observationes meteorologicae, A. 1731 Upsaliae habita*. Februario, Augusto, Septembri, Octobri, & Novembri, mensibus lumen boreale apparuit, Septembri & Octobri frequentissimum. Ejusdem *Observatio vehementissimi frigoris, Sueciam mense Januario A. 1732 vexantis*, est admodum commemorabilis. Aliquoties ipso Januarii mense apparuit idem lumen.
132. *Causam acerbissimi hujus frigoris proximam a ventis occidentalibus, in Norwegicorum montium jugo exasperatis, qui inde a prima die Januarii interrupta serie per 16 dies stabant, precipue petendam esse, existimat. Succedit* *Leonardi Davidis Hermanni, ante paucos annos defuncti, Disquisitio historico-physica de Conchis fluvialibus margaritiferae Musla-Silesiacis*. Diligentiam ea & diuturnam spirat experientiam. Progredimur ad literaria & philologica.
157. *De re numaria Sinorum T. S. Bayeri, Regionantani, Dissertatio principatum tenet. Aurum apud Sinos ita in numero est, ut tela vestisque serica. Pretium pro portione argenti, ut tempus negotiatorum rationes postulant, varium. Nonnunquam 10 leam cum 112 leam, rursus alias cum 115 aut 120 argenti, commutantur. Imperator Sinorum numos majores quoque curat percutiendos, sed non in publici commercii usus. Hosce inter domum regiam honoris & muneris loco, natali suo, solet dividere. Qui emunt venduntve, rudibus argenti massis utuntur; ad argentarios judicium fraudis pertinet, si qua metalli admitti est suspicio. Describuntur a Cel. Bayero deinde illi numi & secundum aetatem, & secundum characteres reliquasque virtutes; quibus ejusdem T. S. Bayeri *Commercium Sinicum* subjungitur literarium, in quo de omni re astronomica, chronologica, musica, & cyclorum, egregia suppeditantur commemorationes.*
161. *Accedunt* *Alphonfi des Vignoles, Viri Celeberrimi, Observationes ad prima Epistolae initium*, quibus ostendit, conjunctionem omnium
- 162.
- 174 seq.
- 185.
- 193.
- 194.

omnium Planetarum in Piscibus, per Sinos observatam, contigisse anno ante Christum 2449. Vocat nos deinde *J. L.* Pag. 198. *Irischii Specimen Supplementarium & Observationum ad Jo. Schilteri, celeberrimi JCræ, Glossarium Teutonicum.* Ostendit, *fehlig* esse ritum & a violatione immunem, vel ob loci rationes, vel ob liberi comneatus privilegium. Additur integrum, ad literas alphabeti elaboratum, spicilegium, quo veteres exponuntur voces Teutonicæ. Vocem *Gartzaun* exponit ex *garcon, garzone.* Differit posthæc de quinque nominibus canis sagacis apud venatores in veteribus Germanorum legibus, nempe *Laitihunt,* canis ductoris, *Spurihunt,* canis investigantis, *Uracconis,* ab oris figura ob brevius rostrum, in comparatione leporarii, cuius os est acutius, *Triphunt,* qui, quærendo & vestigia feræ sequendo, eam simul agit, *Segufius* seu *Seugius,* ex *suchen,* quærendo, dictus. Ostendit adhæc, nomen *Agidii* a Germanis vulgo corruptum esse in *Gilien, Gilg, Ilien, Ilgen, Iling, Tiling, Tilgen.* Suspiciatur, vocem *Ekkehardi* junioris *Charromanicum* denotare harmoniam. Subdit idem *Origines vocum quarundam lingue Gallicæ, & simul Observationes & Supplementa ad Menagii Origines lingue Gallicæ.* Claudat agmen *Jacobi Bruckeri* Dissertatio historico-critica de *Sæcū Epistolarum,* ad Philosophos referenda, & Socraticos inter & Stoicos quærenda, qui, felicitatem restare post hanc vitam, crediderunt, cujus spe mentes suas permulserunt.

213.

216.

217.

222.

THOMÆ TENNISONII, ARCHIEPISCOPI quondam *Cantuariensis,* *Commentatio theologico-historica de Apparitionibus Dei in Vet. & Nov. Testamento symbolicis, e lingua Anglica in Latinam translata, variisque observationibus aucta. Adjectæ sunt Stricte in libellum Anonymi de Præexistentia anime Christi, Autore LAURENTIO HAGEMANNO, V. D. M. Hanoverano.*

Hanoveræ, apud Jo. Adolph. Gercken, 1740, 8.

Alph. 1 plag. 1.

S 2

Volu-

Volumine uno libellos edidit duos Ven. Autor, scriptis aliis theologis dudum nobilitatus. *Tennisonii* Commentationem fecit Latinam, atque doctissima, adversus *Tolandum* directa, Præfatione ornavit. Desumpta est illa Commentatio ex libro *Tennisonii*, quem hic multijuga eruditione quondam de *Idololatria* evulgaverat. Curavit Vir optimus, ut ea a viro lingue Anglicæ gnaro in Latinum converteretur. Quoniam verò passim cogitata Autoris vel emendanda, vel supplenda erant, observationes quasdam libello addidit Cel. Autor novas. Stricturæ non alii debentur, ac S. Rev. *Hagemanno*. Prodit in lucem A. 1739, Londini formis publicis descriptus, Gallice consignatus, liber, quem ipse hic exhibet Latine factum, ac stricturis perpetuis confixum. Index libro est præfixus: *Dissertatio theologica & critica de hac questione: Num anima Jesu Christi sit formata eo tempore, cum jungeretur corpori ejus? an ea fuerit sanctum & purum Ens intelligens, quod jam antea in celo adsuit? Qui Dissertationis Autor existit, viam ejusmodi ingressus fuit, ut quovis modo doctrinam de Christo labefaceret. Omnem is operam in eo collocavit, ut comprobaret, animam Christi ante mundum conditum præexistisse, ut ens intelligens, purum, & gloriosum, in celo, antequam corpori humano in utero B. Virginis ipsa fuerit junctum. Virgo Burignonia, Petrus Poiretus, ejus alligator, in *Oecon. div. 11, 11*, Thomas Bennetus, Theologiæ Doctor, & Vicarius S. Ægidii Cripiegatensis, in libro: *A Discourse of the ever blessed Trinity in unity*, Londini A. 1718, 8, edito, hunc jam errorem disseminaverant. Bennetus, velut aliud acturus, in eam Scyllam incidit, dum Charybdim erat vitaturus. Postquam enim *Clarkii Doctrinam Scriptura de Trinitate* legerat, animadvertisse sibi visus fuit, hunc de humana Christi doctrina vel dubitare, vel non libere satis de ea sententiam exposuisse. Ut igitur *Clarkium* ad salubriora adduceret, argumento abundante usus est, in quo plus est nervorum adscitiorum, quam rei indoles exposcit. Amplexus fuit sententiam illorum etiam, qui, animam Christi ante ejus *ἰσολογισμῶν* existisse, sibi persuadent. Ne vero symbolam Commentationi *Tennisoniana* Vir S. Rev. dene-*

gasse

gasse videretur, in Præfatione, ei præmissa, *Tolandum* castigavit, qui fidem Codicis sacri in somnia, somnia autem in nihil significantes sententias, convertere omni ope elaboraverat. At somnia & ecstases, quorum origo est divina, facile a commentis & ludentis phantasiæ idolis discerni possunt, licet largiendum haud sit *Tolando*, articulos revelationis divinæ universos in somniorum classe esse collocandos. Somnia, a Deo immissa, 1) distinctas & ordinatas idearum series fundunt, 2) animo somniantis infundunt convictionem de rei eventu, antequam is evenit. Et quis tam impulsus & vecors est, ut, visiones singulas per ecstasin, vel per somnum, viris sanctis contigisse, sustineat affirmare? Deus, vel potius Messias, sæpius ex arca respondit consulenti sese Pontifici summo; sæpe ex æthere vocem personare aures vatam iussit; sæpe visionibus, quæ hieroglyphicis erant spectabiles, mentem suam expressit, ac vigilantibus patefecit. Hæc solide tuctur Vir S. Reverendus. *Tennisonii* liber constat *Capitibus octo*. Primo exponit de remediis, quæ Deus hominibus contra idololatriam adhibenda dedit de Schechina Dei, rarus, magnam dubitandi rationem subesse, an Dei substantiam in corpore gloria affecto visuri simus, ob *Ju. I, 18*, & *1 Tim. VI, 16*, atque omnipræsentiam ejus. Secundo agit de remedio adversus idololatriam per Schechinam, arbitratus, Christum sub Vet. Test. forma angeli assumpta apparuisse, atque a Judæis *λέγον* fuisse dictum. Tertio exponit de Schechina Dei ab *Adamo* ad *Noachum* usque; quarto differit de ea a *Nocho* usque ad *Mosén*; quinto stadium percurrit a *Mosé* usque ad exilium Babylonicum, improbabili- ter docens, Seraphim fuisse angelos ministros, speciem alatorum serpentum indutos, nec ab eis differre vocem *Urim*, *Thummim* vero extitisse exemplum legis moralis, pectorali inclusum. Sexto progreditur usque ad natalem Jesu. Septimo exponit de remedio adversus idololatriam per imaginem Dei in Christo, rarus, eo nato oracula obrutuisse, quod merito improbable visum fuit Annotatori. Octavo commentatur de utilitate Schechinæ Dei. Annotationes ac emendationes Ven. Viri & moderationem & soliditatem spirant, qui

Pag. 1.

11.

17.

40.

122.

136.

158.

164.

Pag. 7. in *Stricturis ad Anonymum Leibnitianam* de præexistentia animarum opinionem refellere etiam aggressus fuit, ratus, Deum creationibus animarum in dies mundum augere, aut substantias simplices ex aliis simplicibus, ni e corporibus, posse decerpi ac formari. Videntur duo momenta esse distinguenda: 1) an animæ ante animalia nata, seu potius concepta, iam existant; 2) an animæ humanæ ante corpus, in utero formari cœptum, existant. Anima Christi certe non præexistit, sed in initio conceptionis creata fuit. Corpora vero reliqua humana, quæ generantur, in dies creari, nemo contendit. De reliquo gratulamur Ven. Auctori otia sua distentissima tam feliciter & salubriter collocata, nihil impensius læraturus, quam si operam ipsæ dederit, ut in posterum quoque plurimi ex ipso possint proficere.

GIUOCO GEOGRAFICO, &c.

id est,

LUDUS GEOGRAPHICUS, IN QUO ITER FIT per omnia, eaque præcipua, terræ regna, recens correctus, & notitia Conciliorum œcumenicorum auctus.

Brixia, ex typographeo Joannis Baptistæ Bossini, 1738, 8.

Plag. 6.

Notitia, quæ de regnis ac regionibus singulis hic subministratur, est admodum succineta. Ultra enim primariam civitatem commemoratur urbium nihil. Indicantur Principes, religio, flumina, proventus, incolarum indoles. Id, quod liber habet eximium, consistit in eo, ut ludo conclusa fuerint universa, puerisque, eum ludentibus, sensim & quasi sine sensu priua capita Geographiæ possint arte propolita insulari.

NOVA LITERARIA.

Ex quo Florentia Vir Clarissimus, *Nicolaus Guattierius*, Medicinæ Professor publicus, summo studio ac labore aucto digestoque Historiæ naturalis locupletissimo penu, pretiosis rarisque cimeliis Museum suum, inter cetera hujus generis insigne urbis hujus ornamentum, aperuit; nil habuit antiquius, quam ut hæc delicia in bonum, non civium suorum tantum,

tum, verum etiam exterorum, cederent. Quapropter partem quandam sui Musei illustrandam suscepit, pictis Tabulis CX a *Josephe Menabonio*, Florentino, ob alia egregia opera eruditus noto, quas in publicum proferre sibi proposuit, & favente Deo, nunc protulit. In hisce Tabulis Testæ Conchyliorum accuratissime delineatæ, & æri incisæ, exhibentur, speciebus earum diversis ac variantibus fere octingentis, quas diligenter & copiose descripsit, Indicem earum atrexit, atque, ut ab aliis quoque eruditus observationibus illustrari possint, compluribus conspectibus repræsentandas curavit, primusque, ut internam earum fabricam quis rimari possit, per medium dissecuit; quæ idcirco bis mille supra ducentas Figuras constituent. Conchyliorum Testæ in hisdem CX Tabulis dispositæ sunt methodo a præstantissimo *Carolo Nicolao Langio* ut plurimum mutuo sumta. Volumen hoc, quod in lucem nuper prodiit, nitidissima charta in folio maximo, quod *Papale* dicitur, & characteribus optimis, impressum est, constatque paginis, uti & Tabulis, CX. In fine Classium, ne quid ad hæc studia illustranda & amplificanda desideraretur, additæ sunt, tanquam præerga & corollaria, selectiores & rariores Plantæ marinæ, quæ lapideæ, seu petrosæ, nuncupantur, quæ pariter in ejus Museo asservantur. Præter paginas, quas enumeravimus, accedit Epistola Operis dedicatoria ad Magnum Etruriæ Ducem, & Præfatio ad Lectorem satis luculenta, in qua Autor, optime de naturæ arcanis meritis, de origine, dignitate, utilitate, incrementis, & perfectione hujusce studii, deque earundem Testarum qualitate, varietate, & structura, disserit. Accedit præterea eruditus ad Historiam Testaceorum apparatus, sive Introductio, a summo Viro, *Turnesfortio*, jam pridem elucubrata, quæ nunc primum ejus opera & cura in lucem prodit. Volumen, splendide editum, ita inscriptum est: *Index Testarum Conchyliorum, quæ asservantur in Museo Nicolai Gualtieri, Philosophi, & Medici Collegiati Florentini, Regiæ Botanices Florentinae Academia Socii, in Pisano Athenæo Medicinæ Professoris emeriti, & methodice distributæ exhibentur Tabulis CX. Florentiæ, anno 1742, ex typographia Cajetani Albizzini.* Prostat apud Autorem pretio Scutorum 12, aut, quod idem est, Juliorum 120.

Ratis-

Ratisbonæ sub prelo habet bibliopola non ignobilis, *Emericus Felix Baderus*, *Scriptorum rerum Austriacarum*, olim a doctissimo *Pezio* Voluminibus duobus editorum, tertium Volumen, ab eodem *Pezio* diligentissime collectum, variæque eruditionis apparatu ita exornatum, ut certissima spes sit, futurum, ut omni ex parte & argumenti illustrissimi dignitati, & doctorum hominum expectationi, respondeat. Præterquam enim, quod Scriptores hic prodibunt inprimis boni & luce publica dignissimi, egregieque rerum Austriacarum præcipua momenta illustrantes, in his etiam expoliendis, & obscuritatis, si qua adhæret, macula liberandis, tam insignis fuit Editoris Cæleberrimi industria, ut ex eorum, quæ docte ipse annotavit, lectione plurimum emolumenti expectare antiquitatum Germanicarum studiosi possint. Horum omnium indicium in ipsa Operis inscriptione fiet, cujus hanc formam scripsit Editor: *Scriptores rerum Austriacarum veteres ac genuini; Tomus tertius, quo Ottocari Horneckii Chronicon Austriacum rhythmicum, ab excessu Friderici II Imperatoris, hoc est, ab anno Christi 1250, ad annum usque 1309 perductum, continetur, ac potissimum Rudolphi I, Alberti I, Imperatorum Romanorum, Friderici I Pulchri Austriaci, gesta, res etiam Styriaca, Carinthiaca, Bohemica, Hungarica, Bavarica, Salisburgenses, aliarumque nationum, enarrantur, nunc primum ex Cod. MSt. Bibliotheca partim Augustissima Vindobonensis, partim cæleberrimi Monasterii Admontensis Ord. S. Benedicti in Styria, in lucem publicam vindicatum. Accedit Glossarium, quo Germanica voces obscuriores ac obsoletæ, in hujus Autoris opere occurrentes, explanantur. Edidit R. D. P. Pez, Austriacus ipsensis, antiquissimi & exempti Monasterii Mellicensis Ord. S. Benedicti in Austria inferiore Professor & Bibliothecarius. Volumen hoc iis, qui nomina sua mature dabunt, comparabitur florenis sex, quorum quatuor ante mensem Majum anni hujus, duo reliqui absoluto editoque Opere, solvendi sunt. Colligendi numos curam in se susceperunt nobilissimi quique urbium Germanicarum typographi, in quorum etiam manibus est ipsius Operis specimen, elegantia & nitoris, si chartam literasque species, haud parum habens.*

* * *

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCCXLIII.

Pars II.

ANNALES MINORUM, SEU TRIUM ORDINUM, a S. Francisco institutorum, Autore A. R. P. LUCIA WADDINGO, Hiberno, S. T. Lectore Fubilato, & Ordinis Chronologo. Editio secunda, locupletior & accuratior, opera & studio R. P. JOSEPHI MARIÆ FONSECA AB EBORA, Ord. Minor. Scriptoris & Ex-Generalis, S. & Univers. Inquisitionis Consultoris, Sac. Congreg. Consistor. Vorantis, Episcoporum Examinatoris, & apud S. Sedem tractandis Lusitanis rebus præfæcti, &c.

Tomus XV.

Romæ, typis Rochi Bernabo, 1736, fol.

Alph. 7 plag. 15.

Accedimus jam ad Operis egregii *Tomum XV*, ab A. 1492 ad 1515 procurrentem, cujus momenta potiora non alio, quam in prioribus consuevimus, ordine jam exponemus. A. 1492 celebris illa *Christophori Columbi* in Indias Occidentales navigatio, socio & adjutore *Jo. Perezio*, ex Ordine Minorum, feliciter suscepta est; e vita egressi sunt *Innocentius VIII*, Pontifex Maximus, qui successorem habuit *Alexandrum VI*, nec non *Petrus de Traranda*, *Joannes Misnensis*, *Henr. Benninck*, & *Casimirus*, Rex Poloniæ; *Joannes*, Antistes Varadiensis, &

Pag. 1
seq.
3.
4.
5.

T

Ardici.

- Pag. 14. *Ardicinus de la Porta junior*, ex Episcopis facti sunt Minorita;
19. floruerunt viri docti, *Augustinus Barnabos*, *Petrus Ramirez*,
20. *Lucas de Rotobio*, *Michael Aquensis*, *Oliverius Mayllaricus*,
& *Jo. Mauleonius*. A. 1493 *Rodericus III Imp.* obiit, cui in
27. imperio successit filius, *Maximilianus*; iter martianum in In-
28. dias cum Minoritis nonnullis profecutus est *Columbus*, primus-
que Indiarum Occidentalium Episcopus factus traditur *Ber-*
nardus Boillius; Capitulum generale Florentiæ celebratum est
31. ab Observantibus Cismontanis, & in Cœnobio Florentiaci ab
36. Ultramontanis; mortui sunt *Balthasar Florentinus*, *Petrucius*
46. *Senensis*, & *Petrus Ludovici Latinus*; Cremonæ Mons pietatis
- ibid. erectus. A. 1494 ad Superos evocati sunt *Evangelista de Pe-*
61. *ruffio*, Vicarius generalis Observantium familia Cismontanæ,
62. *Joannes Burgensis*, *Caroli VIII*, Regis Galliæ, præceptor, *Jo-*
71 seq. *Tifferandus*, *Raphael Teutonicus*, & *Bernardinus Feltrensis*, vi-
tæ sanctitate & rebus religiose gestis inter Ordinis sui homines
88. famam, qua non esse major potest, consecutus; Mutinæ Mons
89. Pietatis erectus; floruerunt doctrinæ laude *Theodoricus de Osna-*
90. *brug*, *Ludovicus de Prussia*, & *Joannes de Marefco*. A. 1495 Co-
95. mitia Ordinis generalia Bononiæ, & alia Observantium Cismonta-
ibid. norum in urbe Aquilana, indicta sunt; obierunt *Angelus a*
96. *Clavasio*, *Marianus e Luco*, *Joannes a Popula*, *Michael Bal-*
97. *Franciscus Laudensis*, *Balthasar Ravaschius*, *Paulus de Levan-*
to, *Laurentius a S. Martino*, *Michael de Bustris*, *Franc. Arcti-*
98. *nius*, *Nic. Urbevetanus*, *Gregor. Szadeczius*, *Petrus Candidus*,
Robertus Caracciolus Licciensis, Præsul Aquinas, & *Franciscus a*
Cropanio; in Polonia non levis fama *Jo. Vitæatoris*, in Gallia
Antonii e Burgo Reatino, fuit; Ecclesiæ Toletanæ præfectus est
- 101 seq. *Franciscus Ximenez Cisnerius*, supremus Hispaniarum rector at-
123. que gubernator; præ ceteris *Nicolaus*, a *Francia* dictus, floruit.
124. A. 1496 Tolosæ Conventum generalem frequentarunt Obser-
125. vantes Ultramontani; mortui sunt *Marcus a S. Maria in Gallo*,
Franciscus de Coplno, *Bernardinus de Nuceria*, *Petrus Hispanus*,
Laurentius a Bagnacavallo, *Bartholomæus a Caymis*, & *Georgius*
Græcus; in magna exultatione vixerunt *Jo. Cordubensis*, *Georg.*
Benignus, *Petrus Cambonius*, *Eustachius de Curia*, *Joannes a Ponte*,
Lazarus

<i>Lazarus de Montepolitiano; a Franc. Ximeno Academia Com-</i>	Pag. 126.
<i>plutensis fundamenta jacta sunt, & Regularium emendatio ten-</i>	
<i>tata. A. 1497 vita exiere Dominicus a Leoneffa & Joanna</i>	135.141.
<i>Ruiz; Societas Pietatis Genux a Michaele de Aquis instituta;</i>	139.
<i>multa privilegia, Minoritis indulta, revocavit Pontifex; Parisien-</i>	ibid.
<i>sis & Germanæ nonnullæ Academia Conceptionem B. Virginis</i>	
<i>dici immaculatam noluerunt; floruit Bernardinus Siculus. A.</i>	143.
<i>1498 generalia Ordinis Comitia Mediolani, ibidemque Ob-</i>	152.
<i>servantium Cismontanorum, celebrata sunt; obierunt Angelus</i>	ibid.
<i>a Verbosa, Angelus a Gropina, & Bonaventura ab Antrodocco;</i>	153.
<i>Minoritæ Conventuales in Ordinem suum admittere Observan-</i>	154.
<i>tes prohibiti; magnis in urbe Florentina motibus ansam de-</i>	
<i>dit Savonarola. A. 1499 diem supremum obierunt Fran-</i>	162.
<i>ciscus Nanius, cognomento Samson, Minister Ordinis gene-</i>	176.
<i>ralis, Stephanus Brulifer, Georg. Erbalius, Paulus Affisias,</i>	177.
<i>Dominicus de Ponzo, Lucia Petri Fulginas, & Gerardus Nea-</i>	178.
<i>politani; in Cœnobio Mechlinensi Comitia generalia habue-</i>	177.
<i>runt Observantes Ultramontani; Ximenius de Mauris ad fidem</i>	179.
<i>convertendis laboravit; Observantes jussi sunt a domibus Con-</i>	182 seq.
<i>ventualium abstinere; floruerunt Balthaf. Rousell, & Petrus</i>	199.
<i>Reginaldus. A. 1500 Henricus Conimbricensis cum septem</i>	200.
<i>fodalibus in Indias Orientales abiit; Interamnæ celebratum est</i>	212.
<i>Capitulum Ordinis generale; mortui sunt Bartholomeus Lucen-</i>	213.
<i>sis, Angelus Bonsius, & Cecilia Coppola. A. 1501 quatuor ex Or-</i>	215.
<i>dine Minoritarum missi sunt in Indias Orientales; Cismontani</i>	229.
<i>Observantes Comitia generalia in Cœnobio S. Donati extra Ur-</i>	230.
<i>binum habuerunt; Ordo Conceptionis immaculatæ B. Virgi-</i>	231.
<i>nis Minoritis subjeetus; obiit Joannes Hortulanus; floruit An-</i>	235.
<i>dreas Grossetanus, & Antonius a Gavacis; Ordo Sororum</i>	240.
<i>Annuntiarum fundatus. A. 1502 a Ximeno Cardinale Biblia</i>	ibid.
<i>Complutensia edita, & alia, tam literaria, quam religiosa, in-</i>	251 seq.
<i>stituta sunt perfecta; Observantium Ultramontanorum Capitu-</i>	254.
<i>lum generale celebratum est in Conventu Albicnsi; vita sancti</i>	255.
<i>sunt Oliverius Mayllardus, Ludovicus a Turrc, & Cherubinus Mes-</i>	258.
<i>sanensis; audiri coepit nomen Fratrum de Caputio. A. 1503</i>	255.
<i>Comitia Ordinis generalia habita sunt in Cœnobio Trecenti,</i>	263.

- aut, quod alii volunt, in Conventu Blesensi; ad Superos abiit
265. *Alexander VI*, Pontifex, cui *Pius III*, & huic paulo post *Ju-*
 ibid. *tius II*, successit; novæ ex controversia circa Conceptionem B.
 268. Virginis turbæ ortæ; obierunt *Bernardinus a Fossa*, *Lud. Man-*
tuanus, *Paulus Siculus*, *Julianus Fabrianensis*, *Joannes de Sor-*
 274. *ceyo*, & *Ludovica*, *Amadei* Sabaudi filia. A. 1504 *Guardia-*
 276. *nus Hierosolymitanus* a Sultano Ægypti missus est ad Pontifi-
 cem Legatus; Observantium Cismontanorum Capitulum gene-
 277. rale in urbe Mantuana celebratum; in urbe Toletana instituta
 282. est Sodalitas operum misericordiæ; rebus humanis valedixe-
 284. runt *Isabella*, Regina Hispaniæ, Minoritis addictissima, *Joanna*
 286. *Valesia*, *Ludovici XI*, Regis Galliarum, filia, *Paulus Sinopolita-*
 287. *nus*, *Vincentius Aquilanus*, & *Paulus Suevus Willensis*. A. 1505
 295. e Minoritis nonnulli, ad Indias Orientales ablegati, rem Chri-
 298. stianam mirifice amplificaverunt; ab Observantibus Ultramontanis
 300. Comitia generalia celebrata sunt in Conventu Lavallensi; mor-
 302. tui sunt *Donatus Urbinas*, *Damianus a Ripa*, *Bernardus Hun-*
 304. 306. *garus*, *Nic. Firmanus*, *Gaspar de Barga*, *Ladistaus Gielnovius*,
 305. & *Joanna Rodriguez*; floruerunt *Bartholomeus Fabrianensis*,
 311. *Jo. de Argamanes*, *Jo. Brusthemius*, *Barthol. a Mediolano*,
Franc. Perera, & *Alexius de Corregia*; accepit purpuram *Mar-*
 312. *cus Vigerius*. A. 1506 primum totius Ordinis Capitulum ge-
 317 seq. neralissimum coegit Pontifex, ad id imprimis, ut inter se con-
 ciliarentur Congregationes singulæ: quæ res successu caruit;
 mortuus est Minister generalis, *Agidius*, paulo ante munere
 351. 360. exutus; mirum in modum auctus est Provinciarum & Vica-
 361. riarum familiarum Cismontanarum numerus; Ordo conceptionis B.
 362. Virginis confirmatus; obierunt *Joannes Guadalupensis*, *Guiliel-*
mus e Speluncato, *Joannes a Popula*, *Casp. Urbinas*, *Venantius*
a Fabriano, *Gerardus Florentinus*, *Stanisl. Slappus*, & *Hieronymus*
Anconitanus. A. 1507 in Cardinalium Collegium, ob plurima
 369. in ecclesiam merita, adscitus est *Franc. Ximenius*; mortem op-
 370. petierunt *Franc. Paulanus*, *Franc. a Caldavola*, *Petrus a S. Se-*
 375. *verino*, *Ambrosius Lombardus*, *Laurent. Camers*, *Georg. e Ca-*
 376. *stellaria*, *Rudolphus*, Archidux Austriæ, & *Maria a Toletis*;
 378. in Cœnobio *S. Mariae Angelorum* Capitulum generale celebra-
 runt

runt Observantes Cismontani. A. 1508 Minoritæ in Hispa-	Pag. 386.
niolam missi; mira incrementa cepit Academia Complutensis,	ibid.
sapientissimis <i>Ximenii</i> legibus munita; Basilica Vaticana instau-	389.
rata; mortui sunt Vicarius generalis Observantium, <i>Ludovicus</i>	390.
item <i>a Rotela, Jo. Franc. e Casali, Barthol. Florentinus, Jo. ab</i>	391.
<i>Hercudero</i> ; floruerunt <i>Petrus a Calderola, & Esfamius Germanus</i> ;	392.
Capitulum generale Observantium Ultramontanorum celebra-	ibid.
tum est in Conventu <i>S. Mariae de Jesu</i> extra urbem Barcino-	396.
nensem. A. 1509 Oranum a <i>Ximeno</i> expugnatum; in urbe	404.
Ferrariensi Comitia generalia Observantes Cismontani habue-	
runt, & in his Vicarius generalis <i>Franc. Zenus</i> constitutus;	406.
obierunt <i>Nicol. Dionysii, Stanisl. Polonus, Baptista Varana,</i>	409.
& <i>Henricus VII, Rex Angliæ.</i> A. 1510 in Orientalibus æque	413 seq.
ac Occidentalibus Indiis opera Franciscanorum mire propagata	
sunt Christianorum sacra; Capitulum Ordinis generale celebra-	419.
tum est, nominatusque in eo Minister generalis <i>Phil. Porcatius</i> ;	421.
vita abierunt <i>Stephanus a Castello, Barthol. ab Anglaro, Clau-</i>	
<i>dus Reignatus, Epiphanius Teutonicus, Baptista Florentinus,</i>	422.
<i>Bapt. a Caniano, Anton. a Zamorra, Petrus a Gamarra, Petrus</i>	
<i>Neapolitanus, Seraphinus Teatinus</i> ; pietatis laude floruit <i>Eli-</i>	430.
<i>sabetha a Turre, Clarissa.</i> A. 1511 mortuus est <i>Philippus,</i>	431.
Minister Ordinis generalis, cui vicarius substitutus est <i>Gomezius,</i>	ibid.
<i>Lustranus</i> ; Capitulum generale Observantium Ultramontano-	435.
rum in Conventu Rapistagni celebratum est; floruit <i>Alexius de</i>	
<i>Borbiza, Franciscus & Joannes Syradiani</i> ; obierunt <i>Anton. a Leo-</i>	436.
<i>nessa, & Martinus a Turnobuc.</i> A. 1512 Talabricæ repertum est	
<i>B. Litorii</i> corpus; obiit <i>Franc. Zenus,</i> Minister Ordinis gene-	437.
ralis; Capitulum indictum est Observantium Cismontanorum in	ibid.
Conventu <i>S. Mariae novæ,</i> ubi Vicarius generalis electus est	438.
<i>Timotheus Lucensis</i> ; Congregatio Clarenorum Observantibus	444.
unita; & alia Amadeorum instaurata. A. 1513 ad Supero-	447.
rum vitam transit <i>Julius II, Pontifex,</i> successorem nactus <i>Leo-</i>	448.
<i>nem X</i> ; Assisii celebrata sunt Patrum Conventualium generalia	
Comitia; obierunt <i>Timotheus Lucensis,</i> Observantium familiæ	
Cismontanæ generalis Vicarius, <i>Franciscus Petri, Archangelus</i>	
<i>a Campobasso, Cherubinus a Bergamo, Vitalis Albanus, & Gre-</i>	
	<i>gorius</i>

- Pag. 452. *gorius Benignus*, Archiepiscopus Nazarenus. A. 1514 Fran-
 ciscani ad Indos mittuntur propagandæ doctrinæ purioris cau-
 454. sa; celebratum est Assisii Capitulum generale Observantium Cis-
 montanorum, in quo Vicarius generalis electus est *Christo-*
phorus Foroleviensis, & aliud Ultramontanorum Antverpiæ;
 vitam posuerunt *Kolandus Colonienfis*, *Erardus Compenbergne*,
 455. *Jo. Bapt. San-Severinus*, *Anton. a Ripa*, *Aegidius Barbitonfo-*
 456-465. *rius*, *Paula de Montaldis*, & *Clara Bugnia*. A. 1515 Eccle-
 466 seq. siæ & Academiis in Hispania prospicere perrexit *Frauciscus Xi-*
 469. *menius*; *Jacobi Picconi* cultus sacer indictus; Montes Pietatis
 470 seq. per omnem Italiam instituti; mortui sunt *Candidus Ranzeus*,
 472. *Richardus Polonus*, *Jo. Bapt. Vitreator*, *Theodoricus a Mona-*
 475. *sterio*; Minoritis adscriptus est *Petrus de Alcantara*. Claudit
 hunc *Tomum*, sicut priores omnes, Regestum Pontificium, Bul-
 las continens Pontificum, ab A. 1492 ad 1515 publicatas.

VERITAS RELIGIONIS CHRISTIANÆ EX GE-
nere, conceptu, ortu, vita, gestis, mysteriis, ac pro-
digiis, Jesu Christi, ejus autoris, nec non Virginis Dei-
paræ, confirmata, & omnibus fidelibus & infidelibus ite-
rum proposita, per FRID. VINCENTIUM LU-
 DOVICUM GOTTI, Ordinis Præd. nunc
 S. R. E. Cardinalem.

Tomi IV Pars I.

Romæ, ex typographia Rochi Bernabo, 1736, 4.

Alph. 2 plag. 5.

Licet Eminentissimus Autor, nuper demum magna & litera-
 rum, & Ecclesiæ suæ, jactura defunctus, *Tomo Operis*
primò jam nonnulla exposuerit, quæ hoc *Tomo* comprehendun-
 tur; satius tamen existimavit, ea ipsa hic copiosius & pro digni-
 tate argumenti discutere, adjiciens ea, quæ in sanctissima Christi,
 filii Dei, genitrice, *Maria*, præ ceteris mulieribus divina gra-
 tia operata fuit, ut eodem tempore & fides erga Christum,
 & erga ejus matrem pietas, stabiliatur. Ipse operæ pretium
 duxit ea, quæ certa sunt & communi fide suscipiuntur, ab
 cis,

eis, quæ fidei nucleum haud tangunt, & hinc inde disputantur, discernere. Non, quæ unus & alter Patrum opinatus fuit, sed quæ plures & major pars, præcipue veterum, perspectis & exploratis rebus, nobis tradita reliquerunt, & in quæ Romana Ecclesia magis propendet, libentius sese amplecti, in Præfatione profitetur, citans ad testimonium *Augustinum*, sibi assentientem *Lib. III de Baptismo contra Donatum Cap. 4.* Præfationem excipit Approbatio Ordinis Prædicatorum, Eminentissimo Autori justissimas impertiens laudes, eo etiam nomine, quod traditiones quasdam fabulasque insulas passim exploserit, veritati potius applaudens, quam fictis & fraude excogitatis narratiunculis. Nec nos dissimulamus, Eminentissimi Purpurati labores & indefessam industriam merito excipi applausu, licet unam & alteram propositionem eo suffragio haud possimus prosequi, quo illam summi Ecclesiæ Romanæ proceres prosequuntur. Abstinebimus tamen iudicio nostro, & summam hujus *Partis* ea fide recensere, quæ in homines cadere potest sinceros, ac universi generis humani amatores. *Capita* tractationi attributa sunt *undeviginti*. Disserit in eis de stirpe Christi domini ex *Adamo*, & *Abrahamo*, ac *Davide*, etiam per matrem *Mariam*, siquidem & ipsa ex *Davidis* genere fuerat procreata. Christus certe ex semine *Davidis secundum carnem* fuit pronatus. At undenam assumpsit carnem, nisi ex matre *Maria*? Quam ob causam *Maria* Deipara quoque ex *Davidis* progenie & tribu *Juda* existit, id quod etiam ex *Luc. II, 1 seq.* recte solideque demonstratur. Ipsa adhæc legem debuit voluitque sequi, *Num. XXXVII, 7, 8*, prescriptam, qua quisque in tribu sua permansit. Quid Reges & Levitæ fecerint, hic in censum non venit. Illi enim arbitrio suo sapius indulgebant, hi vero certis terris possessionibusque hæreditariis, ob quarum constantiam lex illa erat lata, haud gaudere solebant. Et quid clarius, quam dictum *Ebr. VII, 14*, quo ostenditur, Christum, dominum nostrum, fuisse ortum ex tribu *Juda*, scilicet per matrem. Idem quoque constat ex genealogia *Josephi*, quam *Matthæus* & *Lucas* protulere, siquidem *Maria* ex eadem tribu & familia fuerat progenita. Autor ad
dubium

Pag. 7.

17.

12.

- Pag. 13. dubium ex *Jer. XXII, 30*, ita respondet, ut, Jesu regnum haud fuisse mundo huic proprium, doceat, de quo ibi vati divino fuerat sermo. Hinc Eminentissimus Autor in eo est, ut genealogias Christi apud *Matthæum & Lucam* conciliet *Capite secundo*. Sed facilis est conciliatio. *Matthæus* enim per *Salomonem*,
15. *Lucas* per *Nathanem*, æque filium *Davidis*, decurrit. Ille nonnunquam generationes intermedias omittit, ut cum tradit: *Joram genuit Oziam*; hic omnes recenset. Ille demigrationem *Babylonicam*, quæ fuit triplex, nominat primam; *Esdras 2 Par. XXXI*, de *Salathiele* agens, tertiam intelligit. Præterea *Matthæus* nonnunquam patres adoptantes filiosque adoptivos in recensionem inserit suam. Novimus enim, *Jechoniam* fuisse sterilem *Jer. XXII, 30*, ac *Salathielem* fuisse genuinum filium *Neri*, adoptivum vero *Jechonie*. *Zorobabel* existit filius *Phadaiæ* germanus *1 Par. III, 19*, ergo *Salathielis* legitimus, seu adoptivus. De *Cainane* intruso inter *Arphaxadum & Salam Luc. III, 35*, contra *Gen. X, 24, XI, 2*; & *1 Par. I, 18*, disserit Autor copiose, addens tandem illud *Augustini*: *Melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia*, postquam *Genckrardi* opinionem reliquis antetulerat. Scilicet *Cainan* in *Vet. Test.* abest a *Vulgata*; ac apud *Lucam* existat. Hic est ille scrupulus, qui
29. *Romanæ Ecclesiæ* filios distinet. De reliquo Eminentissimus Autor argumentorum satis adduxit, quibus intelligitur, *Cainanem* apud *Lucam* fuisse intrusum ex minus genuina versione
34. *Alexandrinorum* interpretum. Parentes *Mariæ* existimat fuisse *Joachimum & Annam*. Nostri, qui, a *Luca* tradi *Mariæ* genealogiam, docent, patrem *Heli*, seu *Jojakimum*, id est, *Joachimum*, admittunt. Qui vero credunt, *Lucam & Matthæum* contexuisse *Josèphi* genealogiam, unde per corollarium etiam perspiciatur *Mariæ* genus, *Joachimum* in medio relinquunt. Ad traditionem confugit ipse antiquam, ut parentes illos vindicet, Eminentissimus Autor. *Augustinus Lib. XXIII contra Faustum Cap. 9*, *Joachimum* illum inniti testimonio *Apocryphorum*, nec sese eorum autoritate detineri, commemoravit. *Petrus Damianus Sess. III de Nativitate B. Virginis* studium superflue curiositatis in iis reprehendit, qui, quod *Evangelista*
30. narrare

narrare superfluum duxit, nimis inutiliter quærun-
 tes, quis pater, vel quæ mater, *Maria* fuerint. *Pius V* cer-
 te A. 1572 Officium S. *Joachimi* abrogavit, indubie ob mul-
 ta ex Apocryphis intexta, quæ ipse pro certis haberi posse du-
 bitavit. Antiquissima de *Joachimo*, *Anna*, & *Deiparæ* educa-
 tione, notitia solet depromi ex Protevangelio *Jacobi*, & sermo-
 ne de Nativitate *Mariae*. At hi libri sunt effecti & commen-
 titii, quemadmodum & *Sixtus Senensis* & *Baronius* plane con-
 fitentur. *Mariam* in templo Hierosolymitano fuisse educa-
 tam, propemodum inficiatur, ratus, commemorationem illam
 debitis demonstrationibus haud fulciri. Id vero attentu suo di-
 gnatur, quod de *Mariae* *Deiparæ* voto, quo ipsa se ad sem-
 piternam virginitatem adstrinxerit, in ecclesia Romana solet
 tradi, demonstraturus id ex *Luc. I, 31*, ubi *Maria* dixisse fer-
 tur: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*, id est,
 cognoscere non possum. Expositio adjecta est Eminentissimi
 Autoris, conformis *Augustino de Sancta Virginitate Cap. 4*
Serm. 225 Cap. 3, & *Serm. 291*. Propugnat nihilo minus opinio-
 nem illam, quæ dicitur, *Mariam* inter ac *Josephum* matrimo-
 nium existisse verum, ob *Luc. II, 48*, licet mutua castitate
 præclarum. Addit hæc tandem: *Vere omnes tum Theologi, tum*
 sacræ Scripturæ interpretes, post S. Thomam, sentiunt, Mariam
 fuisse Josepho vere nuptam, & non solum sponsalibus promissam,
 ante legationem Gabrielis, seu antequam in suo castissimo utero
 verbum divinum concepisset. Quo ætatis anno Mariæ & Jose-
 phus inierint matrimonium, haud definit. Josephum ante hoc
 conjugium viduum existisse, negat. Fratres Domini exponit
 per consanguineos, seu filios Mariæ, quæ erat Cicopha uxor,
 ac Mariæ Deiparæ soror. Helvidianos deinde refellit, Hie-
 ronymum imitatus. Domum, in qua Deipara a Gabriele fuit
 salutata, credit probabiliter fuisse Josephi, eandemque, quæ,
 in Picenum asportata, Ædes Lauretana dicatur. Conceptum
 esse Christum supernaturali & miraculoso modo, solide osten-
 dit. Civitatem Juda, Luc. I, 39, memoratam, habet pro He-
 bronæ secundum opinionem vulgo receptam, licet urbs ipsa
 vocata fuerit Juda. Christum ex utero matris prodiisse cum
 miracu-

Pag. 43
169.

55.

56.

70.

86.

95.

104.

125.

137.

175.

- miraculosa claustris virginalis penetratione, contendit, refugiens ad traditionem ecclesiae, tum Graecae, tum Latinae. *Ambrosius*, hanc sententiam sese invenisse, credidit, in *Ezech. XLIV, 2*, in libro de *Inst. Virginis Cap. 7*. Alii ob oculos sibi posuisse videntur vim Christi, qua redivivus clausam januam penetraverit. *Tertullianus* autem distinxit Deiparae virginitatem, docens in libro de *carne Christi Cap. 24*: *Et virgo quantum a vi-*
- Pag. 177. ro, *non virgo quantum a partu - - Et quid ultra de hoc retrahendum est? Eum hac ratione Apostolus non ex virgine, sed ex muliere, editum Filium Dei pronuntiavit, agnovit adaper- ta vulva nuptialem passionem.* Dissentit Eminentissimus Autor, opinatus praeterea, Deiparam sine sui dolore sordibusque peperisse. Obstetrice omnino ipsa haud videtur indignuisse, ob
178. *Luc. II, 7*. Qui locus docet, puerperium hoc haud fuisse
181. ordinarium. Ridendi itaque merito sunt illi, qui *S. Anastasiam* virginem in Deiparae obstetricem convertunt, quippe quae demum imperante *Diocletiano* martyrii lauream reportasse perhibetur. Nolimus tamen dubitare, Jesulo intra uterum matris circumvolutum fuisse amnium choriumque, licet praestet abstinere ab ejusmodi quaestionibus. Eminentissimus Autor
185. accedit porro iis, qui, Jesum, credunt, natum fuisse in suburbio Bethlehemi, ratus, pastores alioqui noctu haud potuisse ad Jesum recens natum accurrere. Eadem statuerunt olim *Justinus Martyr* in *Dialogo cum Tripbone Judaeo*; *Origenes Lib. I contra Celsum*, *Hieronymus Ep. 18*, *Damascenus Lib. IV de Fide Cap. 15*. Speluncam speciatim *Hieronymus* determinavit *Ep. 17*, vocans illam *parvum terra foramen*. *Eusebius de Vita Constantini Lib. III* vocavit *antrum*, *Beda* vero *semiantrum* in libro de *Locis sanctis Cap. 8*. Tempus nativitatis Christi Eminentissimus Autor ponit in 25 Decembris. Pastores, ad Jesulum vix natum accurrentes, sese tenuisse in *turri Ader*, *Hieronymi* est sententia in *Traditionibus Hebraicis*, ac in *Epitaphio Paule ad Eustochium*. Tres fuisse illos numero, credit *Flavius Lucius Dexter* in *Chronico*, quod *S. Hieronymo* dicavit. Tum fuisse templum *Jani* Romae clausum, Noster assermat, siquidem *Prophetae* praedixerint, pacem, Christo nascente,

sciente, per totum orbem existuram. Dissertit præterea de præputio Domini nostri Jesu Christi. Festum circumcisionis Domini jam Seculo quarto celebratum fuisse, ostendit. Stellam, quæ Magis apparuit, singularem & plane extraordinariam fuisse, ostendit. Signavit enim ea viam, monstravit domum, de die fulsit, itinere Magorum Bethlehemitico peracto evanuit. Quare, nec cometam, nec planetam, nec fixam, fuisse, jure suo concludit. Probabile putat, stellam illam Magorum fuisse ducem ab Oriente usque in Judæam. *Thomas Aquinas* id merito in dubium revocavit. Magos vero fuisse regionum Reges, merito negat. *Herodes* certe eos misit Bethlehemum, ac inde ad sese redire jussit. In Reges id haud quadrat. Ipsos tamen fuisse tres numero, *Leonis Magni* e testimonio confirmare contendit Autor. Ex tribus muneribus *Leu* ille, *Cæsarius Arelatensis*, alique, numerum illum collegerunt. Nomina vero Magorum Eminentissimus Vir definire haud sustinuit, ratus, ipsos venisse potius ex Arabia Felice, quam Perside, aut Chaldæa, licet *Thomas Aquinas* eos ex Perside deduxerit. Venerunt ipsi ante *Mariæ* purificationem; ea enim peracta Nazarethum *Maria* revertit. In loco *Luc. II, 22*, ubi fit mentio ἡμερῶν καθάρσεως αὐτῶν legit cum Vulgata αὐτῆς, siquidem purgatio ad solam *Mariam* pertinuerit. At vox αὐτῶν est in Codicibus vetustissimis, & *Maria* haud fuit mundanda, siquidem parva suo haud fuerat polluta. Quidni itaque ad Christum & *Mariam* ille ritus Leviticus extenditur? Ut enim satisfaceret Jesus legi ceremoniali, suscepit circumcisionem, sacrificiis sese exsolvit, nummum census annui pependit, & alia præstitit, quibus externa mundities & puritas ceremonialis apud alios solebat promoveri. Nulla proinde apparet ratio, cur particula αὐτῶν sit mutanda. Et qui illud *ejus*, quod vulgatus habet, quadrat ad *parentes ejus*, id est, Jesu, in *versu 27*, statim subjecto? Nescimus præterea, cum Jesus existerit primogenitus, ac ad ipsum referatur id de primogenito quocunque, penitus apertente (διανοιγεται) genitalia mulieris, *Luc. II, 23*, quomodo multi statuere queant, Jesum, clausa porta, clausa janua, clausa vulva, e *Maria* fuisse natum. Ipse Eminentissimus Autor fatetur,

Pag. 215.
230.
233.
236.
242.
243.
249.
258.
261.

fatetur, *Jesum aperuisse ventram matris, eo quod eam suo egressi
 fuit perviam habuerit. Addit vero statim: eam tamen usitato
 & naturali modo haud aperuit, quia eam clausam & intactam
 reliquit.* In festo Purificationis *Mariae Pontificii cereos con-*
 Pag. 270. *secratos distribuunt. Originem eorum Autor ex Saturnalibus*
 279. *repetit, in quibus distributio eorum in singulos peracta fue-*
 289. *rit, ratus, Gelasium Papam ritum illum in religionis Christia-*
nae cultum Romanum assumisſe. Quamdiu Jesus in Aegypto
fuisset commoratus, haud definit. A sese impetrare haud po-
tuit, ut crederet, infantes Bethlehemiticos biennio post Ma-
gorum adventum ab Herode Magno fuisse caesos. Magi certe
repererunt Jesum Bethlehemi, & Herodes, cum videret, sese
a Magis delusum, eadem illam instituit. Merito Eminentis-
 294. *simus Autor negat, Herodem inter pueros, intra biennium oc-*
 300. *cidi iussos, filium suum curasse perimendum, licet Macrobius*
ita videatur Saturn. II, 4, tradidisse, siquidem Herodes,
tum admodum senex, filium bimum ex sese non habuit pro-
 313. *creatum. Nam Romani historias de infantibus enectis, & de*
Antipatri filio, quem Herodes quinto die ante obitum occide-
 314. *rat, confuderunt invicem, ac in unam transfudere. Martyras*
 320. *fuisse infantes Bethlehemiticos, existimat, licet non tam con-*
victione & confessione, quam opere & effectu. Pertexit dein-
de omnem Christi vitam, quam conspicua ratione hic exegit
 322. *in terris, ratus, illum arti fibrili navasse operam in adolescen-*
tia, ac ante annum tricesimum, ei quidem, quam fabri ligna-
rii tractant, autore Justino Martyre in Dialogo cum Triphone
pag. 316. Tandem differit Purpuratus Eminentissimus de Jo-
annis Baptista ministerio. Joannem haud baptizasse in nomi-
ne triunius Dei, exinde probare meditatur, quod ii, qui ab
ipso fuerint lustrali aqua imbuti, Spiritum sanctum ignoraverint,
Act. XIX, 2. Negat deinde, Baptismum Joannis contulisse gra-
tiam baptizatis, eo quod tantum aqua, non Spiritu sancto, ba-
ptizaverit Matth. III, 11, licet praeseferat, vera illa esse Marci
verba, quibus dicitur Joannes annuntiasse Judaeis baptismum
penitentiae in remissionem peccatorum, ac fateatur, baptismum
adultis immediate haud conferre gratiam, nisi poenitentia & fides

in animo baptizandi jam adfit, quemadmodum ex exemplo *Simonis Magi* patescit: At ad Apostolorum baptizata trahit Pag. 323. id, quod *Marcus 1, 4*, perhibuit de *Joanne* prædicante baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, licet *in ciso quinto* illa expositio everti videatur. Id tamen inficiari haud lubet, stare ab Eminentissimi Viri partibus *Thomam Aquinatem, Tertullianum, & Augustinum*. Hic enim in *Enchiridio* hæc habet *Cap. 48*: *Non renascebantur, qui baptizate Joannis baptizabantur*. Baptizatos a *Joanne*. Baptista credit fuisse 327. rebaptizandos, a *Thoma Aquinate* ita institutus. Jesum, in- 332. eunte ætatis suæ anno tricesimo, baptizatum fuisse, center probabile. Locum, in quo baptizavit *Joannes*, vocat *Joannes Bethabaram*. In *Vulgata* est *Bethania*. Eminentissimus Vir 335. credit itaque, locum designari utroque vocabulo eundem. Nec negari potest, jam *Seculo IV* in *Codicibus* multis lectam fuisse vocem *Bethania*. Christum a diabolo tentatore haud per 362. aera fuisse raptatum, sed duxisse sponte procedentem, comprobatum it ex voce *assumptionis*, seu *παραλαβάνης*, ob locum *Matth. XVII, 1*. Vestes Christi existimat existisse tres, 366. pallium, tunicam talarem, & togam inconsutilem, probabiliter a *Maria* contextam. Per duas vestes, Apostolis prohibitas *Matth. X, 10*, intelligit *mutatorias*. Nudipes Christus haud incessit ob *Luc. III, 16*. Prohibita Apostolis calceamenta *Matth. X, 11*, Autor exponit de *duplicibus*, ob *Act. XII, 8*. 383. Christum libris scribendis operam navasse, negat, falsius, Apostolos & Evangelistas tanquam manus ex influxu & motione capitis scripsisse. Quæ posterior sententia quomodo stare possit cum ea, Autori probata, quæ dicitur, ipsos, nullo ad scribendum præcepto usos, scripsisse Evangelia & Epistolas, nos certe non videmus. Indices *Tomis* singulis esse subjectos, mediocri diligentia ad minimum confectos, res ipsa docet. Ut vero *Ecclesia Romana* Eminentissimi Autoris libros prædicat, & elogiis summis extollit; ita non possumus, quin industriam & institutum ejusdem debitis honoribus prosequamur.

Johann David Ahlers, P. P. im Jahr 1731 wöchentlich
herausgegebener historischer Münzbelustigung
dritter Theil, 2c.

hoc est,

JOANNIS DAVIDIS KOELERI, P. P. PARS
tertia historiarum ex Numismatibus Amœnitatum, per
Annum 1731 hebdomadibus singulis edita, in qua LXI
Numi exhibentur, accurate in æs incisi, & historice
descripti, una cum continuatione delineationis, plenio-
rem Thalerorum collectionem in Præfatione
exhibentis.

Norimbergæ, typis viduæ Christophori Weigeli, se-
nioris, 1731, 4.








Alph. 2 plag. 10.

Tertiam hanc Amœnitatum historico-numismaticarum Partem
Autor Cel. Serenissimo Brunsvico-Luneburgensi Duci, *Ludovico Rudolpho*, dicatam & consecratam voluit, ac in ea inde ab
Henrico Leone Numos potiores ac facta heroica Ducum Brun-
svico-Luneburgensium generatim dicendo attigit. In Præfatio-
ne recensuit Thaleros Regum Bohemiæ, exorsus a *Ludovico*, ejus-
que annis regiminis, ab A. 1516 ad 1526, ac in *Carolo VI* de-
finens. Locum Numi regii tuetur Joachimicus Thalerus, A. 1520
elaboratus. Sequuntur Thaleri Ducum & Electorum Baviaræ,
Electorum Saxoniarum, Brandenburgicorum, Palatinorum ad Rhe-
num inde a *Ludovico Pacifico*, & Brunsvico-Luneburgensium.
Accedunt excusationes ad annotata & objectiones, quibus Præ-
fationem *Partis secundæ* Vir doctissimus illustraverat. Sequemur
in delibandis mensuræ eleganter apparatus dapibus morem nostrum,
paucula inde decerpturi. Repræsentantur vero hic Numi se-
quentes: 1) Numus major, exhibens *Philippum I*, Regem Ca-
stiliæ, Archiducem Austriæ, Ducemque Burgundiæ, cui histo-
ria vitæ factorumque accedit. 2) Rarus & unilateralis Numus
TAB. II. major, offerens spectatori bellam *Philippinam Welferiam*, con-
Fig. 1. jugem Archi-Ducis Austriæ, Comitisque Tirolensium, *Ferdi-*
nandi,

nandi, ad A. 1580. Perigraphæ brevissima hæc habet: DI-
 VAE PHILIPPINÆ. Ipsa existit filia *Francisci Welferi*, ex
 ordine Senatorio Augustæ Vindelicorum nati, ac Baronessa *de*
Zinnenberg. Natalis later. *Ferdinandus, Ferdinandi I*, Regis
 Romanorum, filius natu junior, eam in Comitibus Augustanis
 A. 1547 amare cœpit. Nuptialis annus est in incerto. Pul-
 cherrima hæc Dea obiit A. 1580, 24 April. 3) Ducatus TAB. II.
 Ducis supremi bellici, *Alberti de Wallenstein*, rebus bel- Fig. 2.
 licis clarissimi, A. 1631 percussus. In antica occurrit vul-
 tus integer Ducis, nudum caput, curti capilli, demissum ex
 collo descendit collare denticulatis patagiis ornatum, pectus
 lorica munitum, tænis campestris in axilla dextra. Perigra-
 phe oram cingit: ALBERTUS. D. G. DUX. MEGA-
 POL. itanus. FRIDL. andiæ. Cui ex postica sunt hæc jungen-
 da: ET. SAGAN. PRINC. eps VANDAL. orum. 1631.
 In hac clypeus ostendit insignia Meclenburgi, Friedlandiæ, Pag. 17.
 Sagani, Venedorun, Stargardiæ, Rostochii, & Suerini.
 Medium in quatuor areas distributum scutum exhibet insignia
Waldsteinensia, videlicet leones quatuor. 4) Numus major,
 ad A. 1528 referendus, exhibens *Waltherum de Cronberg*,
 primum administratorem Ordinis Teutonici equestris in Borus-
 sia, & hac secularisata, Magistrum ejus Ordinis per Ger-
 maniam & Italiam 5) Florenus aureus perquam rarus Ducis
 Saxonie, *Alberti Magnanimi*, defuncti A. 1500, 8 Sept. 6)
 Numus major, sepulturæ index, in ultimum Piasticum Ducem 41.
 Lignitii, Briegæ, & Wolaviæ, A. 1675 percussus. 7) Numisma
 aureum perrarum Regis Arragoniæ, *Ferdinandi II*, A. 1495 TAB. II.
 percussum, in ejus antica circa insigne Arragonicum legitur Fig. 3.
 perigraphæ: TRIUNFATOR. ET. CATOLICUS. CHRI-
 STIANISSIMUS. Notabilis est titulus *Christianissimi*, quem
 Papa ei destinaverat, sed, a Cardinalibus impeditus, permu-
 tarat illa formula scribendi, A. 1495 constituta: REGI HI- Pag. 52.
 SPANIARUM CATHOLICO. Omissis posthæc *Ferdinandus*
 titulum *Christianissimi* in numis, licet olim eum Reges Hispa-
 niæ in Diplomatis & Actis publicis adhibuerint, communem 54.
 quippe Imperatoribus ac Regibus Christianis. Tradunt vul-
 go,

- go, *Ludovicum XI* a *Papa Pio II* titulum & characterem *Christianissimi* obtinuisse. Ac ipse *P. Daniel*, Gallia Historiographus, ita sensit. *Pius II* in Epistola 335 ad Regem *Carolum VII* ita: *Habitus es, carissime fili, devotissimus Princeps fidei & religionis nostrae praecipuus: nec immerito ob Christianum nomen a progenitoribus tuis defensum nomen Christianissimi ab illis hereditarium habes. Quare vulgaris illa opinio sua sponte corrui.* 8) Numus *Caroli V*, A. 1546 in dissolutum foedus *Smalcaldicum* percussus. In ejus postica eminet perigrapha: *Laqueus Schmalkaldiensis contritus est, & nos liberati sumus.* 9) TAB. II. Numus mnemonicus trium urbium *Suffae*, *Uriae*, & *Underwaldae*, index victoriae, a *Gallis* A. 1513, 6 Junii, reportata. Fig. 4. In postica conspiciuntur tria insignia, videlicet *Uraniae*, -seu *Uriae*, *Suitiae*, ac *tertia*, quam diximus, urbis, *caput uri*, argentea crux in angulo superiori argenteae aerae, & *clavis*. 10) Numus, in famosum *Petrum Aretinum* effusus, cujus antica habet ejus imaginem cubitalem, & perigraphen: *Divus Petrus Aretinus*. In postica veritas enitet sub figura *nudae foeminae*, cui *genius alatus* coronam imponere molitur, qui *Jovem* e regione *nubi incumbentem* adspicit. Infr. jacet *Satyrus*, cui *Veritas* crux alterum imponit. Perigrapha est haec: *Veritas odium parit.* 11) Numus in septem fratres generosissimos *de Danckelmann*, qui *Friderico III*, *Electori Brandenburgico*, simul munia praestiterunt egregia. 12) Rario Numus *Metensis* *Cardinalis & Archiepiscopi, Roberti de Lenonourt*, ad A. 1551. Pag. 94 Addidit Auctor catalogum *Episcoporum Metensium* ad nostram seq. usque aetatem. 13) *Thalerus Metensis* ultimus *Cardinalis Caroli de Lotharingia*, ad A. 1557, & genealogia *Duci* hujus *Lotharingiae*, qui A. 1558, 12 Martii, jus eudendi numos, consentiente *Capitulo*, *Regi Galliarum* resignavit, seu tradidit. 14) *Thalerus pulcher* *Episcopi Passaviensis, Ruymandi Ferdinandi, Comitis de Rabatta*, ad A. 1717. 15) Numus aureus *Japonicus*, vocatus *Kobani*. In antica signum *idololatrae Imperatoris Japonensium*, cui nomen *Dairi*, in *a*. Scriptura *b* notat pretium numi. Scriptura *c* notat nomen *monetarii urbis Jedo*, seu *Suruga*, nominati *Midstfugu*. Postica representat

T. A. B. II ad Nov. Act. Erud. A. 1743 Mens. Mart. P. III pag. 160. 162. 164.



tat in medio signum ephori aureorum & argenteorum numorum in Japonia generalis. Signa minora utriusque lateris a privatis personis sunt impressa, notantium, an ille *Kobani* jam in ipsorum manibus fuerit. *Kobani* æquat pretium 23 florenorum Hollandicorum, seu 11½ thalerorum. In descriptione historica accessit enarratio de insulae momentis ac dominis, vitæque genere ex libro D. *Engelberti Kampferi*. 16) Numisma, inserviens memoriae Electoralis Brandenburgici summi Ducis bellici, *Georgii Baronis de Derfflinger*, qui obiit A. 1695, 4 Febr. 17) Duo Numismata in D. *Ægidii Strauchii* liberationem ex custodia Custrinesi A. 1678, qui obiit A. 1682, 13 Dec. Gedani, utinam turbis & vehementiæ magis infestus. 18) Thalerus rarior *Axellii Oxenstierna*, magni Suecorum Cancellarii imperialis, ad annum 1634, & sancitum fœdus Hailbronnesis, cui eodem anno clades ad Nordlingam erat funesta. In antiqa est perigraphæ sic legenda: *Illustris Dominus Dominus Axellius Oxenstierna Liber Bavo In Kimito Dominus In Fitholm Tidocœn Eques Regni Sveciæ Cancellarius LEGatus In Germania Suevia Franconia ET EVangelicorum DIRECTor*. 19) Numus missilis, sacratus Regis Poloniæ Sveciæque *Sigismundi III* nuptiis prioribus cum Archiducissa Austriæ *Anna* A. 1592. 20) Numus, *Osello* dictus, Ducis Venetorum, *Francisci Morosini*, ad A. 1690. 21) Numisma in stupendum transitum Regis Succiæ, *Caroli Gustavi*, per congeliatum fretum Belt A. 1658. 22) Singularis florenus aureus Imperatoris *Friederici III*, cum ejus symbolo: A. E. I. O. U. quod, ipso *Friederico* interprete, ita est exponendum: *Austria Est Imperare Orbi Universo, Alles Erdreich Ist Oesterreich Untertan*, uti *Petrus Lambecius* in *Diario sacri itineris Cellensis*, A. 1666 edito, pag. 14 ostendit. Biceps in antica unago est indicio, numum post A. 1452, 17 Martii, quo Romæ coronatus est in Imperatorem, fuisse cusum. 23) Rarior Thalerus Imperatoris *Maximiliani I* cum imaginibus nepotum ipsius utriusque, ad A. 1518. Notatu est dignum, Archiducem *Ferdinandum* in postica vocari Regem Siciliæ. 24) Numisma rarum in Pontificem *Benedictum XIII*, ad A. 1726. 25) Numus mnemonicus *Erfurten-*

Pag. 145
172.
176.
184.

- Pag. 198 **Fig. 6.** **TAB. II** **Fig. 7.** **Pag. 209** **seq.** **204.** **206.** **207.** **TAB. II** **Fig. 7.** **Pag. 209** **seq.** **211** **seq.**
- fis in obitum Regis Suecorum *Gustavi Adolphi*, ad A. 1634. Accedit designatio numorum, qui in hunc Regem fuerunt percussi, in XV Tabulas distributi. 26) Rarior florenus aureus Rhenanus Imperatoris *Ruperti* Palatini, ad annos 1400-1410 referendus. In antica apparet aquila uniceps, ac sub ejus pedibus insignia Palatinatus Rhenani ac Ducatus Bavarix, cum perigraphæ: RUPERTUS ROMANORUM REX SEMPER AUGUSTUS. In postica integra S. *Joannis* Baptistæ imago in pallio cilicino, cujus super humero dextro eminent leo Palatinus. Perigraphæ: MONETA. HEIDELBERGENSIS. Floreni aurei Rhenani cusi sunt ex auri ramentis, quæ inter arenam Rheni artificiose fuerunt collecta. Colmariense Chronicon ad A. 1292 refert, *mineram auri apud Heidelberg inventam*. *Friedericus II* Imperator A. 1219, 26 Novemb. Noribergæ privilegium dedit de feudo recto in omne genus metalli, auri & argenti, cum omni jure & utilitate inde proveniente in terris patrimonii & feudi sui. Cel. Autor advertit Ill. *Joannem Petrum de Ludewig* honorificentius sentit de origine Comitum Palatinorum ad Rhenum, ac Imperatorum juribus in fodinas Germaniæ metallicas, quarum possessio duntaxat ex privilegiis concessa fuit Principibus. Privilegium vero *Friederici* ad terras Bavaricas pertinet. Duces jurisdictionem territorialem tenuisse ex electione ordinum provincialium, antequam Imperator fuisset creatus, qui a Ducibus suam potestatem obtinuerit & regalium partes, paradoxa est opinio *Hippolyti a Lapide*, *Monzambani*, ac *Ludewigii*, quam *Christianus Thoma-fius* tandem deseruit. 27) Numus perquam rarus aureus Imperatoris *Ludovici Bavari*, in cujus antica conspicuam apprehendimus aquilam bicipitem, ad A. 1346. Imperator in throno feudali sedet, dextra gladium præferens erectum ac nudatum, eumque numo huic feriundo jussa impendisse, cum A. 1346 Hollandiam & Seelandiam *Margaretha*, *Wilhelmi IV*, improlis ultimique Comitum, sorori, in publice celebrato judicio feudali indulserit tenendam, ex *Joanne de Beka* & *Chronico magno Belgico* Cel. Autor ostendit, nonnulla notans in Ill. *Ludewigio*. In sigillis Imperatores tum nondum
 sua

sua indicabant insignia, cujus moris demum *Carolus IV* est au- Pag. 213.
tor. Aquilæ unicipitis ac bicipitis signum Imperatores tum ad
Sigismundum usque adhibebant promiscue. In numo *Wilhel-*
mi IV, Regis Romanorum, & *Ludovici*, Comitis Flandriæ, numo 214.
alio, jam ante *Ludovicum* Bavarum occurrere aquilam bicipi-
tem, docetur porro Ill. *de Ludewig*. Unicipitem aquilam in
numis jam adhibuerunt *Henricus VI* & *Fridericus II*. Romanus
Diogenes, Imperator Græcus, jam A. 1072 a Turcis captus,
sefe prodidit aquilæ indico in lorica pectorali. Seculo XIII
iidem Imperatores jam *ætræ*, aquilas, singuli pro regis digni-
tatis signo adhibuerunt. Ex vexillis veterum Romanorum
aquilæ gestamen est derivandum, non ex Marchiis Branden-
burgicis, quarum Marchionatus A. 1144 circiter demum
fuit conditus. Hæc in gratiam Illustris *Ludewigi*. De reli-
quo gnome, *Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat,* 216.
jam conspicitur in numo aureo *Ludovici VI*, seu *Craffi*, in Gal-
liam dominati ab A. 1108 ad 1137. 28) Numisma majus
pulchrum, exhibens Helveticos conjuratos socios, ac septem
loca aggregata. Adjiciuntur de origine societatis lecta di-
gna, ac de formis regiminum in oppidorum singulis haud tra-
laticia. 29) Thalerus Marchionis Neapolitani *del Vasto*, ad A.
1706. 30) Numus in celebrem curiæ Romanæ purpuratum
Petrum Bembum unilateralis. 31) Numisma, inelytum Co-
mitem stabuli Galliarum, *Annam de Montmorancy* cognomi-
natum, referens. 32) Numisma, celeberrimum Imperato-
rium maris præfectum, *Andream Dorian*, exhibens. 33) Nu-
misma, representans *Catharinam*, Gallix Reginam, *Medicea* ex
gente natam, ejusque tres Principes juventutis, postea Reges,
ad A. 1574. 34) Numus major *Henrici III*, Regis Galliarum,
ad A. 1577. 35) Rarus Brabanticus Numus argenteus, A.
1584 inter turbas Belgicas cufus. 36) Duo Thaleri Archi-
ducis Austriæ, *Leopoldi*, *Ferdinandi II* Imperatoris fratris se-
cundi, ad A. 1624 & 1628. 37) Numus uncialis *Ferdinandi I*,
Regis Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ, qui in hoc vocatur
Archidux Carinthiæ. 38) Uncialis *Caroli*, Ducis Suderman-
niæ apud Suecos, ad A. 1595. 39) Numus quadratus ejusdem,

- ad A. 1598. 40) Numus uncialis, triplex pretio, eundem referens *Carolus*, Sueciæ Regem designatum, ad A. 1606. 41) Uncialis Ducis Wirtenbergici, *Joannis Friderici*, ad A. 1623.
- TAB. II
Fig. 8. 42) Rarus Numus Romanus, ab *Alberico*, Patricio Romano, A. 946 percussus. Antica refert Papæ *Agapiti II* imaginem cubitalem, ejusque plenam faciem, tenentis dextra crucem, sinistra clavem, cui adjecta est perigraphæ: AGAPITUS. PAPA. Ipse conscendit solium Papale A. 946, defunctus A. 955. In antica medio occurrunt literæ decussatim positæ: A. L. B. R. feu monogramma *Alberici*, Romani Patricii ac Principis. In perigraphæ leguntur hæc: SCS PETRS. id est, *Sanctus Petrus*.
- Pag. 353. 43) Numisma pulchrum ac rarum urbis imperialis Ravensburgi, ad A. 1624. 44) Numisma pulchrum *Henrici Julii*, Ducis Brunsvico-Wolterbuttelani, ad A. 1624. 45) Ducatus rarior Episcopi Wratislaviensis, *Caspari de Logau*, ad A. 1562. 46) Numus uncialis Ducis Juliaci, Cliviæ, ac Montium, *Wilhelmi*, cum gnome: *Christus spes una salutis*, ad A. 1578. 47) Uncialis Episcopi Bambergensis, *Joannis Georgii*, Baronis de *Fuchs ex Dornheim*, electi A. 1623, 13 Febr. 48) Numus pulcher *Matthiæ*, Archi-Ducis Austria, tandem in Imperatorem electi. 49) Aureus Numus, significans Reginæ Galliarum, *Mariæ Medicæ*, coronationem, ad A. 1610. 50) Numisma præclarum Reginæ Galliarum, *Mariæ de Medicis*. 51) Rarior Numus *Manfredi*, Sicilia Regis, ad A. 1255, cujus utraque peripheria, *Q M* ex medio antica addis, gignit perigraphen: MAUNFREDUS REX SICILIE. 52) Duo Numi quadrati castrenses Marchionis Brandenburgo-Culmbacensis, *Alberti junioris*, ad A. 1553, defuncti A. 1557, 8 Jan. 53) Numisma in Cardinalem *Petrum Bembum*. 54) Ducatus geminus Ducis Wirtenbergici, *Joannis Friderici*, ad A. 1623. Adduntur in fine mantissæ & Index. Univerſus liber spirat amœnitatem, judicium, eruditionem, & pietatem.

MATTHÆUS A BAPPENHAIM ENUCLEATUS, emendatus, illustratus, & continuatus, a M. JO. ALEXANDRO DOEDERLINO, Rectore Lycei

MENSIS MARTII A. MDCCXLIII. P. II. 165

*cei Weissenburgensis in Nordgavia, Sodali Academiæ
Imperialis N. C. & Societatis Scientiarum Re-
giæ Berolinensis.*

Tomus I.

Suabaci, impensis Jo. Jacobi Endercs, 1739, 8.

Alph. 2 plag. 14.

Gloriosa Comitum Illustrissimorum *Pappenheimensium* do-
mus id habet eximii, ut ducentis fere ante annis a gen-
tilibus suis fuerit literis memoriæ prodita. Historiam gentis
splendidissimæ Latine scripsit *Matthæus de Pappenbaim*, J. U.
D. & Canonicus Augustanus, ac in Teutonicum sermonem
convertit *Joannes de Pappenbaim in Biberach, Wildenstein, &
Elgau*, hæreditarius R. I. Mareichallus. Tentarunt dudum
nonnulli perspicuam historicamque de stirpe tanti splendoris
expositionem suppeditare. Collegit nescio quis Mappam genea-
logicam satis elegantem, ab A. 1131 ad 1570 deductam. Scri-
psit A. 1628 *Frid. Oefflein*, Oettingensium Comitum Con-
siliarius, *Historiam Catalano-Pappenheimianam*. Edidit A.
1601 *Joannes Jacobus Rhumel*, Comitum *Gothofradi Henrici*
ductor, *Orationem de Vita D. Viti Baronis in Pappenheim*. Ad-
ministrer quidam Comitum ex scriptis jam tum editis consigna-
vit compendium, quinque Libris constans. Circa A. 1635 *Chri-
stophorus Michael Graf*, præfectus urbis Pappenbaim, e variis
edilectoneis opusculum consimile construxit. Verum hæc
non supersunt integra, vel prorsus e manibus aufugerunt. Ill.
Adamus Fridericus Zengk, Consiliarius Comitum primus &
Syndicus, nunc Consiliarius intimus & Præses tribunalis ju-
stitiæ *Wolferbuttelanus*, cum Pappenheimii adhuc ageret, edi-
turum se promisit *Historiam Pappenheimensem*, eoque sine su-
pellectilem collegit haud contemnendam. Gratulamur Viro
Illustri munia dignationis summa, quæ Sereniss. Duci Brun-
suico-Luneburgensi *Carolo* præstat, ac nuper in negotio electio-
nis Cæsareæ *Offenbachii & Francofurti ad Moenum* præstitit.
Dolemus vero simul vicem eruditæ civitatis, quæ fructu de-
stinationum historicarum tanti viri egre caret. Cl. *Dæderli-*

nus tandem provinciam hanc, ab aliis desertam, credidit esse suam, adjutus consilio & opera Ill. G. W. *Welckii*, qui Comitum Consiliarium primum, Directorem tribunalis justitiæ, ac Consistorii sacri Præsidentem, magna cum laude agit Pappenheimii. Lineas primas duxit inde ex Seculo decimo, atque Ill. *Matthæo a Bappenheim* reliquit *Calatinos*, patricios Romanos, eorumque successores, in Germaniam, uti vulgo tradunt, digressos. *Tomus hic primus* complectitur historiam, inde a Seculo X deductam, tabulisque genealogicis illustratam. *Tomus secundus* exhibebit expositionem historicam de sede Comitum, eorumque dominio, de bonis prædiisque eorum præcis, de rebus ad religionem spectantibus; de statu ecclesiastico, ac argumentis similis farinae. *Tomus tertius* complectetur Acta publica, Diplomata, & Chartas, quibus historiæ ipsi lux affundi debebat. Opus ipsum sermone est Teutonico compositum, etsi inscriptione maximam partem Latina donatum. *Tomus primus* universus continet *Capita undecim*, Indicemque mediocrem. *Capite primo* Cl. Autor edisserit vetustatem Dominorum, de *Calatin* dictorum. *Calatinos* Romanos attingit, nec tamen a sese impetrare potest, ut ex eis sanguinem Illustrissimorum Comitum Pappenheimensium, arcessat. *Calatin*, *Calentin*, seu *Calden*, est castellum, quod, monti impositum, imminet Danubio. Inde *Calentinis* olim adhasit nomen, imperii Mareschallis. Ipsi in Diplomatis dicti fuerunt quondam varietate quadam nunc *de Chalandin*, nunc *de Calandin*, *Kallinden*, *Kallendin*, *Kalindri*, *Schaladin*, *Chalindin*, *Calindi*, *Calendina*, &c. *Capite secundo* ostendit idem, ab hisce *Calentinis* dimanasse Comites Illustrissimos. Seculo XI fit *Henrici I* mentio, atque ad A. 1017 *Waltheri*. Hunc credit esse eundem ac illum, cujus epitaphium Erfurti in æde S. *Jacobi*, seu apud *Scotos*, visitur hoc: *Hic jacet Walterus de Glizberge, filius Marssalci de Kallentin, fundator istius ecclesie, & uxor ejus Heddevic, filia Marchionis de Foburg*. Epitaphium quoque ipsum inseruit Autor. *Glizberg* nunc vocatur *Gleisberg*, seu *Gleisperg*, A. 1453 destructum in monte castellum prope Salam, unde Comites Domini que quondam cognominati. *Waltheri* hujus videtur quædam existisse filia, quæ castrum *Glizberg*

Eberto,

Eberto, Comiti Osterrodensi, tradidit. Marchiones Cham- Pag. 37.
bie, Vohburgi, Egræ, & Neumarcæ, in tabula genealogica
 expressi, hic inserti leguntur. Ad pag. 121 Perillustris Fr. Ad.
Zengki genealogia patrum Mareschallorum de *Calatin* &
Pappenheim exhibetur. Capite tertio Cl. Autor exponit de
 Mareschallis, a *Biberbacu* appellatis, ex familia *Calentinorum*
 & *Pappenheimensium* prognatis, ac dudum extinctis. Capite
 quarto edisserit patres ac juniores Mareschillos de *Pappen-*
heim, cognominatos a *Rechberg*, *Hohen-Reichen*, & *Wertingen*, 148.
 vulgo dici solitos *Pappenheimios Bavaricos*. Quinto Capite de-
 ducit Comites ac Barones, de *Hohen-Rechberg* dictos, ex *Ca-*
lentinis ac *Pappenheimiis*, ad ætatem usque nostram progres-
 sas. Sexto Capite enarrat progeniem *Grafenthalensium*, cujus 190.
 postremus hæres masculus, *Christophorus Utricus*, A. 1599.
 21 Dec. diem suum obiit. Capite septimo pergit ad proge- 213.
 niem *Algowischiam* & Landgraviorum *Stülingensium*. Capite 289.
 octavo stirpem *Treuchtlingensium* delineat ac collustrat. Nono
 profequitur genus & facta progeniei *Alesheimensis*. Sequun-
 tur Capite decimo Mareschalli Comitesque *Pappenheimenses* 385.
 progeniei Pontificiæ, quæ exeunte Seculo superiori expira-
 vit. Tandem Capite undecimo disserit de Comitibus, proge-
 niei *Alesheimensis*, *Pappenheimensibus*, quorum propago eni-
 tescit in Mareschallo R. I. ac Comite *Friderico Ferdinando*, ejus-
 que filiis ad omnem ætatem inclutis. Vovemus ex animo, ut
 Illustrissimis Comitibus nunquam non res affulgent exoptatis-
 simæ. Autor vero salivam nobis movit, ut cupiditate *Tomos*,
 qui adhuc restant, duos videndi flagremus.

HERM. HENR. ENGELBRECHTI, IN ACAD.
Gryphisw. Prof. Ordin. in Consist. Reg. Eccles. Consilia-
vii, & Universitatis Syndici, Delineatio status Pome-
ranie Suetbicæ. Accesserunt Mantissa Monu-
mentorum, & Index rerum.

Pars I.

Gryphiswaldæ & Lipsiæ, sumptibus Jo. Jac. Weitbrechti, 1741, 4.
 Alph. 3.

Expo-

Exposuit publice Vir Consultiss. lectionibus suis Academicis
 notitiam status Pomeraniæ, ac sensim ea collegit, quæ ad
 eam facere videbantur illustrandam. Enata inde est hæc *Pars pri-*
or, cui mox *posterior* succedet. In hac præcipua Juris publici
 Pomeraniæ capita sunt pertractata. Adjecit mantissam monu-
 mentorum, quali pars etiam subsequutura erit instructa, in qua
 quippe leges præcipuæ, eæque fundamenti loco positæ, nec
 adhuc typis excusæ, cum lectore communicabuntur. In Præ-
 fatione, huic *Parti* præmissa, exponit Autor ea, quæ ad Jus
 publicum speciale edifferendum cautionis loco sunt observa-
 da. Prostant jam hujus generis lineæ primæ, nominatim *G.*
A. Carocii Specimen introductionis in notitiam Pomeraniæ, & *III.*
Joannis Petri a Ludewig cura in Reliquiis MStorum edita *Fes-*
senii status Pomeranici delineatio. *Cl. Pistorius* in *Amanitati-*
bus historico-juridicis evulgavit *Mevii* scriptum ejusdem com-
 matis. Imitatus est hosce, & felicissime superavit, Conf.
 Autor, amore ac pietate in patriam impulsus, instructusque
Palthenianorum MStorum copia, quibus evolvendis in otio
 Lundenfi invigilavit. Ultimam manum hisce impositum iri a
 sese, idem promittit prolixè. In *lagoge* exhibet ea, quæ ad
 statum regionis pernosendum oportet animo præcipere. Opus
 universum ita conformavit, ut *primo Capite* recenset fontes
 & subsidia literis commendata, e quibus notitia status publici
 Pomeraniæ Suecicæ addisci debet; *secundo* complectatur præ-
 cipuas status conversiones; *tertio* agat de finibus, divisionibus,
 natura regionis, nec non ingeniis civium; *quarto* de legibus
 provinciæ publicis æque ac privatis; *quinto* de statu ecclesia-
 stico; *sexto* de statu literario; *septimo* de vario nexu provin-
 ciæ cum Imperatorè & imperio, nec non aliis exteris regio-
 nibus, tum antiquo, tum recenti; *octavo* de juribus ac præro-
 gativis Regis Sueciæ, qua Ducis Pomeraniæ, ubi & de titu-
 lis ac insignibus; *nono* de regimîne provinciæ, & statu ejus ju-
 diciario; *decimo* de statu ipsius militari; *undecimo* de statu
 ipsius œconomico; *duodecimo* de juribus & privilegiis ordi-
 num, & commodis provinciæ; *decimo tertio* de nonnullis capi-
 tibus, quæ Rugianis sunt propria. Ad fontes refert Archiva.
 Pome-

Pag. 9.

15.

16.

Pomeranicum tabularium olim Duces asservarunt in turri Wolgastana. Nunc custoditur Sundii in palatio Pro-Principis Pomeraniæ. Eodem refer Bibliothecas, *Putbussianam & Lieberrianam*. Pertinet huc etiam notitia Historicorum, qui Pomeranica ex instituto descripserunt, cum indigenarum, rum extraneorum. Ad posteriores Autor credit annumerandos esse *Saxonem Grammaticum, Thormodum Torfacum, Peringskiöldii Snorre Sturlesonum, Sam. Puffendorffium, Phil. Bogistaum a Chemnitzzen, Dluglossum, Lubienkium, Hartknochium, Germanos* haud unos, præcipue *Cranzius, Chytræum, Marschallum Thyrum*, aliosque, ab *Ern. Joach. a Westphalen* editos. Historiam Pomeraniæ universalem, pragmaticè scriptam, evulgavit nemo. *Jurgen Valentini Winteri* conatus substitit iutra promissa, nec nisi fragmenta ejus supersunt. *Georgius Adamus Curocius* A. 1725 singularem ejus operis delineationem exhibuit, Vir in rebus patriis versatissimus. At, Historia Pomeraniæ pragmatica, ab ipso promissa, quo minus in lucem prodire possit, prohibet Viri laudatissimi infirma valetudo. Chronica Pomeraniæ Rugiæque Autor candide indicat, momenta specialia prælectionibus reservans. Hisce adjungit Biographos, Chorographos, Topographos, Genealogos, Heraldicæ rei scriptores, scriptores de natura regionis, de statu literario, de statu ecclesiastico, de statu publico œconomico. Nec omittit dicere de actis publicis, præcipue ad Articulum 10 Pacis Westphalicæ spectantibus, atque Diplomatum. Memorat scriptores, de re feudali, legibus judiciisque Pomeraniæ, commentatos, sub finem attingens linguam patriæ antiquam, cujus Glossaria struxerunt *B. Paltbenius*, intra promissa subsistens, & *A. G. Schwarzzius*. Pomeraniam credit appellatam Seculo XI *Pomorzi, Pameren*, id est, *ad mare, vel maritimam*, siquidem Venedi literam *w*, seu *b & p*, pro more initiis vocum sæpius præfixerunt. De Pomeraniæ incolis vetustis disputat, omittens Langobardos. Historiæ Pomeranicæ periodos recenset. Fines & divisiones Pomeraniæ exponit curate, nec omittit jura ac onera civitatum, nobilium feuda & allodia, regionis naturam, civium ingenia & mores, leges variasque constitutiones.

Pag. 17.

19.

20.

25.

46.

48.

86.

- stitutiones. Ad Christi doctrinam Pomerani A. 1124 addu-
 Pag. 227. Gi. Postea Episcopatus inibi sunt instituti. *Georgius, Boles-*
lai filius, Evangelicam ante A. 1594 introduxit religionem.
 230. Autor adjungit Historiæ ecclesiasticæ capitibus summis jura
 Principis circa sacra & rem literariam, inprimis Gryphiswal-
 331. densis Academiae foundationem. Acta publica adjiciuntur huic
Parti priori selectissima & præstantissima. Volumen claudit
 tandem Index, solerter & copiose elaboratus. Gratulamur
 Consultiss. Autori operam, tam auspiciato atque in usus patriæ
 collocatam, merito optantes, ut *Partem posteriorem* propedi-
 diem videre nobis liceat, ac tandem ex hisce partibus opus,
 nationis Pomeranicæ decori respondens, extruatur. Habent
 hic proceres provinciarum Germaniæ specimen Juris publici
 specialis, & imitatione prosequendum, & præconiis publicis con-
 celebrandum.

ISTORIA DELLE COSE OPERATE NELLA CHINA, &c.

id est,

HISTORIA RERUM IN CHINA GESTARUM
a Joanne Ambrosio Mezzabarba, Patriarcha Ale-
xandrino, Legato Apostolico in illud Imperium, &
in præsens Episcopo Lodii, scripta a P. VIANI, ejus
a Confessionibus sacris & comite in memorata
legatione.

Parisiis, (Mediolani, ut typus literarum docet,) apud
 Briassonum, 1739, 8.

Plag. 16.

Ea, quorum ipse scriptor pars magna fuit, hic exposita vide-
 mus. Complectitur hic liber ephemerida rerum, in China
 pro re Christiana, aut, si mavis, Romana, gestarum, tristium magna
 ex parte, & cum Imperatoris Chinentis odio junctarum.
 Scriptor fuit Servita, cujus fidem, probitatem, & vitam, dedit
 Anonymus in Epistola præmissa. *Vianio* illi obtigit patria Pe-
 demontium,

demoncium, ejusque urbs, Salutiæ. Literis humanioribus, Philosophia, & Jure civili, imbutus, professus est Bononiæ A. 1709 Ordinis Servitarum sese consortem in Cœnobio Luceren-
 nensi. A. 1712 S. *Josephi* ad Cœnobium ibi transit. Utrou-
 que in loco studiis tam gnaviter operam dedit, ut morbo fue-
 rit implicatus. A. 1714 Florentiam concessit. Inde lecto-
 rem Philosophiæ egit Pistoriæ, Monte Peluciano, & Romæ,
 ubique maximi æstimatus. Hic amicitiam contraxit cum amœ-
 nioribus studiis, præcipue cum Geographia, & Theologo *Ca-*
passio. Studuit etiam Oratoriæ excolendæ, & septenarios jam-
 bos scripsit in honorem dolorum *Mariæ* Virginis, quos magno
 cum applausu recitavit in S. Marcelli. *Capassius* eum aggre-
 gavit comitatu *Mezzabarba* Chiuensi. Reversus ex China, Pag. 19,
 egit Taurini, ac electus fuit ipse duodecimus ibi Theologiæ
 Professor, examinaturus laurea doctorali theologica ornandos.
 Gallice sciebat ad unguem. In *Josepho* Italice transferendo, &
 in libro Anonymi *de Anima bestiarum*, erat multus. A. 1735
 provinciæ Genuensis renuntiatus fuit Provincialis, & A. 1737
 Definitor generalis. Secessit tunc Romam, ut otio afflueret, sed 15
 a P. Generali suo tanquam Vicarius generalis Neapolin delegatus
 fuit ad sedandos quosdam Manachorum tumultus. Ibi renuntia-
 tus fuit Prior S. Marcelli. Apoplexia hic correptus, exspiravit, in-
 certum, quo die, & in quo cœnobio, cum annum ætatis 49 atti-
 gisset. Ephemerides ejus primordia capiunt ab anni 1720 d. 23
 Sept. Conscendit ipse navem redux A. 1721, 9 Dec. Diariam 254
 hanc recensionem ipse Legatus *Mezzabarba* perlegit, & passim
 manu sua auxit. Scriptor aperte fatetur pagina postrema, Jesuitas
 Chiuenses parum observantiæ præstitisse Pontifici Romano, ejus- 256
 que Legato, sed potius per exploratores didicisse & compe-
 rire laborasse vilissimas Legati actiones, nec lætiores ulla re
 unquam extitisse, quam Legati discessu. Iter Legatus iniiit A. 3
 1720, 25 Martii, conscensa nave Lisbonæ. Quinque mensi-
 bus & 92 diebus exactis, mari proxime Macao urbem advenit ad
 23 Sept. Legatus inquirebat, an edicto Pontificis factum fuis-
 set satis, quo ritus eorum, qui quotannis *Confucio* honores
 habent,

- habent, & manes defunctorum expiant in China, restrinxerat, & in vitis Jesuitis, superstitiosa disjuncta a momentis tolerabilibus. Peccaverant multi Patres Chineses in hoc edictum, idque neglexerant. Hi absolutionem a fulminante edicti
6. eessura consequi studebant, precibus Legatum fatigantes. Sed Legatus in throno sub caelo artificioso, cum audientiam, adstantibus praefectis, patribus, & Mandarinis, indulgeret. En-
13. formulam jurisjurandi, quo Jesuitae Chineses sese, Legato *Elementis XI* altero adveniente, obstrinxerunt: *Ego - - ad avertendam omnem suspensionem juro coram Deo, qui intuetur cor meum, me neque directe, neque indirecte, neque per me, neque per alios, ullo modo impediturum jussu Sanctissimi Domini nostri Clementis divina providentia Papa XI circa ritus Sinos, immo, quantum in me est, sincere & libenter eadem executurum & promovendum, ut ab aliis admittantur & promoveantur, adjuturum strenue & efficaciter ad id in Sinos missum Illustrissimum D. Carolum Ambrosium Mezzabarba, Legatum a datere ejusdem Sanctissimi Domini nostri; sic libens & non requisitus spondeo, voto, & juro. Sic me Deus adjuvet, & haec sancta Dei Evangelia.* Jesuitae vero aulam Imperatoris reddiderant Legato infestam. Imperator de legatione Card. *Turonii* sentiebat abjecte, & graviter ferebat, quod, cum ipse duos Jesuitas primo, ac postea totidem, & tandem Provanciam Jesuitam, miserat Romam, responsum tulisset nullum.
30. Mandarinis perplacuit horologium Papae, Imperatori dono missum, quo ignis elici, & lumen accendi, poterat. Petiit autem
48. Legatus ab Imperatore, hic permetteret, 1) ut religio Christiana in suo imperio porro persisteret pura; 2) ut Christiani, qui sint in eo imperio, libere observarent Pontificiam Constitutionem, cujus est initium *Ex illa die*; nec non 3), ut Legatus fungeretur munere primarii eorum, qui in Sinos fuerint missi. Jesuitae autem fuerunt in causa, ut Legatus per varios tramites & multa rerum discrimina duceretur, antequam ad Imperatorem adduci posset. *Bonziorum* unus ita
62. Legatum interrogavit inter alia: *Papa jubet! Quis est ille Papa? Papa jubet! Non potest imperare Anglis & Belgis, & imperare*

*perare studeat hominibus in China versantibus? Idem invenimus remedium. Faciunt bene Angli & Hollandi &c. In primis Jesuitæ, & per eos Imperator, ægre tulerant, quod Provana Jesuita, Romam missus, haud rediisset in Chinam, nec responsa Pontificis ad Imperatorem retulisset. Tandem in aulam Imperatoris admissus fuit Legatus, ubi Europæi aulici ad osculandam ejus manum accesserunt, eorumque nomine P. Josephus Suarez, supremus Collegii Peckinensis Jesuita, ei adventum gratulatus fuit. Deinde in conclave audientiae Imperatoriae introductus, obtulit Imperatori Breve Pontificium, stans inter regulos ad dextram throni, amiculoque Sinenfi circumdatus, prostravit sese in conspectu Imperatoris. Finitis epulis, Legatus, ad ejus thronum reductus, prostravit sese, & ex manibus Imperatoris suscepit aureum vas vino plenum ebibendum. Deinde, interpositis ceremoniis quibusdam, Legatus, denuo ad thronum arcessitus, interrogationibus Imperatoris per interpretes Jesuitas satisfecit, eumque rogavit, ut permitteret, durare religionem Christianam in imperio suo puram interventu observandæ Pontificiæ Constitutionis. Promisit Imperator, iterandæ audientiae sese hoc momentum reservaturum, ac interrogavit Legatum, cur in Europæis picturis homines alis instructi viserentur. Respondit Legatus, alas esse celeritatis actionum symbola. Tum Imperator dixit quædam de contradictionibus, quibus fides Romana premeretur. Respondit Legatus, vicarium Pontificis in doctrina falli haud posse, sed, adminiculante Spiritu Sancto, dijudicare citra errorem controversas religiosas. Adjunxit Imperator hæc: *Qui potest Pontifex dijudicare ritus Chineses, quos nec vidit, nec cognovit?* Respondit Legatus, Pontificem non dijudicaturum ritus causasque Chineses, sed ritus religionis Christianæ, & quid in eis possit permissum videri. Cum Breve legeretur, Jesuitæ Sinici monuerunt, 1) id non satis prudenter esse compositum; 2) plenum esse assensionis, inimicis Jesuitarum præstitæ; ac 3) Imperatoris odia excitaturum. Imperatoris hoc, quantum ad Breve, fuit responsum: 1) sese ab initio Missionis dignos poena luere jussisse malefacta; 2)*

Pag. 88.

91.

93.

98.

- Papam de ritibus Chinesibus perinde haud judicare posse ac Imperatorem de ritibus Europæis; 3) Papam fidem habuisse homuncionibus, melius ipsi crediturum fuisse. P. *Mura* postea Legatum commonefecit, res Missionis Chinesis per promulgationem novellæ Constitutionis pessundatum iri. Mirum sane, Imperatorem Legato objecisse dissensionem ecclesiæ Gallicanæ a ritibus Tridentina Synodo investis, nec Legatum id intelligere voluisse, generatimque potius respondisse. Imperator monuit præterea, 1) Jesuitas, a sese ad Papam missos, fortassis instinctu Pontificis esse interemtos; 2) Constitutionem novellam Pontificis deberi vindictæ a Jesuitis expetendæ, 3) nec disquisitionem rituum Chinesium ad Pontificem Romanum spectare. Respondit autem Legatus omnino ea, quæ in hominem cadere potest, prudentia. Mandarinus *Chao* tandem Legato ostendit, recte ipsum facturum, si ociissime in Europam rediret; Chineses enim rituum suorum esse tenacissimos, nec Imperatorem quidquam permitturum, unde tumultus in imperio exoriri possent intestini. Imperator ipse, ritus, a Pontifice prohibitos, esse duntaxat civiles, haud religiosos, & eam prohibitionem nisi falsis *Maigroti*, *Pedrini*, hominumque similis conditionis, narratione, qui immodicos expetierint in China honores, nec obtinuerint; falsum vero esse, ritus illos *tabellarum* esse a *Confucio*, vel *Forastierio*, vel ex libris classicis, haustos. Idem ægre tulit, quod Pontifex recuset, *Deum* a Christianis Chinesibus dici *Tiem* & *Xemsi*, præcipiens, ut ipsi eum appellent *Tien Chu*. Omittenda sunt nobis permulta. Dabimus tamen ea Latine, quæ Imperator subscripserat Pontificis novello decreto: *Legendo decretum illud, tantummodo dici potest, spectare ad homines viles Europæos, Quomodo dici potest, illud spectare ad magnam doctrinam Sinicam? At fortasse, cum Europæorum nullus sit, qui noverit literas Sinicas, plura reperiuntur indigna nunc visu. Decretum, allatum a Legato, magnum habet conformitatem sectæ idololatrarum ad paucas sectas Ho Xan Xi. Habent inter se perturbatam disputationem, qua major nulla esse potest. In posterum non expedit permittere Europæis, qui in Sinis sunt, ut propagent legem*

gem suam. Hac propagatio prohibeatur oportet. Et sic molestia negotia evitabuntur. Paulo post Jesuitarum, ad Sinas missorum, potiores unus & alter decreti allati urfit suspensionem, siquidem ejus executio sit conjunctissima cum interitu missionis sacrae Chinenfis. Deinceps Imperator negavit, sese eo re- Pag. 153.
rum statu posse Legato audientiam indulgere. Narravit deinde in scheda scripta, omnia prohibitionis Pontificalis momenta a *Maigroto*, Jesuita, sibi olim fuisse exposita, sese isti homini Sinice indoctissimo dubitationes, publice prolatas, exemisse, hunc respondere haud valuisse, & in Europam, inscitix convictum, aufugisse, ut multitudinis animos perturbaret. Dijudicavit idem Imperator momenta Papalis decreti quatuor, ac ea refellere, certe limitare, tentavit. *Joannes Laureati*, Jesuita, Visitator Japonia & Sinarum, Constitutionem Apostolicam, ad quam antea sese obstrinxerat jurejurando, A. 1721, 2 Febr. nec accipi, nec promulgari, posse, argumentis variis ivit demonstratum. Imperator tandem redire jussit Legatum, eumque abitionis maturandae causa monuit, docens paulo post, religionem Christianam haud amplius in China exerceri posse ob contentiones, ob eam enatas. Redire hinc instituit Legatus Romani, re quidem infecta. Corpus Card. *Turnonis* in urbe 254.
Macao curavit sepulcro eximendum, ac navi secum abstulit. 161.
195.
205.

BIBLIOTHECA HISTORIAE LITERARIAE CRITICA, eaque generalis, hoc est, Catalogi Bibliothecae Reimmannianae systematico criticae Tomus secundus, in quo libri, ad Historiam literariam generalem spectantes, & Bibliothecae Reimmannianae partem facientes, qua fieri potuit solertia, enumerantur, & quid in unoquoque sit asterisco vel obelo dignum, ea, qua fas est, modestia & libertate indicatur. Accedit catalogus MStorum, & designatio Numorum quorundam.

Hildesiae, sumtibus viduae Lud. Schroederi, 1739, 8.

Alph. 2 vlag. 12½.

Autor

- A**utor Pl. Reverendus, nuper, magna literarum jaçura, ex hac vita evocatus, orbi erudito invidere noluit *Tomum alterum Catalogi Bibliothecæ suæ*. Meditabatur adhuc *Paralipomena Catalogi Bibliothecæ theologicæ historico-critici*, *Tomum primum* mole excessura. Nec minus spem lectoribus injecerat, fore, ut *Bibliothecam Historiæ literariæ specialis* in lucem eniteretur, hoc *Tomo* ampliorem. Qua quidem emissâ, lampada hanc suam aliis tradere in animo habebat. Sed destinata hæc utilissima mors egregii Viri interceptit, vel hoc nomine literis, & harum studiosis, luctuosissima. Hanc quasi prælagiens ipse, ita in Præfatione hujus Tomi: *Quæ restat, brevis vitæ summa, spem vetat inchoare longam, aut de Catalogo critico Historiæ ecclesiasticæ, civilis, & naturalis, Philosophiæ etiam & Philologia, cogitare*. Exorditur ipse hunc *Tomum a Catalogis librorum MStorum Angliæ & Hiberniæ, in unum collectis*, Oxonii A. 1697 fol. emissis, quod est opus arduum, ab *Eduardo Bernharðo*, Professore Oxoniensis Academiæ, cœptum, at coronide
- Pag. 2. haud insignitum. Desuere collectoribus operis nonnulli Cantabrigientiæ Academiæ Catalogi, desuere Catalogi Bibliothecæ Regiæ Westmonasteriensis, desuere alia momenta. *Catalogum librorum MStorum Bibliothecæ Cottonianæ*, A. 1696 Oxonii fol.
3. editum, celebrat nomine raritatis & molis insignis MStorum, ad illustrandas Britannicas antiquitates spectantium, nec non duorum triumve Codicum causa, qui antiquitate excellunt. Græcus certe ille, qui *Genesim* complectitur, judice *Frontone Ducao* vincit Codices consimiles universos totius Christianorum orbis.
7. De *Bibliothecæ Uffenbachianæ MStæ* præstantia egregie commentatur Auctor. De *Lexico historico universali*, quod *Jo. Franc. Buddeus* adornare cœpit A. 1709, repetit Ill. *Johannis Petri de Ludewig* judicium ex Præfatione, quam hic præmisit *Lexico universali Zedleriano*, falsus tamen, in editione altera, A. 1722 curata, medicinam plerisque libri morbis
9. fuisse allatam, licet *Zedleriano Lexico Lexicorum*, nescimus, quo jure, deferat principatum. Ad mentionem *Bibliothecæ orientalis Herbetotianæ* adjungit plurima memoratu non indigna, quibus navi ejus solide recensentur.
11. De *Lexico P. Bæij* judicat sincere in utramque partem, pretiumque ponit
17. libris,

libris, a *Balio* conscriptis, satis diversum, miratus tandem, qui fieri potuerit, ut tantam nominis sui famam vir ille sibi potuerit parare, qui in linguis exoticis plane hospes, in Græca autem & Latina non nisi mediocriter versatus fuerit, in sola excellens Gallica. Qui vero norunt, hebescere plerumque vires judicii ex linguis multis addiscendo tractatis, si existimant, *Balii* ingenium judiciumque in hac linguarum penuria mansisse eo opulentiùs, viribusque, non dissipatis, instructius. Operæ pretium fuerit, nosse cum Autore momenta & nœvos *Pandectarum Brandenburgicarum Christophori Hendreichii*, Berolini A. 1699 editarum. De *Conradi Gesneri Bibliotheca* pronuntiat sincere, primas tribuens *Libro Pandectarum Gesneri decimo quarto*, qui *de naturali Philosophia* est inscriptus. In *Nicolai Antonii, Hispanensis, Bibliotheca Hispana veteri & nova*, quarum illa A. 1696, hæc A. 1672, Romæ in lucem exiit, sic sentit, ut antiquam præferat novæ, diligentius quippe conscriptam, ut ostendat, *Michaelis Serveti* ac aliorum nomina inibi omiſſa esse; ac ut indicet, integram *Antonii Bibliothecam Hispano-Rabbinicam* vel deperditam esse, vel inter blattas tineasque adhuc neglectam jacere. De *Joannis Balei Catalogo Scriptorum illustrium majoris Britannicæ*, aliisque operibus rarioribus, ita exponit, ut hæredibus suis damnum illaturus haud esse videatur. In *Michaelis Hertzii Bibliotheca Germanica* formam laudat, materiæ paupertatem & lacunas notat. Ex *Bernardi de Montfaucon Paleographia Græca*, Parisiis A. 1708 edita, rariora apponit, id veritati minus esse consonum, addens, quod Hebræi olim caractere Samaritano usi fuerint. Omnino videntur nobis hic argumenta agentia revincere illa, quæ Autoris a partibus stare novimus. *Paulum Jovium* Mediceis fuisse addictiorem, ac passim in viros probos acerbio- rem, Autor haud dissimulat. *Fuggerorum* merita in rem literariam jure prædicat suo pag. 41. Rarius est opus: *Contratsehe der Herren Fugger und Frauen Fuggerin, welche in diesem Geschlechte geboren worden, oder zu demselben sich ehelich verpflichtet haben*, Augspurg, 1620, fol. Nobis vero divinare vix licet, quo jure hic liber ad Scriptores Historiæ literariæ

Pag. 19

27.

24.

28

30

32.

34.

38.

40.

temate decimo Theatrum Vincentii Placcii accessionibus plus quam centum locupletari posse. Ostendit, in *Bibliotheca Apostolica Vaticana, a Fr. Angelo Roccha Commentario illustrata*, Roma A. 1591, 4, edita, non nisi ædificium, quo Bibliotheca continetur, describi; nec intermittere librum a raritate commendare. Significat porro, in manibus suis esse *Catalogum librorum MStorum, qui in Bibliotheca illustris Academiae Julise asservantur, manuscriptum & ineditum*. In *Thomæ Popeblount Censura celebriorum Autorum* idem obelo multa credit esse consigenda. Thomas enim ille elogia loco judiciorum attulit, homonymos hinc inde non discrevit, epochasque virorum eruditorum tradidit minus accurate, sublesta subinde in excitandis scriptorum locis fide usus. In *Tobias Magiri Eponymologico critico*, cura Eybenii A. 1687 in Viadrina edito, novos notat haud unos. Prædicat numerum & excellentiam MStorum orientalium, quibus Bibliotheca eminet Lugdunensis. *Thomæ Jamesii Catalogum universalem librorum Bibliothecæ Bodlejane* multorum incommodorum acculat & convincit. *Joach. Ernesti Bergeri Diatriben de libris rarioribus, horumque notis diagnosticis*, Berolini A. 1729 editam, nonnullis obelis tentat, tragulisque emissis subjungit meliores & copiosiores raritatis librorum notas characteristicas. Id vero a nobis impetrare haud possumus, ut credamus, omnes Paraphrasés Chaldaicas, seorsim editas, sine versionibus, vel cum versionibus, esse raras. In *Historia Bibliothecæ Fabriciana*, a Jo. Fabricio scripta, requirit duo: unum, quod ad classes materiarum in ea Autor haud respexit; alterum, quod inter legendum plura ad libros notavit, quæ non semper majoris sunt pretii, nihilo minus tamen in hanc Bibliothecam transfusa. *Museum historicum & physicum Jo. Imperialis*, Venetiis A. 1640 editum, a raritate commendat. In *Joannis Jobstii, Hollati, de Scriptoribus Historiæ philosophicæ Syntagmate* idem desiderat nonnihil, idque cum primis, quod ille a rei cardine passim divertit, & homonymos nonnunquam confudit. At & Noster transiliit subinde septa. Dum enim Historiæ literariæ generalis scriptores erat recensurus, continere sese debuisset a *Chroniis* recensendis, a descriptionibus ædifi-

Pag. 86.

89.

91.

95.

96.

102.

104.


107.

110.


113.

- ciorum, a scriptoribus Historiæ philosophicæ, mathematicæ, juridicæ, &c. Id vero ad specialissimam referendum est Historiam literariam, quod *Hermanni Conringii Commentarius de Scriptoribus XVI post C. N. Seculorum, A. 1637 dictatus*, cum Viro Ill. *J. W. de Gabel* communicatus, ad domini limina haud rediit. Quid hoc sit rei, omnium optime Ill. *Gabelius* perspectum habebit. *Jo. Georgii Schielen Bibliothecam enucleatam* merito Autor acriori sale perfricuit. *Hispania Bibliothecam, Tomis III distinctam, Francofurti A. 1608, 4*, edidit sub *A. S. Peregrini* nomine *Andreas Schottus*, Jesuita Antwerpensis, in genere quidem suo primam, at alienis adscititiisque metallis onustam. In *Valerii Andreae Bibliotheca Belgica* id censura credit Autor dignum, quod scriptor eos, qui ecclesiæ Pontificiæ haud dederunt nomen, ex catalogo hoc suo voluit exesse, quod sigillavit *Andream Gerb. Hyperium, Danielem Heinsum, & Emanuelem Meteranum*, quod *Hugonem Grotium* plerisque ecclesiæ Romanæ dogmatibus addictum tradit, quod *Carolus M. & Eginbardum* scriptoribus Belgicis annumerat, quod in vita & actis literariis *Cornelii Jansenii* sic gerit, ut apud Anti-Jansenistas in suspensionem orthodoxiæ laxioris venerit. Quare *Imaginibus Musei Joviani*, quæ sunt virorum bellica laude illustrium, locum Autor fecerit in Historia literaria generali, nobis est obscurum. *Davidis Czwittingeri Hungariae literata* genuinum pretium deputat. In *Thuano enucleato* enucleando est sedulus & curiosus. In *Henningii Witte Diario biographico* faculas maculasque sollicitè animadvertit.
119. *Richardii a Buri Philobiblion*, A. 1344 circiter scriptum, ipse possidet manu exaratum, aptum omissis supplendis, superfluis resecandis, & mendosis tollendis, quod utinam consuluisset B. *Joannes Andreas Schmidius*. Possidemus & nos manuscriptum codicem *Christophori Babmeri de Bibliothecis*, editione profecto dignissimum. Ad *Hermanni Conringii Dissertationes de Antiquitatibus Academicis* mentio fieri poterat novæ editionis *Heumanniana*. Autor scite memorat, *Jo. Froisfardi Historiam sui temporis* jussu aulæ regis Gallicæ maximam partem truncatam in dias luminis auras exiisse, & integrum manuscriptum

- nuscriptum in Bibliotheca Elisabethana Vratislaviensi latere. Idem merito *Jo. Georgii Walcbii Exercitationem de Gymnasiis literariis veterum Romanorum* collaudat. Inclementius pronuntiat de *B. Cornelii Diterici Koebii Programmate*, quo, *solum Dnum esse sapientem*, docuit. Ephemeridum literariorum indicat abulum. *Segerum*, Lycei Wittebergenfis Rectorem, pronuntiat immunem ab illa ambitione, quam ipsi attribuit *Joannes Burchardus Menckenius* in *Charlataneria eruditorum* pag. 15. Ad inutilia refert, certe supervacanea, *Lenzii* libellum de *Professoribus natione Francis, qui Wittenbergam illustrarunt*, *Matthie* item *Schræderi Misanthropiam, Misogyniam, & Misocosmiam, literatorum*, & *Hermannii Friderici Zollii* libellum de eo, quod *divinum est in Historia literaria*, *Rintelii* A. 1731 emissum. *C. A. Heumannii* scripta ubique laudat, ratus tamen, immerito ab hoc Grammaticen plebejæ latinitatis desideratam fuisse. Ad *Garmani Dissertationes duas de Sapientia Ægyptiorum* ita commentatur: *Et juvabit fortasse hisce tentaminibus Garmani Academicis addidisse nostras Antiquitates literarias Ægyptiacas, qua Systemati nostro Antiquitatis literariae accesserunt, & a C. A. Heumanno & aliis laudata sunt, ubi omnes, qui de rebus Ægyptiacis scripserunt, antiquos, medios, & recentiores, enumeravimus.* *C. G. Schwartzii* Exercitationes omnes demorfos sapere ungues, recte judicat Autor. Laudat *G. Clem. Draudii* libellum de *Clepsydris veterum*, *Gissæ* A. 1732 editum. In *M. G. S. Groenii Meletemate de Theologis Græcorum* multa desiderat. Laudibus justissimis prosequitur *C. G. Schwartzii* quinque Dissertationes de *Ornamentis librorum apud veteres usitatis*. Hunc & *Christophorum Cellarium* concinnando Syntagmati antiquitatis literariæ, quod desideramus adhuc, pares judicat. In *C. G. Barthii* Dissertatione de *Recitatione & retrastatione veterum* ordinem & supellestem requirit. Plura minatum, pauciora præstitisse, judicat *M. Jo. Heldium* in libro de *Judaorum Synagogis & Scholis*, *Norimbergæ* A. 1664 edito. *M. Valentinus Friderici* in Dissertatione de *Titulis doctorum Judaicorum*, *Lipsiæ* A. 1692 edita, *Attingii* nomen



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1743

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 613 L 4⁰

- nomen strenue suppressit, e cujus *Historia Academiarum Ebraicarum* sua per modum plagii transcripisse perhibetur. Studiosorum in Academiis statum deplorat pag. 187. *Friderici Luca Europæum Heliconem*, in quo Autor omnium scholarum historiam, ab orbe condito deductam, describere tentavit, Pag. 190. Noster merito imperfectionum & nævorum arguit, substituta sciagraphia pleniori. Sed utinam ea a quoquam copiose elaborata esset! In *Jo. Georgio Eccardo* requirit dictionis castitatem, damnans hac occasione phrasin *vilitigare adversus aliquem*. Cel. *J. L. Bünemannum*, Gymnasilii Hannoverani Directorem, tradit *Bibliotheca selecta esse instructum*, alibi vero, velut sui oblitus, innumerabili librorum mole laborare, scribit. Omnia opera *Jo. Launoji* esse rara, credit, indubie ignorans, recentissimam eorum & plenam extare editionem. Accuratum dicendi genus requirimus in Autoris hac periodo pag. 205: *Scientia augurandi & futura præcognoscendi cupidus, que, nescio quomodo, plevisque mentibus hominum inheret*. Judicium *D. Polycarpi Lyseri* de se ipso est singulare pag. 206. *Wolfgangus Heiderus* credidit, convicium, a *leporis* nomine deductum, 208. fluxisse ex *Erhardi Schnepfii* oratione læcra, de *Elisæo & Gebasi* habita; vulpeculas vero scholasticas dici a Conrectore Gothano, Professione Academica Jenensii ornato, qui fuetit timidiusculus, & pallium gestaverit, pelle vulpina suffultum. 209. Rariores sunt *66 selectiores Philippi Melanchthonis ad Fridericum Myconium Epistole*, a *M. Cyriaco Schnegassa*, *Myconii* progenero, editæ Jenæ A. 1596, 4. *Saalbachii Dissertationem de Libris veterum* Autor circumrodit dente acutiori, eo quod nævis & peccatillis nullis careat. A *Joanne Caselio* Politicam & Jurisprudentiam limitibus accuratis distinctam esse, judicat. Cum ad *J. B. Menckenii* Dissertationem accedit, cui præfixus est index: *de Viris militia æque ac scriptis illustribus*, 217. subjungit hoc judicium: *Hoc scimus, non omnes thyrsiferos esse Bacchos, nec omnes, in hac Diatribe descriptos, fuisse heroas & militia claros, licet stipendia fecerint, & turba militum inmixti fuerint ad breve temporis spatiolum*. Tum progreditur Autor ad *Menckenii* ejusdem *Dissertationem de Græcarum & Latini-*

Latinarum literarum in Misnia restauratoribus, adjiciens monitum: *Quid? si Isagogen in Historiam literariam Misnensem appellaveris?* Scilicet majores nostri non semper præcones fuerunt laudum *Reimannianarum*, ignari forte *Commentatiunculæ* notissimæ, de *Claris Reimannis* inscriptæ. *Lucam Schræckium* & *G. H. Welfsbium* Autor merito inter Polyhistoras collocat. Juvat perlustrare opuscula, Historiæ literariæ dicata, in quibus posterior elucubrandis fuit occupatus, at deploranda morte interceptus. *Michaelis Neandri* libellum, *Menschen-Spiegel*, vocat *perrarum*. Per libros, *πρεγες* complexos, *Act. XIX, 19*, credit designari eos, quibus perscriptæ fuerint plures male sanæ artes, præcipue *Magia*, tum quia, quæ antecedunt, hoc non obscure doceant, tum quia ex *Epistola Pauli ad Ephesios* & *Autoribus profanis* constat, *Ephesios* *Magia* præ ceteris fuisse devotos. *Hattonem II*, Archiepiscopum Moguntinum, a muribus corrosum interiisse, merito cum *Serrario* ac *Lilienthalio* negavit. *Henr. Leonh. Schurtzsch* *Notitiam Bibliothecæ Principalis Vinariensis* continere pauca de ea Bibliotheca, nec de *MStis* quidquam expositum dare, ex jure judicat. De librorum raritate, ejusque causis, colestanea sibi in promptu esse, manum ultimam expectantia, prædicat. *Hildeshemium* esse *silvæ domicilium*, Druidum quasi more inchoatum, liceat inficiari. *Hildesia* enim olim haud dicta fuit *Hilleshemium*, sed *Hildenesheim*, *Hildineshuym*, testibus Sigillis ac Diplomatum. Nomen ex *Hildone*, vel *Hilduino*, incola primo, exortum. Abbatem quendam *S. Michaelis Hildeneshemensem* loco Græcæ Latinæve allocutionis in concilio nomina præfecturarum *Hildineshemensium* recitasse, Autor cum *Adamo Rechenbergio* existimat. Rem ipsam vero diluit ac refellit *P. Magnoaldus Ziegelbauer P. I novi rei literariæ Ordinis S. Benedicti Conspectus*. *Pauli Colomesii* virtutes literarias & labeculas candide percenset Autor. Nævi sunt, ipsum in religione fuisse eclecticum, Theologis omnibus tacite infestum, narratiunculis *Isaaci Vossii* credulum nimis, in *Erasmo* plus æquo propensum. Adde, notas criticas ejus in *Nov. Test.* esse justo liberiores, & integritati sacri Codicis

Pag. 218.

219.

221.

225.

228.

adver-

- adversas. Convivia Academica Professorum, a *Jodoco Willibio* condita, e quibus superest formula loquendi *ein Krantzen machen*, Autor admodum Rev. eleganter & jucunde describit. Historiam vocabulorum linguæ Latinæ sexcentis accessionibus & emendationibus MStis illustravit. Elaboravit præterea Introductionem in historiam vocabulorum linguæ Græcæ,
239. in *duas Partes* divisam, quarum *prior* continet genealogiam vocabulorum Græcorum ante C. N., *posterior* eandem a C. N. Opus hoc MStum priori illo vastius esse, Autor docet. Latet id in penetralibus Minervæ, cujus utinam cancellos percurrat! Originem artium athleticarum ex *Homeri Il. XXIII* optime addisci posse, monet, ad Ægyptios vel *Lycurgi* ætatem haud referendam. Sed quid athletica, ludi Olympici, incubatio in fauis Deorum, medicinæ causâ olim facta, Dæmones, Areopagus, incubus, & alia, ad Historiam literariam conferant, nobis est obscurum. Id sua perspicuitate fulget, *Zacharie Græpii Theologiam Sinensem* mutilam esse & mancam. Versus, hinc inde dispersi, ad ingenium Autoris sæpenumero redeunt, siquidem haud meminimus Poetam, qui posuerit vocem *tuerentur* syllaba secunda correpta, uti pag. 251 factum. *Gebhardi Theodori Meieri Monumenta Julia* sunt utique titulo
254. & nomine hoc indigna. Omittuntur enim inibi Professores Medici, Philosophi, & Philologi omnes, scripta pleraque & concertationes Theologorum ac Jctorum. Requirit Autor & desiderat Compendium Theologiæ moralis, e scriptis *Lutheri* concinnatum. Id vero haud intelligimus, qui fieri potuerit, ut laudatissimus Autor ad *G. G. Zeltneri* nomen hæc potuerit adscribere: *Autor, qui superest adhuc, & exornat ætatis nostræ gloriam*, nisi forte hæc scripserit ante aliquot annos. Ut ita suspicemur, coguat nos ea, quæ de sese pag. 259 prædicat: *Docemus nosmet, annum 71 ætatis fere egressi*. In *Krebsii* Dissertatione de *Stilo Lactantii Firmiani* desiderat concordiam & mutuam dictorum habitudinem. Stilum *Lactantii* Ciceronianum *Krebsius* dixerat, quantum scilicet ad periodicam attinet structuram, addens, a *Lactantio* inusitatum verbum quasi scopulum evitari, cum tamen ipse plaustrum alibi inusitatarum
- VOCUM

vocum e *Lactantio* congefferit. At non habemus fingula veterum *Ciceronis*que scripta Latina. Inuſitatae ſunt voces illae reſpectu ſcriptorum, quae ſuperſunt, non eorum, quae olim exiſtiterunt. *Guilielmi Budaei Annales Halberſtadenſes* MStos ineditosque laudat Autor magnopere, & a raritate commendat. *Petrum Lotichium ſecundum*, ad tempus equitem ſtipendia fa- Pag. 270.
cientem, in elegia *de obſidione urbis Magdeburgenſis* haud pra-
dixiſſe *Tillianam* obſidionem, ſed repetiviſſe *Mauritianam*, A. 277.
1550 tentatam, ſolide oſtendit. Quae C. D. Kochius de *Ari-* 280.
ſtotele in numo aureo expoſuit, ea putat *meros eſſe luſus*
ingenii. Immoderatus eſt iudicium de Viri S. Rev. *Romani*
Telleri Diatribe, qua agitur *de exiſtimatione Philoſopherum gen-*
tilium, inprimis *Ariſtotelis*, apud *Chriſtianos*. *Apollonium*
Tyanæum fuiſſe *Spinoziſtam*, docet. De notitia linguæ Græco-
barbaræ in Germaniam introducta ſolide ſuccincteque commen- 287.
tatur. *Jo. Majoris* de *Tilemanno Heſbuſio* querelas, & ſuſſragia
J. J. Struvii aduerſus hæc *Acta A. 1726 Menſ. Mart. pag. 129*, af-
fert & tuerur. *Philippi Melanchthonis* laudes vindicatum it con- 301.
tra *Joannis Affelmanni* libellum, *de Philippiſmo fugienſis* inſcri-
ptum. Merita certe *Philippi* ſunt tam eximia, ut id quod
humana imbecillitas & nimia ſub ſinem vitæ moderatio ſibi ju-
ris arrogavit, eis ſit liberaliter condonandum. *Davidem Chy-*
traum contra *Affelmannum* Cryptocalvinismi pronuntiat inſon- 303.
tem. Ad *Jo. Franc. Buddei* *Sapientiam veterum* adjungit lo-
cum egregium ex *Seneca Epist. 95*, & hoc præterea iudicium:
Dicta ſeptem Sapientum non omnia collegit, verum nonnulla tan- 306.
tum, nec optima ſemper ex iis attulit, ſed obvia ſapenumero,
& philoſophica luce conſperſit quidem, non autem hiſtorica, non
critica, hoc eſt, non dixit, qua occasione prolata ſunt, & quae
& quantæ in iis reperiantur diverſæ leſiones. Credit, exſti- 308.
tiſſe non duos tantum *Senecas*, ſed omnino tres, unum Phi-
loſophum, alterum Oratorem, tertium Poetam. *Compara-*
tionem Cardinalium Richelii & Mazarini Autor tribuit C. S.
Seburtzſleiſchio. *Buddeum* vocat *virum felicitis cerebri,* 316.
& varia eruditione conſpicuum. Singularia ſunt hæc duo Au-
toris pronuntia: 1) apodicticam certitudinem ex ſola rei
defini-

- definitione procedere, non ex hypothesi, cum tamen arithmetica apodixis nostra pendeat ex hypothesibus libere assumptis, & apodixis sit veritati & absolutæ & contingenti communis; 2) principium socialitatis, ac reliqua omnia juris naturæ principia, ultimis his temporibus pro eis venditata, æque esse lubricum. Videtur hic Autor spuisse ultra vires. *Conradium Halberladensem* significat etiam reliquisse *tripartitum morale*
- Fig. 317. MStum. *Cellarium* inter & *Schurtzleischium* nullas invidiæ obrectationes intercessisse, Autori vix accedimus, lectis *Schurtzleischii* literis de fabro Smalcaldienti nonnihil edocui.
328. *Joannem Damascenum* Scholasticis esse aggregandum, negat. Res ipsa logomachiam sapit. De methodo docendi sic Noster: *Nos sane diuturna experientia didicimus, methodum catecheticaam optimam esse, si velis discentes augere linguis & artibus; paradigmaticam optimam, si bonis moribus.* Litteram *J. H. Bæleri & C. S. Schurtzleischii Sarcasmianam* leviter attingit. Mirum sane, ipsi videri dubium, cæcum posse de coloribus judicare, cum exempla sint in promptu, exceptione omni majora. Ipse Ven. *Jo. Laur. Mosheimii* iudicium fastidit, quod hic de primis Christianis, suppositorum librorum architectis, fraudumque piarum magistris, tulerat in *Diff. de Causis suppositorum librorum inter Christianos Sec. I & II.* In eodem *Mosheimio* notat audaciorem expositionem, qua hic *omnia mundi regna*, a satana Christo ostensa, credidit comprehensa esse unica Procuratoris Romani gloria, e monte templi demonstrata. Obiter indicamus, Autorem ad *B. Joannis Christophori Wolfii Bibliothecam Hebraam* nonnihil accessionum contulisse. Nec ea dimittimus intacta, quæ ad historiam horum *Actorum* solide fuit commentatus. Quod vero *Systema Systematum theologicorum, Judaicorum, Ethnicorum, Muhammedanorum, Christianorum, Atbeisticorum quoque plurimorum*, diligentissime elaboratum procul dubio, huc usque intra penetralia Vestæ asservayerit, merito dolemus, siquidem, utilitatem inde publicam usquequaque diffusum iri, facile prevedimus. Nunc autem illud etiam dolemus, nobis haud reliquum esse plura decerpenti spatium. Eo tamen solatio nos demulcemus

mulcemus ac reficimus, quo spem concipimus, fore, ut nemo literatorum libro tam ingenue aperteque scripto, recensione librorum tam accurata plerumque, quam a tritis notissimisque judiciis disjuncta, compendio e libris passim raris per annos multos collecto, & anecdotis hinc inde insertis, carere se posse jactet. Bibliothecas, Catalogos, Lexica, scripta in *ana*, & quicquid ad Historiam literariam exornandam facere potest, hic recludi ac referari, dubitabit nemo, qui librum perfundiorie modo inspexit. Et, quod erat primum, & in ore cause ponendum, Autor hic in ea versatur officina, in qua est peritissimus, oculatissimus, exercitatorissimus, ubi *Phidiam* agere, & *Praxitelis* menturam implere, potest. Parcius notavimus in equore vasto nonnihil bullularum. At ea, que vi-
 lioris apparent metalli, in hac fodina ditissima sunt tam rara & tam pauca, ut illa a splendore auri argenti que penitus occultentur. Suspiciamur facile, duce historia arcana, subesse rationes occultas, e vita superiori eruendas, cur Autor de scriptis *Cornelii Diderici Kochii*, *M. J. J. Lassi*, Rostochiensium plerorumque, *Joaannis Francisci Buddei*, minus elementer videatur judicasse; de libris vero *Petri Adolphi Boyssii* aliorumque fastigia tulerit longe exoptatissima. Quid de incendio illo sentiamus, quo ipse conqueritur partem Bibliothecae suae conflasse, hic aperire nolumus, subjecturi pauca de MSis, quibus effulget Bibliotheca *Reimmanniana*. In illa Israelim & partim enumerata: *Libellus Indico-Matabaricus, folia nonnulla* Pag. 700.
Sinica, Epistole tres Arabice, duo folia ex Codicibus, ad mare
Caspium A. 1722 a Russica gente inventis, pagillares decem- 787.
plices cerei, Anonymi descriptio orbis terrarum, Anonymi hi-
storia de Alexandro magno, Itinerarium terre sanctae, Joannis 704.
de Ploto Karpem historia de gente Tartarorum, S. Brigittae re-
velationum celestium Libri VII, Epistola Alphonsi Evome de
cis, Vita Brigittae, &c. Non licet praetermittere Lactantii Li- 807.
bros MSos tres, e quibus Cel. Jo. Ludolphus Binemannus edi-
tionem Lactantii accuravit, sesquicenturiam Epistolarum, a Cassp.
Pucero scriptarum, Theologiae Bohemicae delineationem, Codicem
membranaceum, res Dominici, Praedicatorum parentis, con-
tinentem,

inentem, alium, nonnulla *Ciceronis* complexum, Codicem MSrum Arabicum, eleganter exaratum, & in Oriente compactum, &c. *Seatii Thebais* MSta cimeliis est annumeranda. *Philippi Imperatoris Acta* continent ea, quæ frustra alibi requiras, consignata literis ab eo, qui rebus ipsis interfuit. Manuscriptorum designationi subjungitur series Numerorum, inter quos commemorabiles nobis videntur 32 illi bracteati Hildesenses, referentes Episcoporum Hildesensium iconas ad A. 1130 usque ad A. 1310, a Cl. *Seelendero* editi ac descripti. Index personarum unus, & rerum alter, diligentiam vix ispirant mediocrem.

AQUILONALES MARCHIONES ELECTORES

Brandenburgici documentorum autoritate asserti
a JO. LUDOV. LEV. GEBHARDI.

Lipsiæ, apud Jo. Christian. Langenhemium, 1742, 4.

Alph. 1 plag. 3.

Quanta sit ingenii acies, laboris invicti patientia, & judicii vis, in Cel. Autore, id jam dudum variis historicis ac genealogicis operibus, in lucem publicam emissis, declaravit ipse reddiditque testatum. Marchionum Brandenburgicorum initia huc usque in abdito fere latuerunt, disceptationibusque recentiorum magis intricata, quam enodata, fuere. Succurrit hisce diffusionibus tollendis opportune & mature aptissimus tolerantissimusque moderator, quem haud piguit versasse & evolvisse monumenta vetera, Diplomata, scriptores, e quibus ad hoc institutum illustrandum, ac veritatem genealogicam confirmandam, aliquid lucis hauriri atque derivari potest. Orditur ipse telam a *Bernhardo I*, filio *Dieterici*, nepote *Ezerili*, Principis nobilis, Seculo IX florentis, quem *Henricus Auceps* provinciæ Redariorum præfecit A. 927. *Tabulam* itaque primam genealogicam addixit posteris hujus *Bernhardi*, intra quos ab A. 983 usque ad A. 1009 duo Comites Waldbeccenses Marchionatum tenuerunt Brandeburgicum. *Tabula secunda* exhibet Comites Waldbeccenses, e quorum numero claruerunt Marchiones *Lotharius & Wernerus*. *Tabula tertia* suppeditat Comites Staden-

tes,

ses, e quibus *Ludgerus, Udo I, Udo II, Henricus I, Udo III, Ludgerus, Rudolphus I, Henricus II, Udo IV, & Rudolphus II*, illustres fuerunt Marchiones Saxoniae septentrionalis. *Tabula quarta* Comitibus Ploecensibus est propria, inter quos emi-
 nuerunt *Helpericus & Conradus*, Marchiones. Tum vero Marchionatus cessit Comitibus Anhaltinis, quos *Tabula quinta & sexta* complectitur. *Tabula septima* repraesentat Electores Brandenburgicos, ex Bavaris ac Bohemis deducendos, qui Saeculo XIV floruerunt. Anno tandem 1412 *Sigismundus*, Marchio & Elector, immo Imperator, *Fridericum* Burggrafium Noribergensem constituit, Electorem & Marchionem Brandenburgicum. Et in hoc quidem anno Cel. Autor subsistit. Subjicit tandem documentis ac expositionibus genealogicis laterculum rerum Marchicarum chronologicum, ab A. 927 ad 1412 perductum, quo eventus Marchiae potiores recensentur. Adjungitur tandem haec catalogus Scriptorum. In fronte libri offert sese conspectui lectoris Tabella geographica, quae provinciam Redariorum ac confinia repraesentat. Haec est libri summa, hoc illius est argumentum. Delibabimus jam ex hoc peramplio & jucundissimo viridario paucula, floresque, inde decerptos, nonnullos communicabimus cum Lectore. De Marchionibus Brandenburgi exposuit Autor ita, ut monuerit, Marchiam aquilonalem trahere ex *Henrico Aucupe* origines, initia Marchiae Brandenburgicae *Alberto Urso* deberi. Marchia vero omnis Brandenburgica divisa est in partes quinque, veterem, a Saxonibus olim incultam, & reliquas quatuor, quas Venedi, seu Slavi, habitaverunt. Varii exstiterunt Venedi, varioque regnandi genere usi sunt. Prignitiam Marchiam tenuere Brizani, Havelandiam mediamve Marchiam possederunt Hevelli, Stoderani, & Wilini, Uckeranum Ueri, Marchiam novam Lebusii & Sidini. Hi non uno impetu, sed pedetentim, sub imperia Marchionum coacti fuerunt. Redarii a *Rothre*, seu *Radegast*, fuerunt dicti. *Aruseo* *Adhelmi* nunc dicitur *Arendsee* ad lacum cognominem. *Lunckini* locus, ad quem Slavi ab *Henrico Aucupe* fuerunt superati, est oppidum *Lenzen* in Prignitia ad Albim. Marchiones Lusaticae, Orientales dicti, Saeculo X adhuc partem illius Marchiae,

Pag. 2.

7. quam vocamus Brandenburgicam, tenuerunt. Nec tamen *Gero* existit provincia Brandenburgica Marchio. *Bonno* seu *Bernhardus II*, *Bernardi I* filius, nititur testimonio Anonymi in *Chronico Linc. Burgico*. *Otto I* Imperator omnino domuit Slavos per *Bernardum*, teste *Adamo Bremenfi II. L. II. c.* Anonymus *Bernardo II* tribuit filium *Theodericum*, Marchionem, qui fide in eundem *Ottone* constanti praefecturam provinciae Redariorum meruit. Annalista Saxo eum appellavit *Theodericum Praesidem* ad A. 955. *Ducem* appellavit ipsum *Otto M.* in Diplomate apud *Wittekindum Lib. III pag. 66*. *Theoderico* in odia Imperatoris ac procerum prolapsus, *Lotharius Wildbeccensis*, Comes, Duci ac Marchioni illi successit, teste Annalista Saxone ad A. 983. Suspicatus fuit *N. H. Gundlingius*, *Theodericum* posthac ad Belgas ivisse, ibique Gandavensem & Hollandiae provinciam regere. At *Adamus Bremenfis* & *Helmutus* referunt, ipsam Magdeburgi in Episcopio obtulisse privatum. Nec tamen negit Noller, gravia esse illa argumenta, quibus persuadeamur, Comites Hollandiae ex genere Billungico traxisse ortum. Alibi itaque ostendet, Comites Hollandiae ad *Theodericum*, *Wigmanni* filium, *Hildegardis* maritum, esse referendos. Ex *Theoderico* progeniti fuerunt filii duo ac filiae quatuor, nempe *Bernhardus III*, post *Wernorum* Waldbeccensem Marchio septentrionalis A. 1118, *Luitolfus*, vitae sacerdotali deditus, *Oda*, virgo Calbae Lera, *Misceoni*, Polono, nupta, a Polonis A. 992 egesta, & Quedlinburgi de novo velum amplexa, *Othelbildis*, Quedlinburgica virgo votiva, *Thietberga*, conjux *Dedonis*, Mithorum Comitis, ac *Matildis*, quae ex Caenobio in thalamum *Prebistai*, Principis Slavici, transit, ac postea a *Bulbuta*, Slavo, domino Brandeburgi, fuit vitata, obliquoque Abbatissa Magdeburgensis. Ex *Bernardo III* genitus est *Bernhardus IV*, aequae Marchio borealis, patrisque successor, & Comes per Thuringiam septentrionalem. Soror ipsi existit *Thietburgis*, Quedlinburgensis virgo sacra. *Bernardi IV* filius existit *Wilhelmus*, successor in Marchia A. 1051, a Slavis ad Prizwalcum A. 1056 occisus, item *Conradus* Comes, pater *Gertrudis*, nuptae *Friderico*, Comiti Bavaro de *Vohrenbach*, ac dein *Orodulpho*, Saxoniae Duci, matris *Hedewige*, conjugis *Gebhardi*, Supplinburgensis, ex qua *Lotharius* Caesar fuit procreatus. Filiabus *Bernardus IV* gavitus est duabus, *Oda*, *Christiani*, Quersfurtani, Comitis Lutislevensis, conjugae, & *Alverade de Badesloe*. Ex uxore Slavica *Bernardus IV* suscepit *Ottone*, qui, redux ex Bohemia, Marchionatus, immo regni honoribus, inhiavit, ac ad Neindorfium prope Salsicam fluvium a *Brunone*, Brunsvicensi, A. 1057 occisus, vitam posuit. Hisce expositis, Cel. Autor ad Comites Waldbeccenses, qui olim Wolmirstadium & Waldbecam, ubi adhuc collegium Canonicorum floret, tenuerunt, progreditur. Telam orditur a *Lothario I*, Comite Thuringiae septentrionalis, qui, contra Redarios missus, ad Leontium a Slavis trucidatus, occubuit A. 930. Filius ipsi fuit cognominis, fundator

dator ecclesie Waldbeccensis collegiatae, maritus *Mothildis*, & gener *Brunonis*, Comitis Arneburgensis in Marchia veteri, A. 976 defuncti, vel potius A. 977. Ex eodem *Brunone* prodierunt nati *Ricpertus*, Comes primo Arneburgicus, deinde Illeneburgensis, *Emmilda*, sacra virgo *Parthenonis* Quedlinburgici, *Ziuzo*, Clericus, & fortassis *Unno*, Comes. De reliquo Imperator *Otto II* in Diplomate, A. 976 dato, *Liunanem*, Comitem, vocavit *nepotem*, id est, consanguineum, *suum*. Addimus, locum *Summeringe*, ubi *Cero* Comes *de Alvensleben* a *Waldone* captus fuit A. 979, ex latere inter villam *Bavelorpe* & *Kilzdaan* juxta domicilium praefecturae *Jerxen*, testibus turris majoris reliquiis, quas circumvicini vocant *Stammeringe*. *Lothario II* Autor tribuit poteros, *Lotharium*, Marchionem aquilonalem, *Eilam*, conjugem *Berthaldi*, Comitis Amudalensis in Bavaria, qui Coenobium *Saintfurti* fundavit, *Sigefridum*, Comitem Waldbeccensem, maritum *Cunigunde*, ex *Henrico Calvo*, Comite Bradensi, nate, ac *Ditmarum*, Carbejensem Abbatem. Ex *Lothario* procreatus fuit *Wernerus*, Marchio aquilonalis, cui fuit soror *Brigitta*, Magdeburgi Abbatissa. *Sigefridus*, Comitis Waldbeccani, liberi commemorantur *Henricus*, Comes, *Friedericus*, Burggravius Magdeburgensis, *Ditmarus*, Praepositus Waldbeccensis, ac posthac Episcopus Merseburgensis, *Bruno*, Episcopus Verdenensis, *Ola*, uxor *Gozwini de Falkenberg*, & *Wilogijus*, iprius, Praepositus Waldbeccensis. Comitum Stadenfium originem Cel. Autor longius solito petiit, siquidem eos ex *Emla*, *Ludolphi*, Ducis Saxoniae orientalis, filia, cui *Lotharium*, Comitem, ad *Ebstorfium* A. 880 occisum, adjungit maritum, deduxit, *Lotharium* hunc, suspicatur Autor, existisse filium Comitis *Lotharii*, ex quo praeerea *Reginbildis*, *Bernhardo*, Comiti in Northuringia, nupta, fuerit procreata. Ex *Lothario* medio Autor deducit *Lotharium*, proavum *Ditmari* Merseburgensis, qui A. 930 ad *Leontium* Prignitiae gloriosam oppetit mortem. Potissimum hujus inventi genealogici argumentum ita significavit Vir praestantissimus: *Emla progeniem dedit Stadenfem. Qui enim aliter Ditmarus avum suum Henricum Stadenfem dicere potuisset consanguineum Ottonis I, Casuvis? Henrici hujus Calvi uxor fuit Juditha Franconica. Dedit hoc Manibus Judithae Cel. Autor, ut genus ejus integrum Tabula genealogica dederit expressum. Ad Juditham hanc refert Hildegardem, uxorem Bernardi I, Ducis Saxoniae, filiam quippe Henrici Calvi ac Bernardi I, Saxoniae Ducis, Diploma quoddam, adhuc ineditum, publici juris facit. Sigefridum, Comitem Stadenfem, Henrici I filium, Adamus Bremensis II. E. II, 22, appellavit Marchionem. Elogium id falso tribui Sigefrido, ostendit Noster. Gradum consanguinitatis, quae Henricum III, Imperatorem, & Uonem, Marchionem, ex Stadenfibus Comitibus ortum, intercessit, teste Lamberto Schafnaburgensi ad annum 1056, accurate desinivit. Genus Eupracciae, quae Henrico Stadenfi, ac deinde Henrico II, Regi Germaniae, nupsit, mira industria pervestigavit, ac Tabulae genealogicae interventu expressit. Notat namque Annalium Hildenesheimensium ad A. 1089, ubi legitur Marchio de Brandenburg loco Lgberti, Thuringiae Marchionis. Udo III A. 1100 occupavit Brandeburgum. In Diplomate Lotharii Saxonis quo hic Abbatiam*

Pag. 21.

22.

37.

38

40.

43.

44.

47.

49.

58.

68.

batiam

- batiam Aleslæve Archiepiscopo Magdeburgensi, permutato castro Scharzfelde, tradidit, annum infirmo stare talo, Autor solide monstrat. Editum illud jam est in *Scriptoribus B. Menckemii*. Comitatum Stadensem ab
- Pag. 71. *Adalberone*, Archiepiscopo, jam ecclesiæ Bremensi fuisse partum & acquisitum, demonstrat. Anno certe 1221, teste Chronico Riddogeshufano, *Henricus Longus*, *Henrici Leonis* filius, Comitatum Stadensem Ecclesiæ Bremensi tradidit. An consenserint fratres & ii, quorum intererat, an gravioribus testimoniis idem doceri possit, porro est investigandum.
76. *Burhardum*, Comitem Palatinum Saxonix ad A. 1003, fuisse Comitem Conradsburgi ac Merseburgi, *Egononis* filium, *Egononis* junioris patrem, curate ostendit Autor, Comitibusque Ploccensibus eruendis adeo intentus fuit, ut genealogiam eorum admodum ampliaverit. Intexuit opportunè genus ac familiam Comitum Dondersleborum. In Comitibus Ascanix primis solide connectendis nec operæ, nec judicio, pepercit.
78. *Hassonis*, in Hartingau & Franconia Comitum, progeniem ex Vita *Luisburgis* dedit, ostenditque, *Luisburgin* exegisse vitam anachoreticam in spelunca prope Blanckenburgum, ubi postea Cœnobium S. *Michaelis* prope Quedlinburgum ac Blanckenburgum surrexerit. Benedictini Cœnobii *Winthufon* locum ostendit in villa *zum Thal*, sita intra Principatum Blanckenburgicum prope Bodam. *Juannis Georgii Eccardi* initia genealogiæ Ascaniensis revocat ad limam, ac, unum alterumque momentum liberioribus conjecturis deberi, modeste monet. *Huodonis*,
91. Marchionis Orientalis, stemma, licet primordia nitantur suspicionibus, ex fide *Eccardi* representat. Cur Cel. Autor *Henricum*, Saxo-Lauenburgicum, haud curatius in *Tabula V* designare voluerit, quæstio est altioris indaginis. Cur *Ellica*, Ducis Saxonix Magni filia, dicta sit *Marchinnissa*, solícite quærit, probabile tandem existimans, eam sic fuisse dictam, eo quod magnam Marchiæ Orientalis tenuerit partem ex hereditate paterna. *Ellica* fuisse jus in Ducatum Saxonix, ex judicio quidem *Henrici V Regis*, largimur. *Lothario* autem ob aviam firmiora fuisse
103. jura, perspicitur ex Luneburgi, Welficæ genti ab Imperatoribus vindicati, historia, nisi malis, titulum a Luneburgo disjunctum fuisse. Conjecturam, de Ducatu Saxonix Seculo XII agitatam, Autor succincte solideque enodat. Largitur Perill. *Jo. Petro de Ludwig*, *Albertum Ursum* esse fundatorem Ducatus Transalbiani, ac ejus ratione ipsum nec Imperio, nec Duci Saxonix, fuisse obnoxium. Ex *Otonis II*, nepotis, Diplomate uno & altero Ducatus ille omnino luculente apparet. Consonat *Henrici VI Imp.* Diploma. Lebusium A. 1250 a Lignicensi Duce *Boleslao* ad Marchiam Brandeburgicam accessisse translatum, Noster tradit. Suffecerint hæc in præfens loco speciminis. Nemo facile, qui æquus rerum arbiter sedet, negaverit, librum hunc in suo genere aliis excellere & eminere, quantum lenta solent inter viburna cupressi. Conserveret nobis Deus Virum tantum ac talem, a quo Germania nostra illustratur, &, quicquid Principum in ea medio existit ævo, in apicem ex tenebris profertur.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCXLIII.

C. CRISPI SALLUSTII QUÆ EXSTANT, CUM
Notis integris GLAREANI, RIVII, CIACCONII,
URSINI, CARRIONIS, MANUTII, COLERI, C. & A.
POPMAE, PALMERII, PUTSCHII, DOUZA, GRU-
TERI, RUPERTI, GRASWINCKELII, & JOSEPHI
WASSE, atque selectis CASTILIONEI, ZANCIII, JO.
FR. GRONOVII, JANI BROUKHUSII, &c. Accedunt
JULIUS EXSUPERANTIUS & PORCIUS LATRO,
ut & Fragmenta Historicorum, cum Notis integris A.
POPMAE, COLERI, RUPERTI, WASSE, BROUKHU-
SII, &c. cura SIGEBERTI HAVERKAMPI.
Cum Indicibus copiosissimis.

Tomus II.

Amstelædami, apud F. Changuion, J. Catuffe, H. Uytwerf,
 Hagæ Comitum, apud P. Gosse, J. Neaulme, A. Mertjens,
 A. van Dole, Ultrajecti, apud Steph. Neaulme,

1742, 4 maj.

Tomus I Alph. 2 plag. 4, Tom. II Alph. 3 plag. 16.

Qui colligendi studium & laborem *Sigeb. Haverkampii*,
 Viri, cum viveret, industrii & probi, novic, non mi-
 rabitur; quare novam *Crispi Sallustii* editionem paulo
 ante obitum suum nobis excudendam curaverit. Etsi enim
Gottl. Curtius noster in emendando illustrandove hoc Scripto-
 re tam sedulus & diligens fuit, ut nihil propemodum, quod
 ad ipsum *Sallustium*, ejusque Historiarum fragmenta, attinet, ab
 aliis interpretum ingenii addi commode posse videretur; ta-
 men,

Bb

men,

men, nescimus quo autore permotus, Cel. Editor id sibi credidit negotium dari, ut, relictis *Cortii* lucubrationibus, omnes fore aliorum virorum doctorum annotationes coaceraret, quemadmodum id titulus libri, religiose a nobis servatus, demonstrat. Quare vix operæ pretium esse judicarem, plura, quam modo diximus, de libro hoc dicere, cum quod *Wassianam* editionem, utpote archetypam *Haverkampii*, alio loco, more institutoque nostro, abunde descripsimus, tum quod nihil inde novi ad Lectoris utilitatem & commodum peti posse constat, nisi ipsa libri moles, ne in manus vix sumtum deponeremus, jure suo postularet. Distributum est hoc non modicæ magnitudinis volumen in duas Partes, quarum altera *Bellam Catilinariam, & Jugurthinam*, complectitur, altera primo *Prefationes & Dedicaciones* Clarissimorum *Sallustii* interpretum, dein vitam *Sallustii*, a *Crinito, & Jo. Clerico*, adornatam, post *judicia & testimonia de Livio*, tum *Crispi Sallustii Historiarum Fragmenta*, ejusque *Orationes duas ad C. Cesarem*, item *Declamationem in Ciceronem, & Ciceronis in Sallustium*, porro *Julii Exsuperantii Opusculum de Marii Lepidi ac Sertorii bellis civilibus, & Porcii Latronis Declamationem contra Luc. Serg. Catilinam*, adhæc *Fragmenta Historicorum veterum*, denique *Aufonii Popmæ, Frisii, de usu antiquæ locutionis Libros duos*, ad illustrationem præcipue Historicorum veterum aliorumque Scriptorum antiquorum, exhibet, quæ agminæ triplici Indice clauduntur: primo videlicet rerum memorabilium, ex *Thysiana* editione haud dubie descripto; altero dictionum, quem *grammaticum & criticum Haverkampus* vocat, nobis *Wassianum* appellare liceat; tertio Autorum, in Notis illustratorum, quem itidem a *Wassio* profectum esse scimus, a Cel. vero Editore nullibi auctum fuisse, ea de causa miramur, quoniam non huic, sed *Wassianæ* tantum, editioni hoc pacto convenit. Præcipuam *оисновіею* hujus *Sallustii Haverkampiani* enarravimus. Videndum nunc est de ornamentis, quæ huic novæ *еидею* accessere. Pauca sunt certe, amice Lector, quæ tua nosse interest. Interim, quid aliorum virorum industriæ, quid sigillatim *Haverkampio*, debeat *Crispus* noster, quanta poterimus brevitate,

brevitate, exponemus. Non satis habuit doctissimus *Haverkampus* Virorum doctorum Notas, quas *Janus Gruterus*, & post eum *Jos. Wasse* ex *Gruteriana* editione, suis ubique doctis observationibus admixtis, collegit, ut plurimum selectas repetere, sed integris cujuscunque viri Commentariis onerare *Sallustium* placuit, quod utrum via & ratione factum sit, liberum jam nobis non est, excutere. In eo saltem fundi literarii calamitatem querendam esse intelligimus, quod Autorum Græcorum Latinorumve editores, non quid dici subtilius, & ad sensum verbaque Scriptoris accommodatius afferri, possit, sed quo forma & pretio speciosiores libri emittantur, sæpissime curant. Nam, etsi nemo inficietur, interpretum *Sallustii* coryphæos esse, quorum copix hic exhibentur, omnes tamen animadversiones, præsertim si sunt copiosæ, aut nihil, nisi sententiæ diu profligatæ veterem defensionem, præstando, recoqui, nec literarum emtorumque conditio, nec ipsa ratio, patitur. Quis enim antiquiores magnopere concupiscat, si in rebus obscuris vel certiora attulerunt novi interpretes, vel divinandi arte superiorum industriam vicerunt? Sic in multis nemo sectabitur *Wassium*, qui de sententiarum verborumque *Sallustianorum* vi ac potestate acutissime disputantem *Cortium* legit. Ut cunque vero existimentur ea, lætabuntur tamen ii, qui, præter criticas dapes, historica quoque, politica, geographica, antiquaria, & alia id genus notarum beharia, anhelant, universos *Christophori Colevi*, *Theodori Grafwinckelii*, *Christophori Adami Ruperti*, & *Jani Mellerii Palmerii* in *Sallustium* Commentarios suis quosque locis insertos fuisse, quo beneficio certe *Cel.* olim *Haverkampus* omnem conquirendi molestiam opportunè sustulit. Ceterum, ne quis criminetur, alienis tantum plumis hanc novam editionem superbire, is sciat, doctissimum *Haverkampum* ex undecim Codicibus MStis *Leidensis* Bibliothecæ publicæ, item editione Romana omnium antiquissima anni 1470, *Sallustium* diligenter recognovisse, varias MStorum lectiones separato a Notis loco, quemadmodum olim in *Lucretio* fecit, collocavisse, suaque effecisse opera, ut *Jani Broukhusii* non tantum ad *Sallustium* ἑρῶσις, quæ ad oram libri sui alle-

verat vir *κατακτάτος*, lucem viderent, sed nova quoque *Σύλη*
βιβλίου Historiarum Fragmenta, aliaque, ex schedis ejusdem viri
 Tom. II summi prodirent, quæ sola profecto huic editioni non exi-
 pag. 397. guam laudem & decus conciliare videntur.

*JULII PONTEDERÆ ANTIQUITATUM LA-
 tinarum Græcarumque enarrationes atque emendatio-
 nes, præcipue ad veteris anni rationem attinentes, Epi-
 stolis LXVIII comprehensæ, & Tabulis plurimis
 ornatae.*

Patavii, typis Seminarii, apud Joannem Manfre, 1740, 4 maj.

Alph. 3 plag. 10, cum 36 Tabulis Chronologicis, & una
 Tabula ænea.

Posteaquam, librum hunc in Italia prodiisse, cum ex Epheme-
 ridibus, tum aliis id genus literis publicis, didiceramus,
 summa cupiditate videndi legendique eum flagrare cœpimus,
 quæ fecit, ut ejus ad nos perferendi tarditatem difficultatem-
 que non modo impatienter ferremus, sed fati nunc inclemen-
 tiam, nunc libratorum, oculis forte nostris tale opus surripien-
 tium, incuriam, damnares. Sed, quem studia nostra invi-
 tare in has terras nequidquam potuerunt, eum nobis præter
 spem nescimus qui casus obtulit, acceptusque propterea ad nos
 venit, quoniam fati fero. Quare omni contentione confirma-
 re possumus, magno nos ardore velut ex longinqua fame, cum
 ejus nobis facta copia esset, ad librum legendum, tanquam
 ad epulas, accessisse. Utrum opinioni nostræ, quam de ha-
 rum *Epistolarum* præstantia conceperat animus, lectio illarum
 responderit, non necessarium est iis exponere, qui magnum
 certe *Jul. Pontedera* nomen, ejusque in omnes humanitatis li-
 teras merita, ignorare nullo modo possunt. Quis enim a tali
 ingenio aliud quidquam, nisi omnis doctrinæ copias, Latini ser-
 monis facundiam, & in disputando subtilitatem, jure exspectet,
 aut quis speret unquam fore, ut, qui a tenera ætate humanita-
 tem vehementer amavit, & adhuc cum celeberrimis Patavii
 literati Duumviris, *Jac. Facciolato* & *Jo. Bapt. Morgagno*, al-
 tero Oratore disertissimo, altero medicæ artis doctore, literas
 Græcas

Græcas Latinasque cum laude ornat, indignum liberalibus artibus aut incomtam quoddam opus effingere possit? Magni semper orbis eruditus *Patinos, Sponios, Valentes*, fecit, horumque nominum memoria in animis adhuc nostris viget, & pie colitur. Quid mirum ergo, si eodem, vel majori, honore bonus quisque *Jul. Pontederam*, in Patavino Gymnasio Botanicæ Professorum eximium, prosequatur? Quanquam id enim nobis non sumimus, ut, contentione horum virorum facta, uter altero major doctiorque habeatur, definiamus: est enim hæc disputatio neque instituti nostri, neque per se ad veri investigationem satis idonea ratio, cum, quo quis plus studii cogitationisque in ornandis poliendisque literis nostris consumsit, eo alacriores ad extollendum eum cupidioresque simus; nihilo minus tamen, cum sit communis sententia a ratione profecta, & sapientissimorum hominum judicio comprobata, artem, quam quisque novit, non alienis, sed similibus, semper studiis ali sustentarique oportere, eumque multo feliciter operam literis navare constet, qui unam artis disciplinam, quam qui plures simul, amplectitur, verendum nobis profecto non est, ne oratio nostra in reprehensionem cadere possit, si dixerimus, *Jul. Pontederam* illos artis medicæ heroes aliquantum vicisse, quod hi rem antiquariam, per se liberali ingenio dignissimam, naturali tamen scientiæ parum aut nihil profuturam, amaverint, ille vero in rerum naturalium causis cognoscendis operam laudabiliter posuerit. Quid enim ad hæc ejus studia magis videtur accedere, quam ipsius terræ, item herbarum, frugum, arborumque, contemplatio, & solers cultio? Nostra certe sententia haud scimus, an quidquam beatius hac voluptate, & ad corpus hominis tuendum salutaris, esse possit, quam terræ divinitus insitæ virtutis præclara cognitio. Hac autem *Clariss. Pontedera* mirabiliter delectatus est, non ignorans, omnium rerum, quæ a terra generantur, intelligentiam non tantum ad morborum remedia maximam vim habere, sed iis quoque rusticationem prodesse, qui veterum de cultura agri præceptiones, ornate eleganterque scriptas, probabiliter interpretari cupiunt. Si igitur *Cl. Pontedera* a puero agriculturæ

deditus fuit, domique rei rusticæ præceptorem informatorem-
 que patrum *Laur. Pontederam* habuit, eaque imprimis sedu-
 litate hanc ruris disciplinam coluit, ut, quod tempus ab opti-
 mis artibus subducere licebat, vel stirpibus inferendis & pro-
 pagandis, vel vitium culturæ, adjiceret, mirari nos non sinit,
 quare ad ea, quæ a *Catone, Varrone, Columella*, memoriæ prodita
 sunt, illustranda tantum eruditionis, tantamque doctrinarum co-
 piam, attulerit. Ejus ipsius tum in *Rusticos veteres* studii ru-
 mor, nescimus, quo fato, in Germaniam pervenerat, ejusque in-
 primis rei certior factus erat *Thomas Fritschius*, vir non tam
 librariæ artis in Germania, dum viveret, peritissimus, sed ingenio-
 rum quoque subtilis & acer judex, qui jam dudum in animum
 inducens, *Scriptores rei rusticæ* suis sumptibus excudere, un-
 dique opes circumspexit, nihilque vehementius optavit,
 quam ut fidem, olim datam hominibus literatis, demum exsol-
 vere possent. Quanquam enim maturare opus & hortatione &
 argento studuerat, ne hilum tamen contentio ejus profecit,
 cum quod *Cl. Schætzgenius*, cui primum libri perpoliendi cu-
 ram demandavit *Fritschius*, Stargardiam se contulerat, tum
 quod alii spæ & falso gaudio librarium duxerant. Certe, quanta
Rusticorum jam A. 1721 expectatio fuerit, *Celeb. olim Fa-
 bricius* nos docet in *Bibl. Latin. Tom. II pag. 22, novam, in-
 quiens, Catonis & aliorum rei rusticæ Scriptorum veterum La-
 tinorum editionem . . . expectamus jam pridem a Clariss.
 Christ. Schætzgenio*. Interea divinavit haud injuria *Fritschius*,
 magnam apud Lectores gratiam doctissimas Italarum lucubra-
 tiones, & *Cl. Pontederæ* imprimis, si accederent Geoponicis La-
 tinis, animadversiones, habituras esse. Quare ad veterem *Jac.
 Facciolati* amicitiam continuo se applicuit, sive quod putabat,
 a Viro summo honestatem diligentissime coli, sive quod nemi-
 nem illo Transalpinorum rebus faventiosem noverat, ab eoque
 assiduis precibus contendit, ut, qua possent, facundia Doctiss. *Pon-
 tederam*, consiliis tam humani interpretis & pararii haud dubie
 faciles præbiturum aures, ad commodandas sibi opes Rusticas in-
 cenderet. Candide petenti *Fritschio* morem liberaliter gessit *Cl.
 Pontederæ*, sociumque se docti laboris & comitem haud invitum fore

fore testatus est. Igitur prima ejus ad *rustica rei Autores* observata, elegantia & ingenio ipsius dignissima, cum *Jo. Bapt. Morgagni* & *Jac. Pacciolati* eruditissimis copiis, Lipsiam præter spem A. 1723 venerunt, quorum adventu studia *Fritschii* crevere, nemoque dubitavit, quin toties promissi *Scriptores* proxime in dias luminis auras exituri essent. Verum, ut sunt res mortalium, aliter cadere solent, ac provisum est. Quamvis enim horum evulgandorum cura Cel. *Gesnero*, literarum fugientium in Germania præcipuo sospitatori, demandata esset, omnesque boni inde faustum omen caperent, quod virtutis & doctrinæ illius Viri decora noverant, multæ tamen & magnæ difficultates intercesserunt, quibus denuo futura *Rusticorum* editioni mora injecta fuit. Non necessarium est, hoc loco talia pluribus commemorare, quæ Cel. *Gesnerus* candide, ut omnia solet, & eleganter in Præfatione ad *Scriptores R. R.* exposuit; verum, quid in mentem nobis venerit, cum has Clariss. *Pontedera* Epistolas in manus sumeremus, id nostro qualicumque judicio magis attinet Lectorem docere. Ex quo tempore enim Cl. *Pontedera* lucubrationes primas Lipsiam misit, de nova *Rusticorum* editione ipse nobis cogitasse videtur, quod, expectando haud dubie fatigatus, nunquam sperabat fore, ut monumenta illa, per se aurea, sed veteri pulvere sordibusque obsita, detergerentur, atque illustrarentur. Eam ob causam diligentiori cura in *Rusticos* commentari cœpit, deque nobilissimis Autorum veterum lucis tam acute in nostris ad *Andream Maranum*, Virum Clarissimum, Epistolis, tamque copiose, disputavit, ut, messe jam pridem ab ipso facta, non spicilegium accederet, sed nova & ubertate sua valde commendabilis observationum criticarum seges oriretur, quæ sola fundi rustici ornamento sufficere poterat. Accidit autem præter expectationem, ut in enarrandis præcipue anni veteris rationibus occupato tum forte Cl. *Pontedera*, Epistola Cel. *Gesneri* de futura *Scriptorum rei rustica* editione, in *Actis* nostris A. 1732 *Mens. Jun. pag. 295* promulgata, traderetur, qua, post multas varii generis objectas moras, *Scriptores* demum a se extrema manu politos, typis Lipsiensibus proxime excusum iri, Vir magnus significaverat. Hoc nuncio perturbatus,

turbatus, quod in re dubia consilium caperet, Cl. *Pontedera* animi pependit, quemadmodum id abunde intelligitur ex ejus Epistola ad *Jo. Martb. Gesnerum*, Virum Cel., data, quæ exstat *T. II Script. R. R. pag. 1281*. Multa enim in promptu habebat Cl. *Pontedera*, quibus novam editionem rursus locupletandi copia dabatur. Sed obstitit ei simul ingens volumen, cujus formam novæ animadversiones induerant. Integras autem mittere, necessarium non duxit, quoniam Commentarii limites egressus, longiusculas de antiquitatibus Græcis Latinisque disputationes effuderat, aliis præterea congestis & immixtis, quæ ex obsecurissimis temporibus eruta, & falsis hominum opinionibus purgata, ita luci exposuerat, ut veteris non solum Astrologiæ rædies instaurata, sed etiam *Cato*, *Varro*, *Plinius*, alique, a vitiis & erroribus liberarentur. In varia voluntate id unum tamen committere noluit, ut *δευτέρας Φρονίδες* sive a *Rusticis*, Lipsiæ tum prodituris, abessent. Quare, maximam partem in compendium missis iis, quæ latiore discernendi specie, nec ad tenuè elimatis rationibus, in his ipsis, quas Lectori jam commendandas sumimus, *Epistolis* scripserat, insignes denuo symbolas, & vel solas nova editione dignissimas, Lipsiam eo tempore misit, cum, ferventibus jam operarum studiis, omnis *Cato*, & bona pars *Varronis*, prelo exiisset. Ne tamen hoc auctarium vel literis, vel splendori librorum rusticorum, vel Cl. *Pontedera* meritis & laudi, officeret, Cel. *Gesnerus* studiosissime laboravit. Cum enim suis quæque locis propter rationes, quas diximus, collocari non possent, multaque præterea ab ipso Editore ingeniosius animadversa essent; id sibi credidit negotium dari, ut, religiosissime descriptis Clariss. *Pontedera* annotationibus secundis, suas quoque castigationes & aliorum commoditatis gratia admisceret. Quod certe tanto minus ægre ferre potuit humanissimu. *Pontedera*, quanto pluribus nos experimentis eximiam animi *Gesneriani* indolem didicimus, a qua profecto tantum omnis aut malæ mentis, aut doli, aut *Φιλωνίας*, aut mendacii, suspicio, quantum a pessimo quoque probitatis ingenuitatisque virtus, abest. Sed, quod institutum facile omnibus approbavit Cel. *Gesnerus*, ejus rei veniam a Cl. *Pontedera* impetrasse non




Fig. I.



Fig. II.





Fig. III.



non videtur, quoniam sub *Andr. Marani* persona stomachantem eum, & de aliqua honoris particula sibi crepta magno studio conquerentem, postea audiemus. Utrum jure, an injuria, id fecerit, demonstrare prius non juvat, quam harum *Epistolarum* uberrimas opes publice spectandas exhibuerimus. Ad quarum rationem explicandam dum ingredimur, monendum esse ducimus, locupletiores harum *Epistolarum* observationes in *Gesnerianis rei rusticæ Scriptoribus* jam apparere, eo tamen discrimine, ut illic sententia *Pontedera* breviter, ut par est, descripta exstet, hic autem, præter laboriosissimas de anno veteri lucubrations, & oratio liberior regnet, & ad declarandos animi sensus plures argumentorum conclusiones diligerantur. Bonum igitur factum, quod nobilissimis gloriæ stimulis excitatus Cl. *Pontedera*, monumentum ære perennius, soloque suo illustri nomine conspicuum, exegerit. Quanquam enim nemo tam cæcus est & stupidus, qui, quid in primis Cl. *Pontedera* tribuendum sit in *Scriptoribus rei rusticæ*, non statim intelligat; præclare tamen ipse secum egisse videtur, quod jam, spreta Transalpinæ laudis societate, suum sibi hoc pacto honorem illibatum servare studuerit. Utcunque vero talia existimentur, literis tamen & nobis opportune accidunt hæ *Epistolæ*, quarum non tantum ipse in secundis ad *Rusticos Autores* curis, (vid. *Add. ad Caton. VII, 3, & Varr. I, 39, 3, pag. 1298*, item *Colum. II, 4, 4*.) sed Celeb. etiam *Gesnerus*, cum laude meminit, etiam hic, inquit, (*Add. ad Varr. I, 13, 2*.) *Epistolas Viri Clarissimi impatienter exspecto*. Quemadmodum igitur Cl. *Pontedera* fidem datam egregie solvit; ita nos efficiendum curabimus, ut, ad quos ipse liber nondum pervenerit, ejus tamen archetypi exemplum, nostro qualicumque penicillo adumbratum, veniat. Post discretissimam *Epistolam*, qua tribus Patavini Gymnasii moderatibus, *Jo. Petro Paschali*, *Joanni Emo*, & *Laurentio Theupolo*, suas Antiquitatum Latinarum Græcarumque Enarrationes nuncupavit Cl. *Pontedera*, in universas *Epistolas* elegantissime præfatus est, ostendens, falso plerumque homines de exhaustis litterarum fontibus queri, cum multa adhuc supersint, quæ pro-

cul dubio & diligentius conquirere, & rectius constituere, & ingeniosius explicare, nos oporteat. Hanc opinionem, publice conceptam, ut ex hominum animis omnino evelleret, hunc librum digessit. Etsi enim multi de Latinæ linguæ origine, ejusque etymis, Commentaria politicissima ediderunt; idem tamen saxum volvere non dubitavit, sive quod alios censebat ad linguæ primordia non penetrasse, sive quod neglectis aliâ Græcorum fontibus recta deerraverant. Quis nescit præterea, quantos & quales de veteris anni rationibus *Scaliger*, *Calvijus*, *Petavius*, *Dobswellus*, at quanta nomina! Commentarios perscripserint? Nihilominus tamen ne hi quidem impediverunt, quominus, veritate duce, vel rebus abstrusis tenebras auferret *Cl. Pontedera*, vel acutius vetustissimæ memoriæ tempora dispensaret, ut mirum profecto sit, (liceat ejus verbis uti,) ex adeo dissimili principio aut illos vera confectatos fuisse, aut nos. Ac vellemus, commode fieri posset, ut, quam verum sit, quod dixit *Cl. Pontedera*, commemorandis omnibus antiquitatum enarrationibus & emendationibus demonstrarem. Sed, quia integra primo loca Autorum huc transcribenda, deinde rationes inter se aptæ & nexæ cum initiis suis omnibus repetendæ, pluraque dicenda essent, quam nostrorum Commentariorum limites patiuntur, doctos homines ad ipsum librum amandamus. Ne quis tamen nos aut velle subterfugere laborem, aut non satis opes criticas, quibus hic liber refertissimus est, approbare doctis nos posse, existimet, in tanta rerum pulcherrimarum affluentia veniam nobis dabunt Lectores, si potiora Capitum lemmata & titulos, quam potuerit brevissima oratione, exposuerimus. Quam in re non patiemur, ut in aliquibus nostrum quaecunque judicium desideretur. Omnis liber *sexaginta & octo Epistolis* constat, in quarum prima Clariss. Autor *de veteri scribendi ratione* egregie disserit. Cum enim videret, veterem Latinæ linguæ scripturam adeo parvi fecisse interdum Editores, ut in *Cassone* & *Varrone* tanquam vetustatis deliramenta non immutarent solum, sed etiam ferme totam exstinxerint, id egit, ut post *Scaligerum*, *Turnebum*, *Ursinum*, *Popmam*, *Victorium*, antiquas literarum formas revocaret, præceptionumque suarum verita-

veritatem exemplorum inductione, ex vetustis lapidibus & libris repetita, comprobaret. Duplicis autem generis ejus regulas esse, alias ad *Vocales*, alias ad *Consonantes*, respicere, videmus. Prioris generis functiones hæc sunt: 1) Veteres, cum duplex *Æolicum* digamma concurreret, alterum in *o* mutarunt, ut *navos*, & *servos*; hinc, *Catonem* non *quom*, sed *quom*, & *Varronem* non *avos*, sed *avos*, scripsisse, concludit. 2) Loco *o* usi sunt *u*, ut in *voster* pro *vester*; sic, *Varronem* maluisse, dicit, *sursum* *vorsum*, quam *sursum* *versum*. 3) Cum *i* porrectam syllabam efficeret, vetusta scribendi consuetudine adlectum fuit *e*, ut *fruei* pro *frui*, cujus scriptionis antiquitatem *Catonis* & *Varronis* interpretes male sustulisse, queritur. 4) *R* in *u* transit in verbis, quorum participia in genitivo in *is* desinunt; hinc *faciendum* pro *faciendum* in libris reponi oportere, decernit. 5) Superlativis litera penultima *u* locum obtinet, ut *maximas*, pro *maximus*. Temere ergo exculpta in *Catone* & *Varrone* esse *altissimæ*, *simillimum*, *acerbissimum*, putat, quibus verbis adjungit extra Superlativum *tutas* pro *rotas*, quod vitiosum non esse, *Eugubinarum* tabularum autoritate contendit. 6) *Oi*, sive *oe*, pro *u* veteres posuerunt, ut in his: *moinicio*, *coiravit*, pro *municipio*, *curavit*, & *moerus* pro *murus*. 7) Quæ nos per *u* scribimus, vetusti per *o* scribebant, ut *tabuleis* pro *tabulis*, *publice* pro *publice*. 8) Græcum illud *u* non *u*, sed *au*, & *ay* non *ae*, sed *ai*, expresserunt, ut *injournam*, non *injuriam*, *Fourios*, non *Furios*, *Caisaro*, non *Cæsare*, *Romai*, non *Roma*. 9) Græcum *y* in *u* mutarunt. Hinc male in vetustis memoriis repoluisse editores *bombycina* pro *bombucina*, existimat. 10) In verbis compositis formam simplicium studiosè retinuerunt veteres. Ita v. c. *inteligitur* & *disquero*, non *intelligitur* & *disquiro*, scripsisse, verisimile est. Eandem Cl. *Pontederæ* doctrinam redolent alterius generis de orthographia consonantium regulæ, quarum vis ea est: 1) Cl. Autor censet, antiquissimam gentem togatam non duplicasse consonantes, v. c. *Collega* pro *Collega*, *anus* pro *annus*, *numus* pro *nummus*, quam vocem tamen, Clariss. *Pontederæ* venia, hic eximemus, utpote quæ nunquam aliter, nisi eo pacto, a Latinis efficta esse videtur. 2) *u* Græcum

- Græcum veteres non per *b* scripsisse in verbis, ubi apposita præpositio ἀπό, *ab*. Sic *apstulit* recte, & in *Poliziani* libris *Varronianis* opsequito probabiliter servari. 3) In verbis, quæ cum transjunguntur, semper *tra* exhibuisse, ceu in *traduco*, & *tralu-*
12. *seo*. 4) *C* pro *G*, & *C* pro *Q*, posuisse; inde *Catonis* & *Varroni* illud *Sacotinos*, pro *Saguntinus*, & *deco*sunt, item *cotidie*, pro *deco*quunt, & *quotidie*, restitui oportere. Hac Editorum desidia quantum dedecoris & detrimenti Autores acceperint, & quantum ex lingua imminutum fuerit, sequenti *Epistola*, de *vetæ Orthographiæ utilitate*, docet. Nisi enim verborum Latinarum nitor antiquus, & horridior dicendi simplicitas, infauraretur, viam illi certe, inquit Cl. Autor, nobis includerent, qua etymorum origines & linguæ primordia, gentium propagines, inquirere & patefacere possemus. Quæ cum diligentius animadverteret Cl. *Pontedera*, facile his ducibus ad prima Latine linguæ incunabula penetravit. Ita enim, quo propius vocum Latinarum potestates intueri cœpit, eo certius sibi persuasit, e Græco fonte plerasque ductas esse. Sic, vocis *aruspex*, antiqua regula scriptæ, origines citius nos scrutari posse, existimat, quam si, recentiorum consuetudine, *haruspex* pingatur. Nam, ex tabulis Eugubinis, unde descendat, intelligere nos posse, arbitratur, quæ exhibent *entæ iaru*, *urnus iaru*, quod est *urnas in ara positas*; *aru* itaque ab Etruscis emanasse, & pro *ara* antiquitus poni, conjicit. Idem voce *piaculum* probare studet, quam propter Etrusci verbi *pihactuo* rationem a *πλες* & *ἀνλώω* deducit, ita ut *piaculum* sit, quod etiam selectissimis hostiis Numina avertat. His præmissis, ad ipsos *Catonis* & reliquorum *Rusticorum* libros accedit, ubi primum de editionibus *Catonis* verba faciens, *Victorianam* reliquis præfert, ea tamen cautione adhibita, ut, quæ *Victorius* & *Aldina* retinuerint, ultimæ notæ, & tanquam de fæce hausta, abjicienda esse putet. Ipse vero, nonnullis ex Bibliotheca *Vaticana*, *Medicæ*, & *Veneta D. Marci*, subsidiis adjutus, qui antea ægrotorum corporibus salutem attulerat, nunc male habitis a tempore & imperitia *Rusticorum* libris subvenit, vulneribusque medicam adhibuit manum. Utinam vero his ingenii *Pontederani*

derani copiis pro rei dignitate explicandis oratio nostra sufficeret, nihil certe nobis hac re suavius Lectorique jucundius accidere posset. Sed, cum in tanta, ut ante diximus, animadversionum varietate, quid primo aut extremo loco enarrandum sit, plane nesciamus, omnium saltem *Epistolarum* indices tradere sufficiat. In *Epistola* igitur *tertia* emendatur M. Cato in *Capite VIII rusticarum rerum*. In *quarta* emendatur M. Cato a *Capite VIII in Capite XXXVIII*. In *quinta* emendatur M. Cato a *Capite XXXVIII in Capite LXXIV*. In *sexta* emendatur M. Cato a *Capite LXXIV in Capite CLII*. In *septima* emendatur M. Cato a *Capite CLVII ad extrema*. In *octava* emendatur *Varronis Liber I de Agricultura in Capite XIV*. In *nona* emendatur *Varro a Capite XIV in Capite XXIV*. In *decima* emendatur *Varro a Capite XXIX in Capite XXX*. In *undecima* emendatur *Varro a Capite XXX in Capite XXXVIII*. In *duodecima* emendatur *Varro a Capite XXXVIII in Capite XLIV*. In *decima tertia* emendatur *Varro a Capite XLV ad extremum*. Quoniam vero locus *Varronis Lib. I a Cap. 27 ad 37 de mensibus & temporibus annorum* breviter absolvi non poterat, arduas nunc & perdifficiles de *Astrologia veteri* quaestiones data opera persequi instituit; ejus rei argumentum & tractatio ut via & ratione succederet, omnesque simul scriptores, qui de eo memoriae prodiderunt, imprimis *Columella IX, 14*, & *Plinius Lib. XI, III*, majori cum fructu legerentur, post *Scaligeros & Petavios*, tota antiquitate arcessita, cujuscunque anni formas ordinare contendit. Quanquam enim *Varronis, Columella, & Plinii*, dicta *Juliani* tantum anni computationem respiciunt, de *Juliani* tamen anni partibus, recte inquit *Cl. Autor in Epistola XIV*, in qua tota, ut *Varro, de temporum ratione* agens, emendetur, quid praestandum sit, nos docet, quis agere poterit, nisi prius de ipso anno scribat? Hunc autem noscere, certa ratione definire, & a quo ducere, & quo, altioris, quam putas, indaginis videtur - - de mensibus propterea, de temporibus, de intercalatione, de anni initio, quibus totius quaestionis ratio concluditur, ut superiori aeo nos obtinuit, cognoscere debemus. Hujus igitur indissolubilis vinculi, quo rationes inter se ligantur, optime memor

Pag. 24.
36.
51.
65.
82.
90.
103.
121.
134.
147.
160.

173.

Pag. 174. memor Clariss. *Pontedera*, non dubitavit in *Epistola XV* de *Chaldaica Dieteride*, ejusque principio in anno nostro, qua *Græci & Romani usi sunt*, demonstrationis suæ Chronologicæ initium capere, hisque velut tibicinibus residuam substructionis molem inædificare. Tacenda hoc loco memorabilis apud *Plinium Lib. XVIII Cap. 25* sententia non erat, qui, *tres fuero*, inquit, *scilicet, Chaldaea, Ægyptia, Græca: his addidit apud nos quartam Caesar Dictator, annos ad solis cursum redigens singulos, Sosigene, perito scientiæ ejus, adhibito*. Quem ordinem secutus fuisse videtur Clariss. *Pontedera*. Nam Chaldaicum primo annum ex *Herodoto & Plutarcho* contexuit, eundemque in civitatem Romanam recepit; deinde *Græcam, Ægyptiacam* Astrologiæ junctam, exposuit, quoniam, uti *Bæotia Chaldaica* æmula est & rivus, ita *Attica ad Ægyptiacam* proxime accedit. In quarum enarratione etsi omnia præclare, & cum ingenti testimoniorum apparatu, dicantur, melius tamen haud dubie literarum commoditati prospexisset Cl. *Pontedera*, si in excitandis Auctorum libris & locis diligentius versari statuisset. Etsi enim superstiosa omnium numerorum cujuscunque *Capitis* indicatione ad veritatem rei opus non est, nec a doctis *Seculi XV & XVI* viris probata fuit; aliquid tamen temporibus & lectorum ingenio dandum esse censemus, quorum exigua pars adeo familiariter scriptoribus utitur, ut, generatim & simpliciter nominato Auctore, locum scriptoris, quem designamus, aut minores versuum distributiones, in numerato habere possit. Laborant ea, verbi causa, ut hoc tantum exemplo utamur, obscuritate quadam, & remoram lectoribus faciunt, quæ pag. 182 prodidit. Auctor atque, compellens *Maranum* suum, *Aetius de stellis scripsit, ad Chaldaeos pertinere fortasse ignoras, me quoque eatenus ignorasse, quoad huic disciplina diligentius vacare voluisti, non pudeat fateri*. Quis enim divinabit in aliis aliorum libris ceteroquin non mediocriter versatus, per *Aetium* intelligi *Aëtium Amydænum*, qui in librorum medicinalium λόγῳ τρίτῳ περὶ ποιημένων κενεμένων προσθεμένων καὶ περὶ αἰσθημάτων, ἀνέμων, τόπων, αἰσθημάτων, pauca quædam *Capite 164* περὶ ἐπισημειῶν αἰσθημάτων (vid. *ed. Aldiv. Aetii pag. 92 seq. & Uranologium Petavii τὸ πᾶν pag.*

421 ed. Paris.) confarcinavit? Jam operæ pretium erit, singulas, quo se excipiunt, ordine *Epistolas* percerere. *Decima* Pag. 182.
sexta igitur exponit de *Chaldaica astrorum ratione*; *decima se-* 188.
ptima de *Chaldaeorum annis solaribus, verno, ac caniculari*, ad-
 jectis duabus *Tabulis*, quarum altera *Dieteridem Chaldaicam* 189.
canicularum, per annum Romanum digestam, altera *annum Chal-* 192.
daicum solare verno, per annum Julianum digestum, exhibet.
 Succedit *Epistola XVIII de Manilii astronomia, ejusque anno* 195.
caelesti, cujus verba Lib. V pag. 15 ed. Scalig. :

*At Procyon oriens, cum jam vicesima Cancri
 Septimaque ex undis pars sese emergit in astra,*

ad nullos alios, nisi Chaldaeos, autores referri posse existimat
 Cl. *Pontedera*; ad quam rem uberius demonstrandam opportu-
 ne *Tabulam* adjecit. Totus autem ille locus *Manilii* Cl. Au- 196.
 tori vehementer displicet, quod nullum eo foediorum, nul-
 lum magis lacerum & divulgum, sine ulla dubitatione a *Scalige-* 199.
ro redditum esse noverit. *Primum*, inquit enim, *Carmen*, un-
decim versibus a secundo separatum, cum secundo miscet, eodem-
que reparat ac surcit,

*Nunc surgente Lyra testudinis enatat undis,
 Forma per haredem tantum praefata sonantis,
 Chelarum surget, cum pars vigesima sexta.*

Et paulo post: *En iterum:*

*Hinc distante Lyra, quæ cornua ducit ad astra.
 Hiccinne est, demum quærit, interpretes? Hiccinne afflicta ve-*
tustatis reparator? Cuinam pedagogo in vernas tantum li-
cuit, quantum in nobilissimum vatem sibi licere, Scaliger opina-
batur? Chaldaico anno rectius constituto, ad Baotii & Græci
anni rationes explicandas transit. Baotii anni conformatio-
nem non tantum Scriptores Græciæ celeberrimi, Hesiodus, Tha-
les, Anaximander, Hippocrates, Democritus, Eudoxus, Dio-
dorus Siculus, Plutarchus, in libris suis egregie tradiderunt, sed
gentes etiam nobilissimæ, ut Baotia, Spartana, Corinthia, Syracu-
sana, amplexæ sunt. Sed, quo σύνημα hoc Chronologicum certo
& probato niteretur exordio, operæ pretium esse duxit Autor,
ab ultima antiquitate repetitis annorum differentiis, de anno
Baotio-

- Bæotiorum solari*, de *Dieteride*, de *Tetraeteride*, de *Osteateride*, de *anno magno Metonico*, & *Calippico*, pluribus verbis disputare, & cuilibet anno civili sua principia, quæ magnis obvoluta erant tenebris, Græca Astronomia viam monstrante, in memoriam hominum revocare, quibus singularum gentium instituta, *Bæotia* videlicet, *Spartana*, *Corinthia*, *Syracusana*, *Thebana*, *Attica*, *Olympica*, & *Macedonica*, in duas sectas distributa, subjecit. Hanc rem totam quibus *Epistolis* executus sit Cl. *Pontedera*, paucis, si volupe est, Lector, accipe.
- Pag. 200. *Epistola XIX* agit de *Bæotiorum astronomia* & *anno solari*, quem appositâ *Tabula*, ordine *quarta*, clarius digessit. Quemadmodum vero anno solari lucem suam redonavit Cl. Autor; ita *civilem* quoque *annum* & *osteateridem Eudoxi*, quam profecto pæne omnis oblivio suppressit, cujusque nihil nisi fama ad nos pervenit, talem nobis restituit, qualem antiqui coluisse videntur.
210. *Epistola* certe *XX* de *Dieteride ac Tetraeteride Bæotica*, deque *Eudoxi osteateride*, quam *Tabula* ordine *quinta* comitatur, de *osteateride Bæotica*, ab *Eudoxo edita*, comprobatur nobis, Cl. Autorem, quantum a recentiorum scriptis declinavit & recessit, tantum veteribus, imprimis *Plinio*, adhæsisse, sine quorum autoritate atque exemplo nihil statuendum esse, recte judicavit.
213. Sequitur *Epistola XXI* de *Attica Astronomia atque anno Attico solari*, quem, ex *Gemino* & *Plinio* constitutum, *Tabula* quoque *sexta* exhibet. Hoc in ordinem redacto, ad annum civilem progrediendum Clariss. Autori fuisset, nisi prius, ut
220. de *mensium Atticorum* ordine in *Epistola XXII* quædam disserteret, propositi operis ratio exegisset. Cum enim interpretes ante eum omnes vel turbasse eorum nexus, vel, Latinis interdum temporibus male tribuendo res gestas, quæ illis neutiquam convenerant, insigniter lapsos esse, deprehenderet, totam hanc quæstionem, *Aristotelis*, *Demosthenis*, *Plutarchi*, & aliorum, auctoritate nixus, ita discussit, ut ab omnibus jam, quæ vera sit mensium Atticorum ordinatio, quæ progressio, quæ cum Romanis similitudo, affinitas, & conjunctio, intelligatur. Non ingraturam nos Lectoribus rem facturos esse ominamur, si eorum

rum quoque schema aliquod hac forma expresserimus, additis simul dierum, quos in *Dieteride* servant, principii:

- I. *Hecatombæon*. III Id. Qu. VII. *Gamelion*. Prid. Non. Jan.
- II. *Metagitnion*. Prid. Id. Sext. VIII. *Antbestion*. III Non. Febr.
- III. *Boedromion*. IV Id. Sept. IX. *Elaphebolion*. IV Non. Mart.
- IV. *Mamaeterion*. VII Id. Oct. X. *Munychion*. IV Non. April.
- V. *Pyanepsion*. VII Id. Nov. XI. *Thargelion*. Cal. Maj.
- VI. *Pofideon*. VIII Id. Dec. XII. *Scirophorion*. III Cal. Jun.

Hi tamen omnes alio gaudent initio, quotiescunque ad aliam æque aliam anni Græci formam traducuntur, quod non tantum eruditissimus *Pontedera* pluribus exemplis demonstravit, sed etiam in sequenti *Epistola XXIII*, cum de *Atticorum annorum discriminibus* generatim verba faceret, uberius ostendit. Sex autem annorum genera apud Athenienses statui posse, existimat. Primum genus est *Dieteris Chaldaica*, pluribus generibus communis, in qua tertio quoque anno intercalatur. Alterum est *Tetraeteris*, cui vix singularis assignari locus debuisset, quod ex iterata *Dieteride* in orbem glomeratur; interim, quia *Dieteris* aut *Tetraeteris* solis modo, modo lunæ, progressui convenire videbatur, tabulam de illa numero *septimam* constituit, dualque *Dieterides*, ne sua amplius luce mensium *Dieteridis Attica*, & *Dieteridis Bæotica*, discrimen careret, eleganti inter se *Tabula octava* contendere allaboravit. Tertium est *Osteateris*, quam, Atticam scilicet, una cum *Osteateride Bæotica Eudoxi* in *Tabula nona* digessit. Quarto loco Cl. *Pontedera* annum *solarem* Atticorum posuit, quo ad *Metonicum* principium certius stabiliendum uti necessario nos oportet. Quintum est *Periodus Metonica*, seu *ἑνεακαιετηρίς Metonica*, a *Metone*, Atheniensi Astronomo, nomen sortita, quoniam is, ut *Osteateridis* inconstantiam tolleret, aut lunæ ratio ad solis motum propius accederet, annorum 19 circuitum edixit. Diu hic annus floruit, quousque *Calippus* eum vitii coarguit, animadvertens scilicet, latius, quam par erat, solis cursum evagari; itaque, ut diei particulam, quotannis redundantem, eximeret, quatuor *ἑνεακαιετηρίδας* in unum composuit, ex quo constat est *sexsum* genus Attici anni, *annus* videlicet *magnus*, qui ab inventore *Calippicus* appellatur, annos 76 & intercalares menses

pag. 230.

235.

236.

239.

241.

- ses 28 completens. Ad eam *Calippi* normam *Tabulam undecimam* formavit Cl. *Pontedera*, quæ inscribitur *Annus magnus Calip, icus Atticus*, eamque ex *Cassiano Basso*, *Quinctilio*, *Florentino*, *Pamphilo*, & *Abfyro*, (quos omnes *Scriptores Geoponici Needhami* dabunt,) in sequentibus *Epistolis* majori luce collustravit. Quæ omnia ex voto cum nostro, tum Cl. *Auto- ris*, tanto magis succedunt, quanto frequentius, se non in recentiorum scriptorum fundo stipulas conquisivisse, sed ad publicas & antiquas segetes migrasse, suo jure gloriatur, ubi manipulos colligere nemo vetat. Ac, quam lata messis ex agrorum illorum fertilitate procreverit, ni grave est, Lectores, cognoscite.
- Fag. 244. *Epistola XXIV* exponit de antiquissimo anno solaris, quo Græci Latinique usi sunt, & adhuc utimur, cui insertam videmus *Tabulam* ordine XII, qua novam anni solaris & *Calippici* normam e tenebris eruere studuit. *Epistola XXV* de anno *Calippico solaris* cognitu necessaria tradit, ex qua discimus, a *Calippico* anno, quem in multis sectatur *Columella*, sæpius, quam par erat, deslectere vulgaria *Moderati* exempla; quare *Columellam* non tantum in plurimis locis secundum *Calippicum* anni rationem emendat Cl. *Pontedera*, sed etiam, quantum a *Calippo* *Columella* acceperit, demonstrare satagit. Reliqua anni Græci *ἑξαεταερίων* his *Epistolis* absolvitur. *Epistola XXVI* locum de anno *Olympico*, de *Olympiadibus*, *Pythiis*, *Isthmiis*, ac *Nemeis*, explicat, cujus sententiæ triplici *Tabula* illustrantur. Prior, quæ est ordine XIV, duas *Tetraeterides Olympicas*, altera, numero XV, *Osteateridem Olympicam*, tertia, numero XVI, *Osteateridem Corinthianam* & *Syracusanam*, recenset. *Epistola XXVII* habet quædam de anno *Lacedæmonio*, & *Panathæis*, *Carniis sacris* & *Hyacinthiis*, cui se in *Tabula* numero XVII *παραλληλισμὸς Osteateridis Spartane* & *Atticæ* comitem dedit. *Epistola XXVIII* de anni *Macedonici* discriminibus, & de *Bithynico* anno, agit, ubi triplicem rursus *Tabulam* videbis, in quarum una *Osteateris Macedonica*, ab *Arcturi exortu* *cepta*, sive ab autumno, in altera *Osteateris Macedonica* ab autumni *aquinoctio* *cepta*, & in tertia *annus Macedonicus solaris* exhibetur. *Epistola* demum *XXIX* ostendit, qua ratione *Græcorum* anni, *mensēs*, ac *dies*, cum *Latinis* componantur, qua tantum efficit Cl. *Pontedera*, ut ex
- his

his factis nullo jam negotio quilibet Latinorum dies quibuscumque Græcorum temporibus aptos intelligere possit. Nam *Eleos* primo in ordinem redegit, ut in *Tabula XXI* annotavit, deinde *Aetios*, tum *Bæotios* ac *Corinthios*, *Syracusanis* immixtos, Pag. 278. quibus proximos *Lacedæmones* statuit; mox in duas classes *Macedones* seposuit, prima eos complexus, qui in Macedonia vitam egerunt, altera eos, qui *Alexandri M.* auspicia secuti sunt. Ultimos *Thebanos* in *Tabula XXII* adjecit. Reliquam vero turbam, quæ indiscreta manebat multarum gentium colluvies, inhonoram reliquit. Productis igitur uniuscujusque populi factis, digestisque coelestis orbis signis, ex *Græcia* in *Latium* transnavigat *Cl. Pontedera*, atque in *Epistola* statim *XXX Annos*, 279. *decem mensibus definitos, quibus diu usi sunt Latini, neque fabulosos,*)* neque *civilibus commodis inutiles, esse*, contendit. Quamvis enim hac in re veterum ac recentiorum dissensionem non ignoret; *Varroni* tamen, *Suctonio*, *Ovidio*, *Conforino*, aliisque, diserte id scribentibus, refragari ausus non est. Præterea, etiam si *Cl. Pontedera* Romulæ astrologiæ patrocinium sumere nolit, recte tamen id propterea fabulosum dici posse negat, quod absolum, & a veri naturâ abhorreere, videtur. Nam, si mortuum, 282. inquit, *errata ad fabulas pertinent, quæ pars inter hominum actiones supererit, quæ a signentis vindicetur, - - quid fiet antiquo anno Aegyptio, primum ex uno, deinde ex duobus, tum ex quatuor mensibus? Quid Arcadum trimestri? Quid semestri, quo Cares & Acarnanes usos esse tradunt? Septem vero anni Italici discrimina novit Cl. Autor, Lavinium scilicet, Albanum, Romuleum, Pompilium, eundemque Romanum, Julium, Augusteum, & Calippicum.* Extremo hoc posthabito, omnes jam, quos Romani, ipsorumque parentes & conditores, usurparunt, annos magno studio prosequitur. *Epistola* enim *XXXI* de mirabili *Trieteridis Lavinie* natura, & qua ratione per *Calendas*, *Nonas*, atque *Idus*, in annos *Lunares* separaretur, disquirat, adjecta *Tabula* numero *XXIII*, ubi *Trieteris* bene ordinata

Dd 2

coele-

*) Putavit enim *Honr. Dodwellus* in *Disf. X de antiquis Romanorum Cyclis Sect. 108 pag. 672*, annum decimestrem sub *Romulo* fictitium esse.

- Pag. 295. coelestibus quoque signis distinguitur. *Epistola XXXII de*
 304. *Albana Hexaeteride, & Epistola XXXIII de Romulea Hexaete-*
 308. *ride, disputat, de qua ut magis propria & præcipua commo-*
 310. *dus referre posset Cl. Autor, partes earum singulas in Tabula*
numero XXIV & XXV excrispit. In Epistola vero XXXIV
probare studet Cl. Autor, Solarem Romanum, quo usi sunt post
Romulum Reges ac respublica, fuisse Chaldaicum, dies 350 anti-
quitus complexum, & Terminalibus absolutum. Quo de inven-
to lubentes ipsi gratularemur, nisi intercederent clarissima Ma-
crobio & Plinii loca, quorum alter Lib. I Saturnal, Cap. 9
de Junii simulacro hæc narrat: Inde & simulacrum ejus ple-
vumque fingitur manu dextra trecentorum, & sinistra sexa-
ginta & quinque numerum tenens, ad demonstrandam anni dimen-
tionem, qua præcipua est solis potestas. Alter Lib. XXXIV Cap.
7 Hist. Nat. eadem testatur, præterea, dicens, Janus geminus
a Numa Rege dicatus, qui pacis bellique argumento colitur, di-
gitis ita figuratis, ut trecentorum sexaginta quinque dierum no-
ta per significationem anni, temporis, & ævi, se Deum indicaret.
 Nulla quidem arte sinistros ita digitos ordinari posse creditit
 Cl. Pontedera, ut humana manus esset, & notas LXV demon-
 straret; nihilo minus tamen nostro qualicumque ingenio ex-
 pressas manuum ita figuratarum imagines damus, ex quibus ap-
 paret, duplici modo sinistris digitis dies LXV significari posse.
- TAB. III Sive enim servemus utramque, a Cl. Pontedera nitide excul-
 Fig. 1 ptam, manum, non solum pollicem & salutarem in sinistra ma-
 & 2. nu, sed reliquas etiam, erigere jubemus, ex qua leviuscula
διεφθώου, præter figuram $\tau\theta$ L, tria simul V. V. V. nascuntur,
 quæ, $\tau\theta$ L juncta, idem efficiunt, ac LXV; sive novam digito-
 rum formam effingamus, pollicem quippe auriculari decussa-
 tim imponendo, utrobique tamen id naturali modo consequi-
 mur, quod quaerimus. Nam in altero schemate pollex & au-
 Fig. 3. ricularis notam $\tau\theta$ X ostendunt, cum auricularis, ita positus,
 basin $\tau\theta$ L efficit, cujus priorem & erectiorem lineam annula-
 ris præstat, denique medius & salutaris numerum V imitatur.
 Sed ex diverticulo in orbitam redeuntes, quod restat, absol-
 323. vemus. *Epistola XXXVI, quos fuerint post Numum Romæ anni*
initia,

<i>initia, & quoties Consularatus auspicia immutata, docet. Epistola XXXVII de anno Romano intercalario, & de Olympiis, sive mysteriis, præcipit, & quibus annis de intercalatione antiquæ memoriæ loquantur. Epistola XXXVIII de Dieteride Romana civili & solari differit, ubi triplex Tabula reperitur, prima, numero XXXVI, annum civilem Romanum, secunda, numero XXXVII, Dieteridem Romanam cælestem, & tertia, ordine XXVIII, Dieteridem Romanam cælestem, apposito Regifugio, ad vetus exemplum revocat. In Epistola XXXIX non minus, quam Tabula XXIX, Dieteris Romana Eudoxi fastis exornatur. Epistola XL Dieteridem Romanam solarem, diebus LIII a Cal. Jun. remotam, cum duabus Tabulis exhibet, in quarum una Cl. Pontedera Dieteridem Romanam solarem, diebus LIII a sua sede remotam, in altera Dieteridem Romanam primo anno intercalari, quo Romani extremo reipublicæ tempore utebantur, contexit. In Epistola XLI Macrobius, Saturnalia uno die finita scribens, falsitatis coarguitur, & de anno simul ab U. C. DECVII, quem confusionis vocant, acutam disputationem legitimus. Hanc excipiunt quatuor Epistolæ, in quibus anni Juliani Augustanique forma a multis difficultatibus erroribusque extricata fuit. In Epistola vero XLVI Calendarium rusticum Farnesianum, Calendarium, quo Ovidii Fastos illustrant, Calendarium Magni Constantini tempore expressum habitum, item librus, qui inscribuntur de re medica, Lurgi Designationi, Plinii, Prisciani, Sorani Epbesii, monumenta esse tam nullius pretii, quam sordida ac barbaræ originis, Cl. Autor ostendere studet, cui opinioni utrum plures assensuri sint, divinando assequi non licet. Epistola XLII Ovidii Fastos ex Augusti tabula, Eudoxo, aliisque, illustrat. Denique colophonis loco addit Epistolam XLVIII, in qua Ptolemæi liber, falso hoc nomine proditus, Φάσις ἀπλανῶν ἐπισημοσιῶν, tanquam spurius, & Autoris nomen mentiens, damnatur. Stellarum enim conversiones, inquit Cl. Pontedera, pluribus diebus tam indocte, atque imprudenter, quam stulte dementerque, effinxit. Hinc non tantum alio loco Autorem hujus libri nugacem Sycophantam Græce proditum, qui vitiosa vitiosiora reddidit, appellat, sed in hac præsertim</i>	Pag. 328.
	335.
	336.
	337.
	339.
	340.
	343.
	344.
	348.
	350.
	352-392.
	400.
	412.
	249.

- Epistola* omnem ei antiquitatis laudem detrahit. Falsi in eo quidpiam suspicatum esse *Dionysium Petavium*, meminimus nos in *Uranologio* ejus pag. 415 legere, sed, utrum *Ψευδοπύργος* esset, eodemque vitio laboraret, quo *Ptolemaeus*, quem e Græco in Latinum idioma transtulisse *Nicolaum Leoniceum*, testantur *Vossius de Scientiis mathematicis. Cap. 38 §. 19*, & *Fabricius in Bibl. Græc. Lib. IV Cap. 14 pag. 420*, vir sua ætate *πελοπονησιώτης* definire noluit. Nunc demum, velut ex longinqua peregrinatione, Cl. *Pontedera* ad Rusticos rediens, id egit potissimum, ut in *Epistola XLIX, L, LI, & LII*, præceptionibus *Varronianis de re pecuaria, & villaticis passionibus*, antiquam venustatem integritatemque vindicaret, cumque in agro Rusticorum colendo versanti, *rei rustice Auctores*, a Celeberrimo *Gesnero*, applaudentibus bonis omnibus, hic Lipsiæ promulgati, in manus venirent, in *Epistola LIII de Lipsiensi Rusticorum Scriptorum editione, & de fragmento falso Gargylli Martialis titulo nuper prodito*, acerbius, quam virum gravem decebat, judicandi occasionem arripuit. Utrum veræ sint, justæque & humaniter factæ, criminationes, quibus Viri Celeberrimi nomen & famam lacerare contendit, proxime videbimus. Interim pauca, quæ supersunt, enarrare nobis liceat. Residuum libri partem omnis tenet & occupat *Columella*, in quo recognoscendo emendandove Cl. *Pontedera* tam sedulus fuit, ut nulli dubitemus, quin, si repetenda foret rustici Operis editio, magno usui & adjumento hæc critica sæcula esse possint. Tredecim vero *Epistolis a LIV usque ad LXXIII & Columelle morbis, & Plinii quibusdam Theophrastique παραρρήμασι*, mædetur, usus præcipue ad sanandum *Columellam* antiquis lectionibus *Lipsiensis* Codicis, ita tamen, ut *Goesiano* maximum pondus tribuat; qua occasione monere libet, multa alia in universo libro aliorum Auctorum loca, ubi res tulit, emendata vel tentata esse. Quanquam vero a speciminibus notarum excerptendis propter rerum copiam adhuc abstinere nos oportuit; præterire tamen nullo modo possumus *Tabulam trigesimam septimam*, quæ varias *Italici arbuti* formas, *Draconis*que & *Lati Sarmeni* imagines, elegantissime radio descriptas refert;

fert, quoniam intelligende vitium culturæ mirifice inservit, suaque vi pulchritudinis allicere ad se quemque & invicere debet. Duplex autem arbuti genus memoratur ab antiquis Autoribus. Aliud est *Gallicum*, aliud *Italicum*. *Gallicum*, jam Cl. *Pontedera* artificio effictum, operis Lipsiensibus executum habemus in *Rusticis Gesnerianis*, ejus iconem vide in *Tomio I ad pag. 452 & 454*. *Italicum* vero hic primum traditur, tali modo adumbratum, qualem *Columella Lib. V Cap. 6* descripsit, & quemadmodum ipse Cl. Autor in fundis suis excolendum curaverat. Spectantur autem quinque in illa *Tabula* figuræ. Primo arbutum *Italicum* tale depingitur, quale putator exornare solet digestis per tabulata vitium brachiis, & palmitibus in fructum demissis, ut, quid sint arbuti *tabulata*, *vitæ cori*, *duramenta*, *brachia*, & *flagella*, jam ab omnibus nullo negotio disci possit. Secundo loco *latum Sarmentum* apparet, quod ex binis plerumque, sed proximis, oculis, cum geminus coles sit, per medullam coalescit. Tertio se conspiciendum nobis præbet *Draco*, qui palmes, secundum *Plinium*, *emeritus est plurimis annis inluratus*. Figura quarta *vitem arbutivam*, remoto arbuto, imitatur, & quinta denique *arbutum*, remota vite seu *viduarum*, exhibet. Plura de ipsis libri divitiis ut addamus, non est opus. Facile enim patet, quo loco interpretum Cl. *Pontedera* sit habendus, ideoque de industria ejus & incepto quivis recte ipse statuet, neque, ut plura, quam scripsimus, commemoremus, jure desiderabit.

PINACOTHECA SCRIPTORUM NOSTRA
etate literis illustrium, exhibens Autorum eruditionis laude scriptisque celeberrimorum, qui hodie vivunt, Imagines & Elogia. Vitæ, scripta, literarum merita, recensuit JACOBUS BRUCKERUS, Academiæ Scientiarum Berolinensis Membrum; Imagines ad Archetypa arte accurate expressit JOANNES JACOBUS HAIDIUS, Pictor & Chalcographus.

DECAS I & II.

Augusta,

Augustæ, 1741 & 1742, fol.

Alph. 1, Fig. zn. 22.

Alienus sit ab omnibus Musis Gratiisque, cui non arideat hoc nobile institutum, summis oculis delicias, dulcissimumque animis pabulum, præbens. Ecquem enim, quæsumus, paulo humaniorem haud impense delectet, maxima ævi nostri lumina, viros meritorum in rem publicam pariter ac literarum gloria florentissimos, artis beneficio tanquam præsentés inveni, & cum iis veluti, quandocunque collibitum fuerit, sermonem conferre? Certe, si sagacibus rerum existimatoribus necesse semper visum fuit, non insignem minus utilitatem, quam oblectationem, percipi posse contemplando imagines virorum celebrium, fato jam orbi subduktorum, ad vivum expressas, quarum syllogæ propterea Historiæ literariæ curiosis merito in deliciis esse solent; quanto magis utrumque nobis promittamus de scitis effigibus heroum toga illustrium, ac favente Numinis gratia adhuc superstitem, in quibus hodie omnis fere bonarum literarum spes inclinata recumbit, qui, etsi mortalium ocerui adhuc aggregati, nomina sua immortalitati jam feliciter consecrarunt, quorum beneficiis innumeris se cumulata gloria, ac pluribus in posterum beatum iri confidit erudita civitas, quos idcirco jure suspicit, insignique cultu prosequitur, quicquid est literatorum, quos tandem ipsos, si aveas, adire vivos spirantesque, ac vel coram vel per literas salutare, cumque iis in consultationem de rebus gravissimis descendere, licet. Multiplici igitur plausu dignum censemus consilium honestissimi Viri, *Jo. Jac. Haidii*, pictoris ac sculptoris Augustani, artis suæ peritia, scitæque manus felicitate, nulli facile secundi, sensim sensimque Virorum nostra ætate summis in literas meritis illustrium, qui hodiernum per Dei gratiam vitali fruuntur aura, imagines, & similitudine & elegancia se quam maxime commendantes, artis, quam Melano-chalcographiam appellant, beneficio ære sculptas omnium oculis exponendi, quas, ut major inde in istarum deliciarum cupidos fructus ac voluptas

voluptas redundaret, per se quidem mutas, per consummatæ doctrinæ virum, *Jac. Bruckerum*, variis scriptis ætatem latens, ac Historia præsertim Philosophiæ critica, Opere incomparabili, & omnibus commendando, clarissimi, veluti animari, politicoque & facundo ejus calamo disertitas reddi, voluit. Is enim, pro eo, quo in eruditi orbis commoda promovenda fertur, affectu, haud difficulter se ab artifice exorari passus est, ut iconibus, ad archetypas picturas curate & eleganter effictis, adjiceret elogia, limpidæ & nativæ quadam pulchritudine placens dictionis genere Virorum summorum, quorum venerandi vultus ære expressi exhibentur, vitam, eruditionem, scripta, partemque literis gloriam, jucunde delineantia. De cujus egregii instituti ratione ipsemet Venerandus Elogiorum scriptor in Præfatione bonæ fragis plena luculenter exposuit. Scilicet is laudabilium conatum scopus est, ut Lectoris oculis exhibeantur imagines Virorum de literis præclare meritorum, non ex sculptoris ingenio effictæ, sed ad ipsâ prototypa accurate elaboratæ. Illud enim certum artificii deliberatumque est, nullam iconem arte exprimere, cujus ἀρχέτυπος ad manus ei non fuerit. Intra unius vero anni, si licuerit, spatium decem tantum effigies cum perficere sculptori liceat, si debita adhibenda sit diligentia, intra Decadis limites unius anni laborem concludendum statuit, quo pacto minoribus etiam sumptibus, facilliorque emporum commodo, vulgari posse Pinacothecam hanc sperat. Respicietur autem ad quatuor illas scientiarum, quas vocant, facultates, in quibus disciplinis qui scriptis hodie eminent, selecti exhibebuntur, nec attendetur ad fidei & religionis professionem, munerum & honorum titulos, nec circumstantias hujusmodi civiles alias, sed soli eruditionis gloriæ & literarum meritis statuetur pretium, horumque ratio habebitur, ac hoc ordine Theologi, Jureconsulti, Medici, Historici, Philosophi, Mathematici, Philologi, Critici, & quodcumque aliud scientiarum genus est, ob oculos sistentur. Cumque, quæ nostrorum temporum felicitas est, hodie vivant fœminæ, literarum elegantiorum ornamentis conspicuæ, harum etiam, ferente occasione, imaginibus in hac Pinacotheca locus concedetur. Singulis autem *Decadibus* vultus alicujus Mæcenatis

cenatis literarumque tutoris, quem & ipsum insigni eruditione pollere compertum est, præmittetur. Imaginibus adjungentur biographiæ & elogia, jucunda quidem brevitate, ea tamen cura ex monumentis fide dignissimis concinnata, ut nihil facile memorabile & intelligendis Virorum summorum meritis aptum omittatur, sed in compendio notabiliora comprehendantur omnia, adjecto quoque eorum præcipue scriptorum indice, quibus magnam illi ad scientiarum incrementa fecisse accessionem, gloriamque apud justos rerum arbitros potissimum meruisse, censendi sunt. Hæc eximii est ac omnium calculo digni consilii ratio, quod jam felicibus auspiciis & solertissimus naturæ æmulus artifex, & elegantissimus Elogiographus, exequi cœperunt. Uterque enim, & ille quidem mira cæli sui dexteritate, hic vero singulari disertis calami facundia, tantum præstiterunt, quantum ab humana industria expectari potest; siquidem, effigies ad prototypas picturas accuratissime expressas esse, & fecisse satis sculptorem summis in pingendi arte viris, certis testimoniis exploratum habemus, Elogia autem ita concinne sunt contexta, ut a rerum gnaris haud sine maxima animi oblectatione perlegi queant. Habes igitur hic pulcherrimi Operis primitias, quibus chartæ quoque & typorum splendor multum decoris offert. Nostrum jam est, indicare illustria Virorum summorum nomina, quorum facies non corporis tantum, sed animi etiam atque eruditionis, in *duabus* hinc *Decadibus* suavissime & ad amissim delineata sistitur. Repræsentantur autem in *Decade prima*: 1) *Samuel L. B. de Cocceji*, Reg. Maj. Boruss. & Elect. Brand. sanctioris Consilii atque Status Minister, tribunalium omnium, tam ecclesiasticorum, quam civilium, Præses primarius, Dynasta in Wuffeken, Kleist, Repkov, Laas, Nahmgeist, Schœnfeld, & Leisten, natus Heidelbergæ A. 1679 mensè Oct.; 2) *Emmanuel Martinus*, Decanus Ecclesiæ Alonensis in Hispania, natus Oropessæ in regno Valentia A. 1663, 14 Cal. Aug. sed, quod certo nobis relatum est, ante triennium defunctus; 3) *Christoph. Matthaus Pfaffius*, S. C. Pal. Comes, S. Theol. Doctor & Professor primarius, Academicæ Tubing. Cancellarius & Præpositus, Abbas Laureacensis, natus Sturgardie A. 1686

A. 1686 d. 25 Dec.; 4) *Jo. Laurentius Mosheimus*, Abbas Cœnobiorum Mariævall. & ad Lapidem S. Michaelis, Ser. Duc. Brunſwic. a Conſiliis eccleſiaſt. S. Theol. Doctor & Prof. Ord. in Acad. Julia, Scholarum Ducat. Guelph. & Blankenh. Ephorus gener. Societatis Teutonicæ Lipſ. Præſes, natus d. 9 Oct. A. 1694 Lubecæ; 5) *Juſtus Henningus Bahmerus*, Jctus, Comes Pal. Cæſ. S. Reg. Maj. Boruſſ. a Conſil. Secret. Academiæ Fridericianæ Director, Ordinis Jctorum Vicarius Præſes, & Prof. Juris Ordin. natus d. 29 Jan. A. 1674 Hannoveræ. 6) *Jo. Adamus Ickſtattius*, Reverendiſſ. & Celiſſ. Epifcopo ac Principi Herbipol. atque Bamberg. antehac a Conſil. Aul. & Jurisprud. Prof. Publ. Ord. in Acad. Herbipol. poſtea S. Cæſ. Maj. Conſil. Profeſſ. Juris publ. Ingolſtad. & Sereniſſ. Principis Cæſarei Inſtructor, nunc vero in ſummo Imperatoris & Imperiæ Dicasterio Conſiliarius, natus Bœckenhulæ in diœceſi Mogunt. d. 6 Jan. A. 1702; 7) *Fridericus Hoffmannus*, Reg. Maj. Boruſſ. Conſil. intimus, Archiater & Prof. Medicinæ primarius, Com. Pal. Cæſ. Academiæ Fridericianæ Senior, Imperatoriæ Carolinæ, Petropolitanae, Britannicæ, & Boruſſicæ, Academiæ Scientiarum Sodalis, natus Halæ Saxonum 5 Id. Febr. A. 1660, nunc vero eheu! mortalium cœtui exemitus; 8) *Chriſtianus Wolfius*, Reg. Maj. Boruſſ. Conſiliarius Intimus, Academiæ Fridericianæ Procancellarius, Juris Nat. & Gentium & Mathematicos Prof. Publ. Ord. Academiæ Scientiarum, quæ Petroburgi eſt, Prof. honorarius, Academiarum regiarum Pariſ. Londin. & Berolin. Sodalis, natus Vratiſlaviz 9 Cal. Febr. A. 1679; 9) *Chriſtoph. Aug. Henmannus*, S. Theol. Doct. & Prof. Publ. Extraord. Hiſtoriæ literariæ Ordinarius in Academia Georgio-Auguſta, natus d. 3 Aug. A. 1681 Alſtadii Thuringorum; 10) *Ludovica Adelgunda Victoria Kulmia*, *Jo. Chriſtoph. Goſſchedii*, Profeſſoris Lipſienſis, conjux, nata Gedani d. 11 Apr. A. 1713. Frontiſpicium vero hujus *Pinarothecæ* ornat effigies Cel. *Jac. Bruckeri*, V. D. M. Conſiſt. Aſſeſſ. & Scholarchæ in S. R. I. libera civit. Kaufbyrana, Reg. Boruſſ. Societ. Scient. & Teuton. Lipſ. Membri, nati Auguſtæ Vindel. A. 1696, cujus induſtriæ Elogia, imaginibus adjuncta, debemus.

Decas secunda exhibet iconas & elogia: 1) *Scipionis Maffei*, Marchionis Verouensis, nati A. 1675; 2) *Jo. Petri de Ludewig*, Jcti, Reg. Maj. Boruss. a secretioribus Consiliis, Ducatus Magdeb. & Acad. Halensis Cancellarii, Ordinis Jctorum Præsidis, & ærarii pauperum Directoris, Dynastæ hæreditarii in Bendorf, Præz, & Gatterstatt, nati in arce Hohenhardensi prope Halam Suevorum 18 Cal. Sept. A. 1670; 3) *Dan. Ern. Jablonskii*, S. Theol. D. Reg. Maj. Boruss. a Contil. Sacr. & Eccles. Concionat. Aulici primarii, Unitatis Bohemorum in Polonia majori Senioris, Acad. Scient. Berolin. Præsidis, nati d. 26 Nov. A. 1660 Gedani, sed, quod dolentes addimus, interea temporis orbi erudito erepti; 4) *Ludov. Ant. Muratorii*, Præpositi Ecclesiæ parochialis S. Mariæ de Pomposia, Bibliothecæ & Tabulario Sereniss. Ducis Mutinensis præfecti, Societatum literarum Londin. & Italicarum plerarumque Membri, nati d. 21 Oct. A. 1672 Vineolæ, Mutinensis Ducatus oppido; 5) *Christiani Eberhardi Weismanni*, S. Theol. Doct. & Prof. Publ. in Acad. Tubing. Decani Ecclesiæ & Stipendii Ducat. Theologici Superattendentis, nati d. 2 Sept. A. 1677 in monasterio Hirsaugiensi; 6) *Salom. Deylingii*, S. Theol. Doct. & Profess. Publ. Ordin. Ecclesiæ Scholarumque Superintend. Consist. Assessoris, Pastoris ad S. Nicol. Lipsiæ, Canonici Cizensis, nati d. 11 Sept. A. 1677 Weydæ apud Variscos; 7) *Alphonfi des Vignoles*, Classis mathematicæ Directoris in regia Scientiarum Academia Berolinensi, nati d. 16 Oct. A. 1649 in arce Aibani (*Aubuis*); 8) *Juannis Bernoullii*, Phil. & Med. Doct. Acad. Scient. Petropol. & Paris. ut & Societatum regiarum Londin. atque Berolin. itemque Instituti Scient. Bononiensis Membri, Prof. Mathes. Publ. in Acad. Basil. nati d. 27 Jul. A. 1667 Basileæ; 9) *Bartoldi Henr. Brockes*, J. U. Lic. Com. Pal. Cæl. & Reip. Hamburg. Senatoris, nati 10 Cal. Oct. A. 1630 Hamburgi; 10) *D. Andr. Eliæ Büchner*, S. Cæs. Maj. Archiatr. & Com. Pal. S. R. I. Nobilis, Acad. Imper. Naturæ Curios. Præsidis, Chymix Prof. Publ. & Facult. Med. Erfordienf. t. t. Decani, nec non Reg. Berol. Societ. Scient. Sodal. nati d. 9 April. A. 1700 Erfordiæ. Quod superest, omni voto

voto tam alacrem perexemii hujus instituti successum publico nomine exoptamus, ut ex *Decadibus* singulatim, bonis avibus, prodituris tandem non una, sed plures *Centurie* feliciter enascantur, Opusque adeo hoc non tam Pinacotheca, quam augustum virtutis ac doctrinæ templum, nuncupari mereatur.

LA THEORIE ET LA PRATIQUE DE LA COUPE
des Pierres & des Bois &c.

hoc est,

THEORIA ET PRAXIS SECTIONIS TAM LAPIDUM, quam lignorum, pro construendis Fornicibus, aliisque ædificiorum, tam civilium, quam militarium, partibus, sive Tractatus Stereotomicus, in usus Architectonicos; Autore FREZIERIO, Ord. Milit. S. Ludov. Equite, & Architecto militari primario Landaviensi.

Tomus III.

Argentorati, apud Jo. Daniel. Dulstæckerum fil. & Parisiis,
apud Carol. Anton. Jombert, 1739, 4 maj.

Alph. 3 plag. 6, cum Tabb. xn. 44.

Expeditis superiori *Volumine* omnibus, quæ ad constructionem Fornicum simplicium pertinent, ad compositos tandem provehitur Autor, in iisque pertractandis eadem, qua in ceteris ulus est, diligentia versatur. Quæ omnia ut recte percipiantur, luminandæ sunt ideæ, *Tomo* hujus Operis *primo* fundamenti loco structæ, quas pro ratione epitomes in *Novis Actis A. 1737 Mens. Jul. pag 312* explicuimus. Superficies nimirum unica, e. g. cylindrica, sphaerica, vel alia quævis, Fornicem simplicem effingit; pluribus autem varie inter se junctis & commissis, existit compositus. Lineæ autem curvæ, ex superficierum mutuis sectionibus oriundæ, ex earum genere ut plurimum esse deprehenduntur, quæ in plano describi non possunt, adeoque duplicis, ut Geometræ loqui amant, curvaturæ sunt. Jam,

cum species superficiërum, lineæque earum sectionibus genitæ, numero infinitæ sint, inter eas deligere tales oportet, quæ ad res practicas sunt accommodatiores, & ipsi Fornicum, qui usu venire possunt, effectioni inserviunt. Exinde ratio totius, quod recensimus, *Voluminis*, ejusque in *Capita* distributio, pendet, quibus nihil aliud agendum Viro Clarissimo fuit, quam ut theoriam suam, *secunda Parte Tomi primi* traditam, effectui dare Architectos doceret. *Capita* numero sunt *duodecim*, quibus Appendix, ceu *πάρεργον* quoddam, subjungitur. De quibus poriora quædam annotasse, operæ pretium ducimus. *Capite* itaque *primo* de eo Fornicum compositorum genere agitur, quod e mutua cylindrorum penetratione oritur. Quæ cum modis variari permultis possit, variæ quoque Curvæ, veluti Ellipses, Cycloimbres, Ellipsimbres, &c. (prout in *Tomo* hujus Operis *primo* ab Autore appellantur,) ex mutuis eorum sectionibus resultant. Ejusmodi Fornicum constructione cum in operibus fere quotidianis opus sit, e. g. in cameris decussatim structis, (nostrates vocant *Kreuzgewölbe*,) eo majorem in hisce præceptis penitus pernoscendis operam Architecti collocent, necesse est. Cycloimbrium frequentissimus usus est, ubi de aperturis e. g. in suprema templi alicujus concameratione faciendis agitur. Sæpissime etiam turres rotundæ januis perforandæ sunt; quæ quidem res, si ad accuratorem velis omnia exigere, sæpius difficultatem non leuem parit, curvis nimirum duplicis curvaturæ iterum negotio mixtis. Quorum omnium effectiorem ut facillimam redderet, captivique accommodaret opificum, nihil reliqui fecit Vir industrius. De Fornicibus quoque umbilicalibus (*Spiegel-Gewölben*), in quorum effectiorem multum inest artis, scitu necessaria traduntur, nec non de Gothicis, tandemque iis, differitur, qui apud Persas usu vigent, a principiis autem venustatis architectonicæ, & soliditatis præcipue, perquam alieni sunt. Quid factu opus sit, Fornicibus cylindricis conicisque sibi mutuo occurrentibus, *Capite secundo* declaratur. Id in Architectura militari frequentissime usu venit, e. g. ubi alæ propugnaculorum juxta methodum *Vaubanianam* sunt circulares,

lares, vel potius conorum truncatorum portiones, aperturis deinde cylindricis perforandæ, per quas tormenta exonerari possunt; vel quando in angulo quodam, cui majoris soliditatis causa rotunditas inducta est, janua facienda proponitur. Casuum ingens sese offert varietas, quibus curvas iterum, quas duplicis curvaturæ diximus esse, maximam partem emergere, nemo est Geometrarum, quin animo præcipiat. *Capite tertio* agitur de Fornicibus, occurfu cylindri cum sphaera genitis. Ob uniformitatem sphaeræ non tanta hic casuum varietas est; quin imo, si sphaeram ipsam consideres, duo tantum locum habent, si nempe axis cylindri per centrum sphaeræ transeat, vel non transeat. Quodsi vero ad ipsam dispositionem commissurarum, quibus lapides inter se junguntur, prætereaque ad situm cylindri respectu horizontis, attendas, paulo plus emergit varietatis. Huc referri quoque possunt occurfus sphaeroidum cum cylindris. *Capite quarto* sermo est de Fornicibus conicis, sese mutuo penetrantibus, quæ quidem res suis obnoxia est difficultatibus. Theoriam casuum quorundam specialium *Tomo primo* jam excussit Autor, qui ad praxin sunt præ reliquis accommodatiores, missa solutione generali, quæ omnem rerum varietatem complecteretur, quamque vires suas superare, non dissetur Vir Clarissimus. Ea de re cum Cel. *Bernoullium* consultasset, formulam generalem analyticam, quæ simul omnia exhauriat, calculum parere prolixum magis, quam arduum, is respondit. In ejusmodi autem casibus raris & difficilioribus, mirum non est, Autores practicos falsam constructionis rationem præscribere, id quod hic accidit *P. Derano*, quem eapropter reprehendit Noster, monstratque, genuinam operationem vix tantum difficultatis, quantum erronea *Derani*, habere. *Capite quinto* de Intersectionibus superficierum conicarum cum sphaericis sermo est. *Sexto* casus ii ad examen revocantur, quibus Fornices sphaerici, cylindrici, vel conici, committuntur annularibus. *Septimo* de Fornicibus agitur, qui componuntur e superficieribus, tam regularibus, quam irregularibus. Irregulares autem ab Autore vocantur *Cylindroidicæ, Conoidicæ, Sphaeroidicæ*. Talis itaque Fornix est, e. g. quando
Cylind-

Cylindrus a Conoide penetratur. Autor non solum curvas intersectionum, sed lapidum quoque committuras, singularem efficere docet. Huc pertinet quoque illud Fornicum genus, quod apud Gallos nomine *la Vis de St. Giles* celebratur, nihilque est aliud, quam conjunctio superficierum cylindroidicarum, ad horizontem inclinatorum. Is vero qua ratione non super quadrato solum, sed super alio quovis polygono, extruendas fit, fuse demonstratur, tantumque facilitatis, quantum in re difficili fieri potest, operationibus offertur. Quo facto, *Capite octavo* transitus fit ad Fornices, ex conicis & cylindroidicis compositos, quorum usus est in celebri quodam scalarum genere, quas suspensas (*des Escaliers suspendus*) Architecti Galli vocitant. Ita autem singulari artificio construuntur, ut ab uno solum latere fulcris imitantur suis, ab altera vero apertæ profus sint, adeoque in libero quasi aere pendere videantur, ut eo copiosiore luminis affluentiam recipere possint. In hac vero constructione expedienda nova quadam ratione vertatur Autor, & qua in re peccent Stereotomici scriptores, *P. Deran & de la Rue*, luculenter exponit. Exempla ejusmodi scalarum in ædificiis Parisiensibus, superiori Seculo structis, adhuc frequentissima sunt; nostra tamen ætate usus earum sensim sensimque exolevit, mutata nempe, ut solet, ædificandi ratione. Quibus ita declaratis, progressus *Capite novo* fit ad aliud quoddam Fornicum genus, qui ex annularibus & conoidicis, sibi invicem commissis, resultant. Galli vocant *des Pontes d'aretes sur le noyau*. Quorum constructio rursus ex illarum numero est, quæ ab Autoribus vitiose traditæ sunt, quod licet perspexisse videatur *de la Rue*, medelam tamen, ut par erat, morbo hæud attulit, idque ignorantia curvæ, projectionem sectionis utriusque Fornicis ichnographicam referentis, quam circulatam cum *Derano* opinatus est, a qua tamen non leviter abhorret. *Capite decimo* de occurru Fornicum helicoidicorum cum sphæroidicis, cylindricisque, tractatio instituitur. Quæ res cum difficultatem non levem præ se ferat; de ea effectui danda multum laborarunt architecti. A vero hic, ut in pluribus aliis, aberravit *P. Deranus*, reprehensus eapropter a *de la Rue*, qui correctiorem

re&tiorem operis designationem tradidit, sed demonstratione omni destitutam, ut adeo vel hoc nomine laudandus sit *Frezierius*, quod rem difficilem, quæ alias mysterii architectonici loco habetur, in luce ponere amissus fuerit. Ad hoc ideam *Caput* refertur occur&us Fornicum helicoidicorum cum conoidicis, qui non minoribus sc&ter difficultatibus. Expositis igitur artificiis, quæ in construendis omnis generis Fornicibus, quales quidem in operibus architectonicis usu venire possunt, requiruntur, ad constructionem scalarum data opera pertractandam sese convertit Cel. Autor, quam secundum partes singulas perquam studio&e excutit; cumque multum iis insit varietatis, *Caput* sequens, idque numero *undecimum*, iis destinavit. Quod sequitur tandem *Caput duodecimum*, Appendicis loco habendum est. In eo id sibi operæ sum&it Cel. *Frezierius*, ut varias, easque perutiles, præceptiones daret, quæ ad ipsam Fornicum eff&ctionem pertinent. In ea nempe attendendum est 1) ad latitudinem, sive crassitiem, pilarum, qui onus Fornicis ingravescentis sustinent; 2) ad robur pegmatum ligneorum atque circularium, quibus lapides, Fornicem constituturi, imponuntur, determinandum. Quod ad crassitiem pilarum attinet, neminem fugit, Architectos eam in rem regulam quandam sibi effinxisse, nulla ratione solida nixam, ita ut mirari oppido subeat, Mathematicos celebres, e. g. *Blondellum*, *Des Ch&ales*, inter Architectos vero ipsum *de la Rue*, e nostris denique *Sturmius*, & fors&an alios, eam sine omni formidine usurpasse, publiceque commendasse. Primus autem, qui ex veris Statices principiis hanc in rem inquirere, idque cum successu, amissus est, fuit insignis Geometra *Phil. de la Hire*, cujus de hac re excellens Schediasma ex&tat in *Commentariis Acad. Scient. Paris. A. 1712*, cujus contenta in usum suum egregie vertit, & facilliori modo exposuit, *Belidorus* in *Scientia Architectorum militarium Lib. II Cap. 1*. Negari enim nequit, obscuritatis quidquam Schediasmati *Hir&ano* inesse. Noster, de regula *Hir&ana* verba faciens, in Architectum quendam suæ gentis haud ignobilem, *Gautierium*, invehitur, qui eam, cum nequiret comprehendere, ansam fugillandi arripuit, novamque ex proprio ingenio depromsit.

fit. Post *Hiræum* in hac materia versatus est Cl. *Coupletus*, maximam accuratorem, quin subtilitatem, sectatus. Cum enim *Hiræus* supposuisset, arcum Fornicis ab energia oneris incumbentis circa gradum altitudinis a pila quadragesimum quintum findi, non refragante scilicet experientia; *Coupletus*, adhuc propius ad quæsitum accedi posse, existimavit, si lapidum singulorum, e quibus arcus componitur, ratio habeatur, quos ut politos consideravit, exindeque plura deduxit Theoremata æque pulchra ac utilia, ceu videre est in *Commentariis Acad. Paris. A. 1729*. Cum vero calculo paulo prolixiore, & ad praxin non satis facile accommodando, usus sit Vir Clarissimus, solutionem ejusdem Problematis simpliciorum a summo Viro, *Jo. Bernoullio*, impetravit *Frezierius*, eamque hic loci integram inseruit. Pendet autem ea a principio æqualitatis energiarum, in statu æquilibrii potentialium quarumcunque agentium, quod *Bernoullius* cum *Varignon* primum communicavit, qui de eo fuse egit in novæ sive *Mechanicæ Tomo II pag. 174 seq.* & ad machinas simplices singularem applicavit. Regula hæc est: *In omni æquilibrio potentialium quarumvis, quacunque ratione & quibuscunque directionibus in se invicem agant, summa energiarum affirmatarum æqualis est summe Energiarum negativarum, affirmative sumtarum.* Cujus quidem regulæ, si unquam, maxima hoc in negotio opportunitas est, quod facile perspexerit, qui solutionem Problematis *Coupletianum* cum *Bernoulliana* contenderit. Tandem vero in *Commentariis Paris. A. 1730* novam, eamque magis physicam, Problematis enodationem dedit *Coupletus*, ubi lapides cæfos non amplius ut politos, sed ut scabrosos, quales re vera sunt, contemplatus est. Cum vero sic quoque in formulam valde compositam inciderit, eam ut circino & regula construere Architectos doceret, *Frezierius* allaboravit. Tacemus, *Danissum*, Societatis *Montepessulanæ* Membrum, novam dedisse regulam practicam, effectu reliquis omnibus faciliorem, sed a rigore mathematico alienam, licet non diffiteamur, eam propius abesse a vero, quam vulgarem illam Architectorum constructionem, quæ pilis justo minorem latitudinem tribuit, id quod exemplis, hanc in rem allatis, demonstrat *Frezierius*, dataque occasione

caſione de ſumma theoriæ ſolidioris neceſſitate in rebus iſtiusmodi practicis, quæ maximi utique momenti ſunt, multa exponit. Ne autem aliena tantum videatur ſcrinia expiſaſſe, Supplementi loco applicationem hujus doctrinæ ad Fornices varii generis, compoſitos præſertim, de quibus apud omnes Autores altum huc uſque ſilentium fuit, uberrime nos docet, eoque ipſo ſcientiæ Architectonicæ acceſſionem haud ſpernendam facit. De robore pegmatum ligneorum, arcus ædificandos ſuſtinentium, verba facturus, epitomen Diſſertationum, a *Pitoto & Coupletto*, Viris Clariffimis, in *Commentariis Acad. Pariſ. A. 1726 & 1729* hanc in rem conſcriptarum, exhibuit, & quæ ſuſius dixerant Viri laudati, in tria ſolum Problemata compegit. Et hic quidem totius Operis, laude omni digniffimi, finis eſt, nihilque exoptandum magis, quam ut viri, ædificandi experientia & gultu polentes, ad theorias mathematicas, præcipue vero geometrico-mechanicas, quas, licet utramque in hiſce rebus paginam faciant, ſuſque deque huc uſque habuerunt, penitus rimandas, & in uſum deinceps vertendas, animum poſtliminio quaſi applicent, adeoque ad legem *Vitruvii*, qui plus ſcientiæ ab Architecto, quam a fabro murario, poſtulat, ſe prorfus componant. Appendicem denique Operis facit Diſſertatio de Columnarum ordinibus, lectu ſane digniffima, qua de vera earum origine & conformitate cum primitiva ædificandi ratione, nec non de licito & illicito earum in operibus architectonicis uſu, diſſeritur, luxuries denique Architectorum in iis adhibendis, & infana innovandi libido, virgula cenſoria notantur.

JOANNIS BURMANNI, MED. D. ET IN HORTO medico Amſtelædamenſi Botanices Profeſſoris, variorum Africanarum Plantarum, ad vivum delineatarum, iconibus ac deſcriptionibus illuſtratarum, Decades octo.

Amſtelædami, apud Henricum Bouſſiere, 1738, 4 maj.

Alph. 1 plag. 6, cum Tabb. æn. 80.

Inde ab antiquissimis temporibus rem herbariam suis nunquam fautoribus destitutam fuisse, compertum est, qui tum in colligendis Plantarum manipulis, tum & in iisdem describendis, omnem adhibuerunt operam, summa apud posteros laude adhuc digni habendi, quamvis non ita ad amissim, & ex seculi nostri genio, plantarum observationi vacaverint. Longe alia quippe nostro aëvo facies rei Botanicae deprehenditur, cum ne minimum quidem sit stamen, quod non maxima observationis accurate dignum; unde factum, ut, cum olim paucioribus plantarum generibus contentus vixerit orbis Botanicus, nunc quamplurimæ centuriæ nominum & generum novorum numerentur. Plantarum autem in ordinem methodicum paulo curatior facta digestio non potuit non multis olim perperam conjunctis plantis, nunc omni jure segregandis, uberrimam suppeditare occasionem. Accessit huic laudabili cœpro plurimorum rei herbariæ fautorum fervor, qui in plantarum speciebus non solum indigenis colligendis admodum fœre industrii, sed & ad extremos Arabes & Indos, Oceanum glaciale, & quorsumcunque domum, excurrentes, peregrinos congregare plantas, & sic non solum suo, sed & aliorum, desiderio, nova in dies detegendi & cognoscendi, fecere satis, sicque nominis & famæ æternitatem sibi compararunt. Inde est, quod tam multas plantarum, antehac minus cognitarum, collectiones, quas tantorum virorum industria & itineribus debemus, nunc cum voluptate intueri liceat, quas sibi solis retinere velle, minus justum reputantes, publici esse juris voluerunt, adeo, ut neminem jam latere possit, quam fertilis sit Zeylania, Amboina, Imperium Russicum, Turcicum, aliæque regiones, plantarum copiosissimarum suppellectile. Neque plantas Africanas latere quemquam voluit Cel. *Jo. Burmannus*. Postquam enim non ita pridem Zeylanensium Plantarum Thesaurum edidit, promisso, tunc temporis dato, sese exsolvere constituit, cum, Africanarum quarundam Plantarum descriptionem se pari modo proditurum, spem faceret. Impeditus equidem gravissimo quodam morbo, ab instituto fere plane desistere, & Botanicae rei

rei valedicere, constituerat, Clinicæ Medicinæ tantum posthac vacaturus. Tractus nihilo minus plantarum deliciis, mutavit consilium, & humanitate viduæ *Caspari Commelini*, filii, viduus, hoc, quod nunc edidit, Opus orbi erudito invidere noluit, quod Appendicis loco esse vult Collectioni Plantarum Africanarum, quas *Caspar Commelinus* antehac evulgavit. Cum primis autem in toto hoc Opere, *oſſo Decuriis* Plantarum rariorum absoluto, quod ad nomina nova, plantis data, *Linnaeum* est secutus. Ne tamen & lectoribus desit occasio, easdem apud alios Autores, quamvis alii generi subordinatas, querendi, earundem synonyma ex *Plukatio*, *Rajo*, *Hermanno*, *Commelino*, *Dillenio*, aliisque, adjecit. Totum ceteroquin Opus nitidum, & sive literarum typos, sive Figuras æneas, spectes, speciosum esse, fateri convenit, adeo, ut non solum de Autoris Celeberrimi insigni in re herbaria eruditione testetur, sed & sese, quod ad externam formam, omnibus facile commendet.

**ALEXII SYMMACHI MAZUCHII DE ANTI-
quis Corcyræ nominibus Schediastina, ad Eminentissimum
ac Reverendissimum ANGELUM MARIAM QUIRI-
NUM, S. R. E. Card. Bibliothecarium, Episco-
pum Brixianum.**

Neapoli, typis & expensis Novelli de Bonis, typographi Archiepiscopalis, 1742, 4 maj.

Plag. 3.

De Primordiis Corcyræ Opus Eminentissimi *Quirini* tam multijuga eruditione refertum, tot præstantissimorum Scriptorum, qui illustrantur & emendantur, testimoniis, quasi gemmis quibusdam, exornatum est, ut optima omnium temporum ingenia ad illud symbolas suas contulisse videantur. De antiquis Insulæ nominibus *Cl. Mazuchius* sententiam, a *Bocharto* propositam, fovet, esse ea ex orientalium linguarum penetralibus eruenda, non eadem tamen, ac ille, via incedit. Negat enim, *Scheriam mercaturam* significare, sed illud Insulæ nomen mavult a fluviorum cohibitione deducere. *Aristoteles*

enim autor est, *Cercrem*, veritam, ne defluentes ex Epiro fluvii ipsum continentem efficerent, a *Neptuno* petiisse, ut cursum eorum averteret, quibus cohibitis (*ἰπικυαθίντων*), eam *Scheviam* nuncupatam. Inepta tamen hæc Cl. Autori etymologia videtur; quare ex Hebraica lingua verbum סגור, *Sagar*, quod est *præcludere, retinere*, excitat, unde apud Arabes سبور, *Subron*, est agger, quo amnis obstruitur. *Drepane* forte dicta est ab Arabico در, quod de aquis fluentibus interdum usurpatur, vel a Chaldaico זרב, *Zerab*, quod effundendi & profluendi notionem habet. Non tamen in hoc acquiescit, sed mavult a צרף, *conflare*, Chaldaice *conjungere*, quod *Ceres* verita sit, ne continenti insula accederet, *Drepanes* nomen derivare, ita quidem, ut *n* servilem literam, *d* vero pro *n* poni, arbitretur. *Phæacia* forte a פקא, *phukaha*, quod apud Arabicum Bibliorum interpretem *divinos* significat, originem habet, ut Phæaces a divinandi ominandique arte appellentur. *Macris* quoque inter vetera Insulæ nomina relatum invenimus, neque tamen a μακρὸς, ut placet eruditis, sed ex Hebraico מקרין, *Macrin*, hoc est, *cornua promittens*, ob plurima promontoria sua, repeti debet. *Corcyra* denique nomen non, nisi e quatuor radicalibus literis, compositum est; vel enim oritur a כרר, quod abundantiam fructuum notat, vel eo ad præcipua Phæacum studia, saltationem, & rei nauticæ peritiam, respicitur, ut sit a כרכר, *ludere, ridere*; vel denique, bello acres viros ipsos fuisse, innuitur, tunc a קרקר, *vastare*, deducitur, unde etiam *cercurus*, navis genus, vocatur. E quibus etymologiis maxime Cl. Autori ea placet, quæ, navalis rei scientia excelluisse *Corcyraeos*, prodit, *Homeri* autem narrationes, de fertilitate insulæ, aurigandi, saltandique, studio, quod incolis tribuit, ejusmodi etymologiis tantum superstructas esse, arbitratur.

ANGELI MARIE QUIRINI, S. R. E. CARDINALIS, Bibliothecarii, & Episcopi Brixiani, ad Doctissimum & Clarissimum Virum, ALEXIUM SYMMACHUM MAZOCHIUM, Canonicum Neapolitanum, & Sacræ Scripturæ Regium Interpretem, Epistola.

Romæ,

Romæ, 1742, 4 maj.

Plag. 2.

Eminentissimus *Quirinus*, gratam sibi Cl. *Mazochii* operam fuisse, testatus, Insulæ nomina, ex Orientis linguis illustrata, in hac Epistola perpendit. Non temere *Scheria* etymologiam, a Græcis Scriptoribus traditam, quippe qui majorem linguæ suæ cognitionem habuerint, quam nos hodie omnibus curis ac vigilis nostris assequi possimus, rejiciendam esse, cumque, *Drepanem* a falce insulam dictam, iidem scribant, non aliunde derivari debere, docet. De Phæacia & Macride animadversa probat, eaque, singulari cum solertia scripta, laudat. Inter Corcyræ etymologias eam, quam *Mazochius* ceteris præferendam duxit, eligit, negat tamen, inconditam narrationum farraginem ipsi superstructam esse. Neque recte otiosis Mythologis *Homerum* accenseri, ex eo præcipue colligit, quod, cum Corcyræorum Principum nomina Græca sint, Insulæ quoque appellationes ex eadem lingua eruendæ sint; maxime cum *Homerus* non ea videatur Orientalium linguarum pericia valuisse, quam *Blanchinus* ipsi aliique tribuunt. Mirum præterea videri, quod Poeta, qui nec semel Corcyræ nomine usus est, fabulosas narrationes comminiscendi ansam inde arripuisse dicatur. Ceterum de suis orientalibus studiis Eminentissimus Autor nonnulla commemorat, utque errores sumniorum Virorum, passim in Primordiis Corcyræis emendatos, iterum examinet, a Cl. *Mazochio* petit.

EJUSDEM AD DOCTISSIMUM ET CLARISSIMUM Virum, CLAUDIUM DE BOZE, perpetuum Secretarium Gallicæ Regiæ Academiæ Inscriptionum & bonarum literarum, Epistola.

Romæ, 1742, 4 maj.

Plag. 4, cum Fig. æn. 2.

Alius jam operis, si formam species, exigui, si res in eo tractatas, magni momenti, notitiam Lectori damus. Describit Eminentissimus Purpuratus Diptychum eburneum, quod ad *Paulum II* Pontificem olim pertinuit, cum adhuc *Vicentinus*

nus Episcopus esset, & varia de eo judicia eruditorum in Gallia & Italia affert. Cl. *Bozjus*, ad quem Epistola directa est, nomine Academix, nihil certi inde se exsculpere, cum amantes, in eo expressi, habitu plane singulari compareant, respondit. *Gorius*, in una parte *Venerem* & *Adonin*, cui canis adstat, in altera *Lunam* & *Endymionem*, quorum fabulas ex *Macrobio* aliisque illustrat, exhiberi, & ab Imperatore *Commodo* in venationis ludo Diptychum oblatum esse, conjicit. *Massaus*, *Atin*, quod ex relictis virilibus appareat, & *Cybelen* a pictore insculptam, mirumque, quod nulla Deæ symbola addita sint, arbitratur, Consulare autem Diptychum esse, negat. *Muratorius*, sponsalia incerta his figuris denotari, censet. *Joannes* denique *Franciscus Baldinus*, Diptychi partem, quæ dignitates Consulis præferebat, amissam, *Meleagrum* vero & *Atalantam*, *Paridem* item & *Helenam*, hic insculptos, *Honorii* cum *Marii* & *Thermantia*, *Stiliconis* filiabus, nuptias designare, putat. Excurrit in sequentibus Eminentissimus *Quirinus* in *Pauli II*, cujus erga artes studium ac voluntatem, numerorumque veterum cognitionem, prædicat, laudes, variorum testimonio scriptorum confirmatas. Tandem ad Brixianum *Boetii* Diptychum venit, quod, adducta *Philippi a Turre* Epistola, illustrat, de unico ejus Consulatu *Sirmondi* & *Pugii* sententias amplexus. Finem Epistolæ impositurus, Cl. *Bozio* dubia, perlecta *Mazochii* de antiquis *Coreyræ* nominibus Diatribe, sibi oborta, exponit.

JO. MARTINI CHLADENII Einleitung zur richtigen Auslegung vernünftiger Reden und Schriften, 2c.

hoc est,

INTRODUCTIO IN ACCURATAM INTERPRETATIONEM scite compositarum Orationum & scriptorum, sive Ars Hermeneutica.

Lipsiæ, sumptibus Lanckisianis, 1742, 8.

Alph. 1 plag. 21.

Hermeneuticam generalem, scientificè conscriptam, hujus artis cultoribus sistere Doctiss. Autor annisus est. Quem sinem sic demum se consecuturum esse existimavit, si notiones, doctrinam hermeneuticam ingredients, per justas definitiones, cum univervo

universo veritatum universalium systemate connecteret, & in ipsa interpretationis & commentariorum elementa altius inquireret. Neque enim principia hujus artis recte inspiciuntur, si tantum, quod olim factum est, de interpretatione integrorum librorum agatur, quippe quæ non est una interpretatio, sed turba & cumulus interpretationum. Id igitur potius in hac arte spectandum atque docendum est, quæ & qualis sit interpretatio singulorum *locorum*, sive minimarum partium cujusque libri, quod si tantummodo cognitum, præceptisque concludimus, habeamus, regulas, amplissimos quosque libros interpretandi, & Commentariis illustrandi, facili postea negotio detegemus. Necessarium igitur duxit Cl. Autor, hancque condendæ disciplinæ suæ legem sibi scripsit, ut omnes locos, qui obscuritate quadam laborare possunt, pro diversis obscuritatis causis, ad certas species reduceret, & ex cujusque speciei notione, quæ in eam cadat conveniatque, interpretationis formam demonstraret. Etsi vero vix fieri posse videri queat, ut loci obscuri, aut interpretationum formæ, quæ innumera videntur, ad species revocentur, & tantum non numero comprehendantur, id tamen effici posse existimavit & ostendit Autor, si *locos* ex objectorum, de quibus agunt, ac reliquarum suarum affectionum, diversitate æstimemus. Quemadmodum nempe omnes libri vel dogmatici sunt, vel historici, vel ad alterutrum genus proxime accedunt; ita quælibet minuta libri pars, sive *locus*, aut est *dogmaticus*, si *universalem*, aut *historicus*, si *singularem*, propositionem referat. Quare omnis interpretatio aut circa locum dogmaticum, aut historicum, versatur. Præterea propositiones, quæ interpretis industriam desiderare possunt, alias adhuc, & quidem istiusmodi, affectiones habent, quæ in singulis quidem locis, sigillatim sumtis, vix animadverti solent, sed illustriores & magis palpabiles sunt, si per integrum forte librum regnent; veluti quod *locus* sit, si primam ejus originem spectes, ore prolatus, unde *orationes* dicuntur, etiam tum, cum jam scriptæ sunt; vel quod sit scriptus, unde plerique libri *κατ' ἔξοχὴν scripta* dicuntur; quod sit declarandis mentis suæ sensibus imprimis ab Autore destinatus, unde nonnulli libri *Confessiones* appellantur: quod

locus denique *sententiam* complectatur, unde *libri sententiosi* nascuntur, Gallis *les Ouvrages d'Esprit* appellati. Quæ igitur vulgo integrorum librorum affectiones esse existimantur, has Cl. Autor ad singulas libri cujuscunque partes, seu locos, refert, & ex his fundamentis novam hanc interpretandi artem educit. Antequam vero lectores vel ad interpretandi notionem, vel ad præcepta, admittat, varia argumenta, extra pomœria quidem hujus disciplinæ sita, ad eam tamen cognoscendam imprimis facientia, *tribus Capitibus* exponit. *Caput primum* de *Sermonis* affectionibus & *speciebus* agit, quales sunt *alloquia, colloquia, orationes, chori, &c.* *Caput secundum* scripta, sive *libros*, strictiori sensu sumptos, itidem pro objecti, in quo exponendo versantur, varietate, vel etiam ex scribendi genere, in species distinguit; imprimis vero *libri sententiosi*, quorum species maxime illustres sunt libri Oratorum atque Poetarum, non exclusis tamen Epistolis, accuratius scriptis, ut & Historiis, ad exemplar *Livii & Taciti* scriptis, ad notionem distinctam revocantur. Dicuntur autem hi libri sententiosi a crebris, quibus undique fulgent, *sententiis*. *Sententiæ* vero (*pensées*) Autori nostro sunt propositiones, quibus plura, & a diversis intellectus facultatibus producta, judicia respondent. Ex qua definitione indolem atque regulas sententiosi dicendi scribendique generis philosophica ratione derivari posse, monet Autor, quale quid aggressus quondam est *Dominicus Bouhoursius* in libro, *la Maniere de bien penser dans les Ouvrages d'esprit* inscripto. *Caput tertium* de vocibus & terminis agit, ita, ut non solum usitatæ divisiones accurate definiantur, sed etiam novæ, præsertim in *significatione* vocum constituenda, species & affectiones proferantur. Sic termini *equivoci* distinguuntur a *vagis*; illis multiplex significatio respondet, *his* vero non solum multæ, sed ne quidem a se invicem distinctæ, notionem, sive significationem, respondent; simulque ostenditur, æquivocas voces, si modo non sint *vagæ*, nullum cognitioni veritatis impedimentum, nullam libris scientificis obscuritatem, afferre. Significatio vocum *vulgaris* non solum opponitur *metaphoricæ*, sed etiam *accidentali*, significationi, quam Autor dicit esse eam, quam vox ex circumstantiis *loci & temporis*, quo oratio profertur, accipit.

§ 62.

106.

pit. Termini quoque, quorum notio est *complexa*, sive ex
 iudicio orta, distinguuntur a ceteris, per hanc maxime affe-
 ctionem, quod intellectui quidpiam bis repræsentent. *Caput* §. 129.
quartum de notione Interpretationis & Hermenevticæ agit. *In-*
terpretari nempe est notiones proferre, quibus lector opus 144.
 habet ad locum perfecte intelligendum. Neque enim inter- 145.
 pretationi sufficit, si sensus loci cuiusdam obscuri aliis verbis
 expressus indicetur, & extra librum monstretur, sed efficien- 169.
 dum est, ut lector verum & perfectum loci sensum sua sponte
 in libro antea a se non intellecto ipse inueniat. *Locus* autem
obscurus non is est, qui in se nullum certum habet sensum,
 (hujusmodi enim locus, si forte reperiatur, nullius interpre-
 tationis capax est,) sed is, ad quem lector non satis præpara-
 tus accedit, ubi interpretis institutione & admonitione sua effi-
 cere potest, ut lector idoneus fiat ad sensum loci introspecien-
 dum. Quemadmodum vero *obscuritatis*, eo, quo diximus,
 sensu sumtæ, variæ reperiuntur causæ; ita variæ locorum ob- 179.
 scurorum classes constituendæ sunt, pro quarum diversitate
 diversæ quoque interpretationes adhibendæ sunt. Scientia ve-
 ro, quæ cuique loco obscuro conveniat interpretatio, *Hermenevtica*
appellatur. Hæc disciplina cum summo studio non solum in usum
 Theologiæ atque Jurisprudentiæ, sed etiam humaniorum literarum,
 tractanda sit, valde incommode 176.
 in Logica sedem suam habere huc usque credita est, quando- 189.
 quidem Logica multa, quæ ad hanc scientiam cognoscendam 190.
 scitu sunt necessaria, plane non tangit, multa obiter saltem ex-
 ponit; id quod ad obscurandam hujus artis formam non mi-
 nus virium habuit, quam confusio regularum criticarum ac
 philologicarum cum hermenevticis, & admixtio aliarum re- 177.
 rum, quæ, etiamsi interpretationis vocabulo vulgo denotantur,
 ab hac tamen disciplina alienæ sunt. Præterea regulæ legendi 178.
 libros ab interpretatione distinguendæ sunt, non ita quidem, ut
 ex hac arte excludantur, ita tamen, ut a regulis interpretandi 180.
 separatim proponantur, iisdemque subjungantur. *Caput quin-*
tum interpretationes *sermonum*, quatenus scriptis opponuntur,
 docet, ita, ut causæ obscuritatis, quæ a vultu dicentis, aut 181.
 gestu, aut loci circumstantiis, dependent, exponantur; quibus in

- Colloquiis* accedant quæstiones, itemque casus & interpellationes. Flures difficultates atque interpretandi causas *compendia orationum* continent. Inquiritur porro, qualis sit idea orationis, cum *uno* saltem *verbo* indicatur, & quæ in hujusmodi voces interpretationes cadant. In *Capite sexto scriptorum*, quatenus orationibus opponuntur, interpretationes explanantur, inprimis quod circa *interpunctiones* interpretis sit officium; 239, 236. deinde archetypa scripta cum apographis comparantur, & emendationes apographorum interpretis officii eximuntur, porro *librorum impressorum præ manuscriptis* commoda breviter recensentur, addita observatione, quod elegantia typorum, quibus nunc utimur, tantum ad illustrationem librorum conferat, ut instar Commentariorum libri, nostro more impressi, considerari possint. Denique de interpretatione *scripturarum occultarum*, itemque *hieroglyphicarum*, nec non librorum, quorum potioem partem *Calculus* constituit, hoc monetur, 243. eam partim non valde necessariam, partim ab hac arte interpretandi longe sejunctam, esse. De orationibus & scriptis, quatenus *declarandis* cogitatis nostris inserviunt, peculiari *Capite*, quod in ordine est *septimum*, agendum sibi esse putavit Autor. 256. *Decluramus* nempe tam ea, quæ *cogitamus*, quam ea, quæ *volu-* 259. *mus*. Sunt autem omnes sermones, quin etiam scripta omnia, *declarationes* mentis, nisi aut per jocum loquamur, aut aliam personam vel vi officii, vel per simulationem, referamus. Declarationes vero sunt hinc vel *veræ*, vel *simulatae*, hinc vel *apertæ*, 263. vel *ambiguæ*, & ænigmaticæ. Species vero declarationum recenset Autor *asseverationes*, *juramenta*, *confessiones*, tum quas- 265. cunque, tum ad doctrinam & fidem spectantes, *testimonia*, *promissiones*, *comminationes*, *mandata*, *leges*. Post hæc, quomodo una declaratio vel *generatior*, vel *specialior* altera, dicatur, 277. explicatum est. De *locis* denique *parallelis*, post traditam definitionem, ostenditur, quod junctim sumti hinc *asseverationis*, 283. hinc *specialioris declarationis*, virtutem habeant. *Caput* 287. *octavum*, interpretationi librorum historicorum destinatum, ita 289. Autor instruxit. *Historia*, quæ est notitia & enarratio rerum 291. gestarum, & factarum, & propterea ab ipsis rebus, quæ gestæ 301. aut factæ sunt, probe distinguenda, quanta quanta est, judi- 303. eiis

ciis hinc *intuitivis*, hinc *discursivis*, constat, maxime tamen intuitivis, ob difficultates, quæ judicia discursiva, de rebus gestis formanda, premunt. Quemadmodum vero judicia intuitiva non ab omnibus hominibus, quasi spectatoribus, eadem, sed a diversis diversa, formantur, pro diverso puncto visus, ex quo quisque rem gestam aut factum inspicit; ita res gestæ diversis hominibus diversa ratione repræsentantur, unde discrepantes, nec tamen propterea falsæ, ejusdem rei gestæ narrationes ortum trahunt. Sed historia, ex certo puncto visus narrata, alteri, qui ex alio puncto visus eandem cognovit, hinc impræ-
 visa, hinc paradoxa, hinc incredibilis, hinc conficta, nec bona fide narrata, apparet, quæ singula interpretationis non unius necessitatem pariunt. Nempe 1) efficiendum, ut historia credibilis fiat, id quod non per suppressam lectoris attentionem, sed per comparationem circumstantiarum, obtinendum est, quæ vel ignorabantur, vel non attendebantur, a lectore; 2) ut contradictio apparens, cujus plurimæ causæ adesse possunt, ex historia tollatur, quod per conciliationem, cujus indoles ab Autore explicatur, fieri debet, quibus rebus simul historię veritas & scriptoris fides vindicatur. Multum præterea interest, an rem gestam distincte, an confuse, cognoscamus. *Distincte* rem, quæ gesta aut facta est, cognoscimus, quando determinationes individuales introspicimus; *confuse* vero, quando & quatenus rei gestæ determinationes saltem generales perspiciamus. Et sæpe consilio cognitionem nostram distinctam in confusam convertimus, quemadmodum prolixa historia everfarum terræ motu 12 urbium Asiæ, Tiberiique munificentia restitutarum, quæ apud Tacitum *Annal. Lib. I Cap. 47* exstat, a Vellejo Paterculo *Histor. Rom. Lib. II f. 126* una propositione comprehenditur: *Restitutæ urbes Asiæ*. Hujusmodi *contracta historia*, quales in Tacito, Livio, Vellejo Paterculo, permultæ reperiuntur, si dextre connectantur, *historiam sententiosam* constituunt. Hi sententiosi libri historici, & singuli eorum loci, multis interpretationibus opus habent: nempe 1) ob verborum ambiguitatem, qua hæ narrationes necessitate quadam laborant; 2) ob *vestigia* historiarum, in hujusmodi locis delitescencia: cum vero difficile sit, ex vestigiis historiam ipsam

§. 306.

318.

307.

309. 310.

308.

311.

313.

315.

316.

319.

320.

322.

329.

330.

334.

336.

- §. 339. eruere, succincta *vestigiorum historicorum* theoria traditur;
 340. 3) ob ea, ad quæ scriptor historiæ respexit: unde multiplex
 344. Interpretis officium oritur, in explanando libro historico ver-
 fantis, & multiplex cautio apud lectores, si, interprete desti-
 tuti, lectionem hujusmodi librorum aggrediantur. Accedit
 347. autem his libris nova obscuritas ex terminis metaphoricis, quos
 351. admixtos habent. Eadem fere ratio est *descriptionum*, quæ
 437. enarrant res, quæ in mundo *sunt & perdurant*. Utrunque *no-*
 365. *minum propriorum* multitudo sæpe obscuritatem parit. Ho-
 366. rum tamen notiones, intelligendis Autoribus aptæ, non satis
 388. tuto e Lexicis, ad quæ ceteroquin non male confugimus, ad-
 400. discuntur, sed ex ipsa historia rei, vel personæ, nomine de-
 notatæ, repetendæ sunt. Ab his præceptis, quæ ad interpreta-
 tionem librorum historicorum ratione sensus immediati spe-
 ctant, Autor progreditur ad eorum *applicationem*, & *sensum*
 417. *mediatum*; quo pertinet 1) loci historici ad probandam ali-
 418. quam historiam translatio. Non potest autem, nec debet, hæc
 probatio uno modo confici, sed diverso, prouti historia pro-
 banda vel totidem verbis apud scriptorem exstat, vel ejus sal-
 tem vestigia apud scriptorem, quem testem producimus, re-
 426. periuntur. 2) Notatus usus librorum historicorum ad forman-
 dum systema veritatum historicarum, quod potissimum e do-
 435. cumentis & instrumentis, nec non locis classicis, extruendum
 est. *Locus autem classicus* est illud testimonium, unde pro-
 positio probanda brevissime probari potest. 3) Applicatio lo-
 437-438. corum historicorum in formandis novis notionibus ostenditur.
 4) Tenenda quoque formatio regularum moralium e libris hi-
 431. storiciis, qua ratione libri historici cognitionem vivam excitare
 433. possunt, hoc est, eam, quæ influit in voluntatem, & sic histo-
 444. riæ fiunt *doctrinæ*. Quoad vim doctrinæ tamen inter historias
 eminent *oracula historica*, quorum indoles, quæ tantum per
 448. revelationem cognoscuntur, ac propterea ad Theologiam re-
 457. velatam pertinent, breviter saltem recensentur. Denique, ut ap-
 474. pareat, quomodo sensus locorum historicorum a male sanis
 488. interpretibus perverti possit, speciminis loco aliquot corrupte-
 492. larum species recensentur. Libris historicis succedunt *dogma-*
 tici, qui *Capite nono* in varias species dividuntur, ideo, quod
 veritas

veritas universalis quælibet, nedum complexus veritatum universalium, ex variis *punctis visus* spectari potest. Libri quidem §. 517.
systematici tanta gaudent perspicuitate, ut sibi ipsi sufficiant, & sine interpretis auxilio intelligi queant; quia tamen, qui hujus 501.
 generis præstantissimi a nonnullis habentur, nempe mathematici, in scholis explicari solent, & explicatione omnino opus habent, qualis hæc sit, ostenditur. Densior interpretationum lux affunden- 510.514.
 da libris dogmaticis *vulgaribus*, qui non tam veritates demonstratas, quam *quæstiones*, continent, nec ipsi sunt unius generis, sed di- 523.525.
 versi, prouti vel *quæstiones integras* tradunt, vel *amputatas*, & in compendium missas. Utrobique multa interpretatione opus est, 1) ob vocum vulgarium ambiguitatem; 2) ob terminos 535.
 technicos non definitos; 3) ob formam propositionum non de- 538.
 terminatam; 4) ob probationes historicas admixtas; 5) ob prin- 541.
 cipia precaria; 6) ob notionum, quibus lector nondum imbu- 545.
 tus est, novitatem; 7) ob probationes omis- 547.
 sas; 8) ob contradic- 551.
 tiones apparentes. Est vero librorum dogmaticorum ea 553.
 conditio, ut, quemadmodum nihil, præter veritates universales, 557.
 quæ per rationem cognoscuntur, tradunt, ita toti a *ratione* no-
 stra proficisci debeant. Fit tamen quam sæpissime, ut eruditi
 cum ratione *imaginationem* jungant, unde *libri dogmatici*
sententiosi ortum trahunt. Hi autem libri non solum omnes 558.
 ante enarratas interpretationes admittunt, sed plures etiam, sibi-
 que peculiare, postulant, partim 1) ob stilum periodicum, 560.
 2) partim ob terminos metaphoricos, non definitos, 3) partim 564.
 ob similia, ad illustrandum prolata, 4) partim denique ob pro- 570.
 bationes, ab exemplis petitas. Librorum dogmaticorum sen- 571.
 tentiosorum exempla sunt scripta *Petri Bellii*, & ex parte *Leib-*
nitii meditationes, præsertim *Theodiceæ*. Multitudo obscu-
 rorum locorum mirifice augetur in *Compendiis* librorum
 dogmaticorum, quæ ab Autore in sex species distinguuntur, ut eo
 facilius, quæ cuique sint propriæ interpretationes, ostendere possit. 578-583.
 Hæc igitur sunt potiora momenta hujus *Capitis*, quæ ad sensum im-
 mediatum librorum dogmaticorum spectant, a quo meditationem
 suam Cl. Autor transtulit ad *sensum mediatum*, quem & *applicationem*
 dicere solent, quo ab ipso referuntur, 1) quod dogmata, in libro quo- 587.
 dam tradita, ipsi scriptori impurentur; 2) convictio, quam ex libro- 596.
 rum dogmaticorum lectione reportare possumus; 3) quod ad locum 601.
 libri dogmatici provocare queamus; 4) quod ex loco dogmatico con- 602.
 clusiones formari queant; 5) cognitio viva, ex libris locisque dogma- 610.
 ticis obtinenda, Peculiarem rationem *Oraculorum dogmaticorum* esse,
 postea

- postea ostenditur, vi cuius non per omnia ex his regulis interpretandi æstimanda atque interpretanda sunt, ideo, quod supra rationem positæ, neque demonstrari, neque eodem modo, quo veritates, rationi patentes, ad conclusiones formandas transferri, possunt. Omnia vero, hæc dicta, in subsequenti hujus *Capitis* parte transferuntur ad explicandam interpretationem, quæ locum habet 1) in Historia Dogmatum, quæ diversimode institui potest; 2) in libris Polemicis; 3) in Historia controversiarum. *Caput decimum* generales interpretationis affectiones tradit, 1) cum, sensum alicujus loci aliis verbis exponere, interpretationem ejus loci non absolvat, nisi in quibusdam casibus, regula generali exprimitur, quando interpreti liceat præter declarationem sensus nihil aliud agere. 2) Ostenditur, quid sit *interpretationis probatio*, quæ vel perfecta esse potest, sive completa, vel imperfecta, seu incompleta, & quando ea necessaria sit, vel minus. 3) Interpretationes quidem dari, sed sine arte hermenevtica probari non posse, monstratur, unde utilitas hujus disciplinæ elucet, quæ ulterius exinde declaratur, quod ope hujus artis *locos vexatos* intelligere discamus. 4) Cuiusmodi notiones ad *sensum* cuiusque loci, nec id male, referantur, totus *sensus* ambitus in tres partes distinguitur, in *sensum immediatum*, *sensum mediatum*, sive *applicationem*, & *digressiones*; quaerendus tamen imprimis *sensus immediatus*, etiam tunc, cum maxime ad *applicationem* contendimus, quia, neglecto *sensu immediato*, & *applicationes* infelicitè succedunt, & *digressiones* plane ineptæ fiunt. 5) Quid sit *finem* Auctoris *respicere*, eo accuratius docetur, quæ magis celebrata est *Hermenevtarum* regula, qua dicitur, ad *finem* scriptoris & libri omnia esse referenda. Quia nempe *sensus loci*, ut ante dictum est, certum ambitum habet, ac scriptor ipse sæpe non omnia videt, quæ rectè, loco quodam perlecto, a lectore cogitari possunt; *sensui loci finis* tribuitur, quatenus autor libri eum cum certa limitatione intropexit; quo fit, ut duplici ratione *finem* scribentis negligere queamus, si vel *finem non assequamur*, vel eundem *excedamus*. Pertinet autem regula de observando scribentis *finem* non tam ad *sensum immediatum*, quam ad *mediatum*, & propterea distinctè docetur, quid faciendum sit, ne *finem*, a scriptore intentum, vel non assequamur, vel excedamus; id quod difficile sæpe est, præsertim iis in locis, qui ad *movendam voluntatem* aliquam vim habent; principia tamen stabilire annisus est Auctor, unde explicari potest, quando in lectoris potestate vel sit, vel non sit, scopum scriptoris respectu motuum assequi, & tamen non transgredi. 6) Certitudo *sensus* in libris caute scriptis demonstratur, simulque ab argumento vindicatur, quo ea imprimis labefactari posse videtur, quod scilicet pleræque voces sint *equivocæ*. Demonstratur igitur, multitudinem significationum, in se spectatam, certitudini significationis nihil detrudere, quandoquidem & multitudo significationum unius vocis, & quod in casu speciali hæc significatio alteri anteponatur, non a cæco casu, sed a regulis, si ultima principia spectes, psychologice, dependet. Unde porro certitudo regularum hermenevticarum facili negotio inferitur.

* * *

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maji Anno MDCCXLIII.

SACRA CONCILIA ECCLESIAE ROMANO-CATHOLICÆ, in regno Hungariæ celebrata, ab anno Christi MXVI usque ad annum MDCCXV. Accedunt Regum Hungariæ et Sedis Apostolicæ Legatorum Constitutiones Ecclesiasticæ. Ex MStis potissimum eruit, collegit, illustravit, P. CAROLUS PETERFY, e Societate Jesu. Pars prima, in qua Concilia & Constitutiones ab anno Christi MXVI usque ad annum MDXLIV prodeunt.

Posonii, typis hæredum Royerianorum, 1742, fol.

Alph. 4 plag. 1.

Exhibuimus tibi superiori anno, amice Lector, doctissimi *Timonis Historiæ Hungariæ civilis* epitomen, atque ita omnino exhibuimus, ut ornaverimus Virum debitis elogiis. Nunc Ecclesiasticæ Historiæ scriptorem accipe, æque, ut *Timon*, Jesuitam, sed virulentum, sed jejunum, verbo dicemus, indignum *Timone* socio. Constituit ille Hungariæ Concilia eruere, colligere, illustrare, uti ipse loquitur, atque id *Actis* imprimis *Mediolanensis Ecclesiæ* inductus, doctissimorumque virorum exemplo, qui patriæ suæ Concilia, insignem sacræ Historiæ partem, exposuerunt. Sed migravit Historici leges scriptor, neque ita labore suo defunctus est, ut plausum mereatur. Historicus sine patria sit, sine religione, oportet. Hunc nostrum si legas, næ tu vix Pontificium ignores,

H h

ita

ita est in Protestantium sacra vehemens, maledicus, ne quid pejus calamo effluat. Audiamus præfatem: *Sacra Concilia Ecclesie orthodoxæ, Romanæ, Catholicæ, Hungaricæ, in volumen collegi, argumento operis, ut alias utili, ita a nemine adhuc in patria occupato.* Satis hoc erat, ut lector intelligeret, quid acciperet operis; sed non potuit sibi temperare, quin in ipso limine virus suum bilemque effunderet. *Frontem, inquit, ipsam hoc titulo armare debui, ut mea ab heterodoxorum historicis patris discernam; qui errorum suorum augmenta, vel minas in Hungarionum, ad memoriam posterorum evaguantibus, conciliabula, colloquia, contentiones ministrorum, inter acta sanctæ Ecclesie, catholicæ, orthodoxæ, Hungaricæ, plagiarie inscriptione insignire & reponere non verentur.* Videatur passim Frid. Adolph. Lampe in *Hist. Eccl. Reform.* Quasi vero Conciliorum non mercantur nomen Conventus Ecclesie, a Romanis sacris alienæ; ministrorum certe contentiones, quas vocat Auctor, tantæ, tamque immanes, ne dicamus cruentæ, nunquam fuerunt, quam illæ, quas Tridentinum Concilium, habitum a Romano-Catholicis, ut taceamus exempla alia, nobis exhibent. *Lampium* infectatur, & recte omnino. Quantum enim a doctissimo Viro modestia & eruditione distidet, tantum ejus interfuit & sui similibus, documenta, quæ protulit *Lampius*, ignorari. Paulo post indicem conficit illorum, qui res Ecclesie Hungaricæ profecuti sunt. *Melchiorum Inchofferum*, Jesuitam, primo loco ponit, cujus satis superque noti sunt Ecclesiastici annales, cui tamen operi Auctor immortalis. Quod quia in doctissima Commentatione sua, de initiis religionis Christianæ in Hungaria, Cl. *Schwartzius* (quem e Magistro Halenti Professore fecit, magno benevolentie sue documento,) monuerat, ne forte deciperentur, qui in alteram quoque *Inchofferiani* operis partem inquirerent; nodum in scirpo quærit *Peterfusus*, atque omne hoc calumniam interpretatur, additque ex *Persio*, ne vel hunc non legisse crederetur, inhumanum illud: *Ulcus in ore putre, quod addecat, plebeja rade-re beta.* Re vera plebejum hoc est, dignum remuneratione plebeja. At, quantum conviciorum, tantum nihil ad rem. Post
Inchoffer-

Incofferum Sigism. Ferrario, Ord. S. Dominici, locum concedit. Scripsit ille de rebus Hungaricæ provincie ejusdem Ordinis. Hunc sequuntur Jo. Tomco, Episcopus Bolnensis, de vita S. Augustini, Episcopi Zagrabienfis; Fragmentum Corvi Panis protho Eremitici (hoc ne Evandri quidem mater intelligat,) sive Annales RR. PP. S. Pauli, primi Eremitæ, ad annum usque 1663; Franc. Foris Otrokocsi Origines Hungaricæ; Malac. Rosenthaler (Rosenthal scribendum erat,) de S. Ordinis Cisterciensium monasteriis in Hungaria; Mart. Szentiványi Dissertationes paralipomenicæ; Alex. Szörényi Catalogus Archiepiscoporum Strigoniensium; Tarnóczyi Hungaricæ sanctitatis indicia; Sam. Timonis Purpura Pannonica; Ladisl. Szörényi Vindiciæ Sirmienfis, & prærogativa cleri Regni Hungariæ, & denique Castrum aureum, id est, Archiepiscoporum Strigoniensium Elogia ad annum usque 1655. Exulant hic, qui de rebus Ecclesiæ Protestantium in Hungaria scripserunt. Nempe

Interevit multum, Davusne loquatur, an Eros?

Sed non penitus exulant; subnectit illos Autor, eum tantum in finem, ut atro notaret calculo, atque pro eo, ac potest, proscinderet. De *Historia Diplomatica* ita pronuntiat in *Observatione tertia: Chaos schedarum, unde unde congestarum, si ea demas, quæ locum inter leges publicas obtinuerunt. Profanatum in ea nomen historia diplomaticæ; tegmen meditata perduellionis, fomitem discordiarum, triste memoriale lacerata per Lutherum & Calvinum patria, Autor dixisset; dignus, quem Regum & Ecclesiæ Diplomata ad primam usque cutem flagellent. Quantæ Veneres! Diplomata flagellent. Longe citius profecto, qui legerunt librum, sententiam dicent; laudabunt illustris Autoris de Ecclesiastica Hungariæ historia merita; laudabunt modestiam; accuratorem laudabunt; de *Peterffy* autem quid? vel hoc documento, tanquam ex ungue leonem, pernoscent; *Ciceronem* dicent pro domo sua perorantem, ita tamen, ut eloquentiæ locum loquentia occupet. *Rudus redivivum Paris Papaji* libellum, qui varias religionis Protestantium conversiones in Transylvania eleganter exponit, hoc ornatur elogio: *Si Latium adimas, nenia sunt, & olus recotum, turbarum**

barum in Transylvania, dum Ariani, Zuingliani, Calvinistæ, Anabaptistæ, Lutherani, capronas suas vellicurent invicem, & cum gemitu depilarent. Novum modestiæ Peterfyanae documentum, si Diis placet; quod argumentis non potest, scommatibus tentat. Ita solent, qui cum vulgo sapiunt. Sed

*Ut quondam in stipulis, magnus sine viribus ignis
In cassum furit.*

Historiam Ecclesie Reformatæ Lampianam ita traducit, ut dives monopolium dicat contumeliarum, quibus Ecclesiam Romanam & Clerum afficit; fatum ejusdem infelicis uteri cum *Historia diplomatica*; excussisse se hominis pilum omnem, nihil sinceri testimonii in eo reperisse; parasitum illum esse Autorum, ad agendos remos pridem damnatorum. Viderit autem Peterfusus, ne se sui que similes, cum excusare vult, accuset potius, obductam cicatricem cuncti refricat. Notum est Jesuitæ classicum, quod retulit Lampius:

*Ut jure tuo, Caesar, servosque Lutheri
Ense, rota, ponto, funibus, igne, neca.*

Notæ miserorum hominum calamitates, ut proinde opus non sit, memoriam damnatorum ad remos renovare. Exquirat exterorum de his judicia, si volet, Peterfusus. De ipso Lampio jam tulimus sententiam. Tandem & Cl. Schwartzii, ejusque Dissertationis *de initiis religionis Christianæ in Hungaria*, meminit, & quia congruere eum doctissimo Viro ipsè autus non est, catervæ Sanctorum suorum se ingerit, ita adversus Autorem militaturus. Ferre nimirum non potuit, quod Schwartzius Græcis, non Romano Pontifici, origines Christianæ religionis in Hungaria vindicavit. Nititur, inquit, *culmus straminis contra torrentem tot seculorum! Quid si Divi, Wolfgangus asciam, Piligrinus pedum, Adalbertus & Gerardus tela, Carolus denique Magnus enses, in hallucinatoris caput expediant? Opponam Diplomata jejuno scriptori, ut ad ea calamum expoliat. Opponas, quicquid velis, Peterfi, nihil erit solidi, verba dabis, pro tuo more, & conviciâ; argumenta enim opponere argumentis tu non soles. Quis autem, cui de meliore luto fluxit præcordia*

dia *Titan*, extimescat illa, quæ tu intentas, asciam, pedum, tela, ensem, cur non plura alia?

*Integer vita, scelerisque purus,
Non eget Mauri jaculis, nec arcu,
Nec venenatis gravida sagittis,*

Fusce, pharetra.

Atque hæc de Scriptoribus, inquit, Ecclesiasticis Hungaria heterodoxis; quorum in hoc libri sunt durum otus, & populi cribro decussa farina. Utiq; durum otus, quod tantam stomachi resolutionem conciliavit scriptori nostro, ut jam respuat, quicquid obvenit. Mox tamen sibi, & suæ dexteritati, apologiam scribit, sollicitatus a nemine. Prodesse omnibus, inquit, qui in medio nationis prave positi, armis deficiunt domesticis; subdere stimulos sanctæ Antistitum nostrorum societati, ut magnæ, quæ huc usque egerunt, immortalibus factis coronent; me totum, & quos bonæ arriserunt literæ, in Dei primum, dein Ecclesiæ Romano-Catholicæ, gloriam, consecrare, offerre, cedere, &c. Et paulo post: Efferat ex annosis forulis, si quem dubium incessit, ingenuæ fidei; recolligat a nobis edita, nec pallio, nec annulo, dignum Quirites me pronuntient, cum mutua consensione atla sese non exceperint. Quibus non supplicis fidem meam redimo? Tanti est,

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Paulo post, parce se delibasse narratiunculas, intricas dudum, refert, neque egisse eorum more, qui omnes Autorum familias & Bibliothecis, Glossariis, Spicilegiis, unam in paginam cogunt immigrare; qui cænam Terentianam in vasto exhibens folio; & quæ, cum Autor quisque patellam, quam dedit, suam ad se reducit, nihil, quod verus coxis, olet domi. Exhaustis mihi videtur elegantiarum, quas Autorum lectione congestis, indicem suum *Peterfyus*, ita est prodigus, in *Terentii* domo scripta crederes, & si quid in studiis cognatio valet, & hujus propinquum. Utinam vero parcius obsoletas narratiunculas protulisset! Exularent ita, quæ ipso in opere de *Tökötya* commemoravit; exularent multa alia, quæ sine judicio consignavit, quæque hic loci perstringere, operæ pretium non est. *Sebastianus Tököt*

inter primarios exercitus præfectos, dum Jaurinum A. 1598 Turcis eriperetur, numeratur, & laudatur ab *Iſſenſſyo Hiſtoriarum Lib. XXXI pag. 467. a.* Itane vero ab equis, ut vult *Peterſſyus*, ad præfecturas militares tam celeriter graſſatus *Tökölus*? Quis, niſi cerebrum gerat in calcaneo, ſibi perſuaſerit, mercatorem *Sebaſtianum*, ſolis divitiis illuſtrem, liberum & hæreditarium dominium Keſmarkienſe fuiſſe adeptum? Et, ſi humili loco in Polonia natus, qui potuit vel ad axioma nobilitare in Hungaria adſpirare, a quo, legibus Regni, in perpetuum Poloni excluſi; deinde, qui *Sebaſtiani* filius, *Stephanus*, *Georgii Thurzonis*, Palatini Regni Hungariæ, filiam meruit? nepos *Stephanus Mariam Gyulaſſy de Ratot*, foeminam identidem nobiliſſimam & opulentiſſimam? Unde vero divitiæ illæ *Tökölyana*? Dicemus. *Sebaſtianus* primus acquiſivit, virtute duce, comite fortuna. Auxerunt felicibus connubiis nepotes, derivatis in ſuam gentem theſauris per *Thurzoniam*, *Gyulaſſyam*, *Rukoczynam*, illam aviam, iſtam matrem, hanc uxorem emeriti *Tökölis*. Pudeat igitur *Peterſſyum* nugivendulum, tam inſubidarum fabularum factorem, pudeat, pigeat, poeniteat. Pudeat inficetæ narrationis alterius, quam refert *pag. 190.* Pudeat concacatæ centum alijs loquorum monſtris chartæ innoxie. Itane publico illudere verum eſt? Sed ſecurus eſt ſodalem ſuum, *Stephanum Szabó*, inſignem nugatorem, cujus lege *Caffovia veteris & nova delinca-tionem pag. 177.* Nihilo minus ſcribit, ſe ab iſtiusmodi fabulis abſtinuiſſe, ſpicilegia, gloſſaria, veteramenta alia contem-ſiſſe, cum, ſi quis alius, ipſe proſecto veteramentarius ſit, neque quidquam ſuarum mercium exponat, præter gloſſas & triviales narratiunculas. Conſitentem habemus reum *pag. B. 2 ſeq. Rude*, inquit, *ſimulacrum accuſent alii; congeſtam unde unde ſarcinam, conſutum, mancumque ſervulorum pullium. Nihil moror; extruſi illud in publicum, eorum in gratiam, qui perti-nacia quadam inolita lucubrationes utiles damnant inglorii, aut, poſſen omni cura, de ſacræ Reipublicæ gloria, intra viſa com-moda abrepti, ex æquo non æſtimant, quod haſtenus ignorarunt. Obſonii inſtar inſperſæ ſunt negationes*, inquit Noſter; egregie!

gie! Furit in his quam maxime scriptor, atque, si hæc obsonia sunt, næ tu nobis, quisquis es, cœna a *Peterfyo* excipi, invita- tus licet, recuses. Vide, quid propinet adversariis suis, lege & mirare hominis stomachum. *Heterodoxi, & quibus ipsa a sacris Romanis defectio, epigramma fugitivorum inussit, procul dubio clamitabunt, me, ut revertar, atque e theatro intro me ocysus reducam; metuunt quippe, ne conjuratis divorum Regum, Episcoporum, Conciliorum, sententiis rursus vapulent, & quasi postliminio remos, dudum paratos, in se expediri senti- ant. Amici! populares mei! qui Calvinum, Lutherum, cete- rosque fabularum machinatores, hodiecum oletis; non me clam infero, nec vestra invado; ad majorum pietatem, & priscum Dei cultum, tot scissum, quot Conciliorum, suffragijs excitatos cupio. Relegite vestigia, septem jam Seculorum approbatione confirmata. Excutiant conscientia lethargum, insignia Princi- pum, avorumque exempla; & umbras illas, a duobus & ultra Seculis in Hungaria errantes, porro auferant. Classicum canit *Peterfysus*, ad internecina odia amicos invitat; quis vero, cum subesse debeat, cur ames, amicus sit homini, seque illius infan- tissimis omnino consiliis adjungat socium? Te certe buccinato- re, homo, ne mures quidem *Homericos*, bellum unquam ranun- culis illaturos fuisse credimus; tantum abest, ut metuamus, Hun- garia Procures, quos virtus ornat & justitia, quorum tamen im- ploras facilitatem, dicto audientes tuo unquam futuros. Sed non- dum præfari desinit *Noster*; aliquot verbis, quo ordine libellum elaboraverit, indicat. *Summum perbrevis, ait, Synodi causas, ordi- nem, annum, evolvemus. Protestantium, quos tanta acerbitate per- striuxit, ut germina viperarum dixerit, Synodos ut recenseret, impetrare a se non potuit; has proinde, aliorum, inquit, hortatu fere victus, captivorum reorumque loco, exenti militum le- gioni appendere constitui. Pergit: Miror me tamen genius habet, quam ut in ruborem vos adigam, (næ tu haud stulte sapias, homo, id, quod non potes, non videtur tibi agendum; mite ingenium jam prodidisti,) si convulsus illas opiniones, vossellas ridiculas, & in decumanum usque visum præcipitata jurgia, ad ignaros hactenus promoverem. Suppressi itaque, nolui in molestiam**

modestiam & pacem peccare, (quorsum ergo perbella illa consilia tua?) quarum utraque merito periclitetur, cum orbi literato gladiatorios triumphos, consultationes, quas ipsa lacrymæ rideant, passosque in excidium fidei Catholica inertes arietes, typis expingerem. Denique pro re nostra Cappadox in Curculio: iis, qui perjuraverint, locus non præberi potest in Capitolio. Ista, ut constat, cujus generis homo sit scriptor. Ecquis vero calenti calamo sufflamen injiciat? Scioppiana rabies Brutiani alicujus manum requirit.

Quod ad totius Operis partitionem attinet, in *duos Tomos* laborem Autor dissecuit. Prior hic est, quem exhibemus, & Concilia ad *Olabi*, Archiepiscopi, tempora, seu annum Christi 1560, celebrata, complectitur. Dicitur est Augustissimæ Principi, *Maria Theresia*, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regi-næ, &, ne vel scholasticas nugas desideres, dedicatoriæ Epistolæ, quæ mole sua laborat, assertiones ex universa Philosophia subjunguntur. Sed videamus ipsas Synodos. Incipit a *S. Stephano*, atque *Constitutiones Ecclesiasticas* sub eo, & *Sebastiano*, Archiepiscopo Strigoniensi, circa A. 1116 promulgatas, recenset. Præmittit, quem & in sequentibus ordinem servavit, narrationem præviam, quam vocat; sequuntur decreta ipsa Synodorum cum commentatione Autoris, observationibus copiosissimis stipata; singularum autem *Sectionum* initia Sigillis Ecclesiarum, æri incisus, initialium literarum loco, decorata voluit. Quæris, an *S. Stephani* temporibus celebratæ Synodi? *Peterfusus* affirmat. *Synodos*, inquit, *viventis Stephano jam celebratas, vel certe habendarum ordinem modumque fuisse initum, inter cetera, qua non desunt, argumenta, colligitur ex vetustis duobus Diplomatum, fundata scilicet Abbatiæ B. V. M. de radice montis ferrei (Péhvárd) pag. 4 & 5.* Pergit ita sub *Andrea I*, Hungariæ Rege, & *Næmia*, Archiep. Strigoniensi, A. 1158 *pag. 11.* Sub *S. Ladislao*, Rege, & *Seraphino*, Archiep. Strigon. A. 1092 *pag. 14* *Synodum Szabolchensem* refert. Hic de *Salomone* Rege, quem alii *Sigismundum* dicunt, ita hallucinatur, ut nihil supra; improbum hominem atque impium pronuntiat, qui, *tentata ultima alea, ingenti clade, a Mariano Rege profligatus, mundum fastidivit, & sanctius vitæ genus A. 1086 inter sylvarum*

syvarum recessus quaesierit. In observatione dein, sub iudice esse litem, ait. Sed vero fortissimus fuit Princeps *Salomo*, strenuus, ipsi *Gregorio* Papæ in deliciis. Prostant illius literæ ad *Salomonem* & *Juditham*, uxorem, filiam *Henrici III* Imperatoris; unde sapere potuisset *Peterius*, nisi eas ignorasset. Non ergo sub iudice lis est, sed ab ipso iudice, qui creditur, definita. Neque frater erat *Geysæ Salomon*, sed patruus, quod sibi notet scriptor. *Decretorum Capite 37 pag. 33* hæc verba sunt: *In hac vero sancta Synodo a venerabili Rege statutum est, & universis Episcopis collaudatum & canonizatum, ut vigiliae celebrentur S. Stephani Regis, &c.* Facile inde colligas, præsedisse hac Synodo, atque ita jure suo regio fuisse usum *S. Ladislaum*. Hoc vero ut evertat *Peterius*, torquet se mirum in modum, usque dum in contraria plane delabatur, ita commentatus: *Habes ex hoc decreto, Regem Ladislaum non ita statuisse, quasi præsideret, sed proposuisse duntaxat, & sententiam suam, religioni maxime consentaneam, in medium attulisse; quod cum innumeri Episcopi collaudassent ac monstrassent, vel potius confirmassent, tum etiam Ladislaum Regem huius omnium consensui Regia manu firmamentum addidisse, quo omnes subditi ea lege adstringerentur; alioquin potestas laicæ sine Episcopi autoritate ferias indicere non potest.* Hoc vero est, quod vult Historicus; Regum potestatem imminuere, exaggerare Cleri autoritatem, hac commentatione se posse, existimabat. Sed redarguit se ipsum. *Pag. enim 3* diserte affirmat aliquo testimonio, in conventu Szabolchensi A. 1092 *S. Ladislaum* præsedisse; quod ut infringeret, aliam Regibus Hungariæ personam induit, Pontificis Romani in Ecclesiis Hungariæ vicarium nominat, ut, Clerici munere functum, Clericum præsedisse Regem, non laicum, posset elicere. Sed frustra. Ceterum, componat, qui volet, explicationem *Peterii* cum Decreti verbis, videbit, veteratorem agere hominem, tantum abest, ut loco clarissimo lucem affundat. Sub *Colomanno*, Rege, & *Seraphino*, Archiepiscopo, *Ecclesiasticas Constitutiones pag. 40* exhibet, editas A. 1103. *Caput IV*, quod de causis duorum *Abbatum in Synodo judicandis* agit, omisit; quæras, cur? non erat

erat ad palatum; primum certe *Caput*, de dote cujuslibet Ecclesie per *B. Stephanum* disposita, fidelissime apposuit. Nonne hoc est ἀλέυειν τῆ ὑποθέσει? Ad *Caput XXVI*, de celebrationibus Missarum, si contulisset ex *Saligio* scrupulos *Maximiliani*, habuisset Autor, quibus observationem suam potuisset reddere ampliorem. Appendicis loco Synodum Strigoniensem nationalem, sub *Colomanno* celebratam, addidit, ut doceret *Paschalis II* Papæ sollicitudinem, qua adactus, *Canonem*, Cardinalem Legatum, dimisit etiam ad Hungaros, ut a societate *Henrici IV*, qui multa, ut *Peterfius* loquitur, ob negatam *Prælatorum investituram*, temere sibi arrogatam, adversus Ecclesiam Dei moliebatur, discederent. Quorsum hæc dicta velit Historicus, facile odoramur. Pag. 63 Synodum Strigoniensem provincialem, *Stephano III* Rege, & *Bansio*, Archiep. Strigoniensi, A. 1159 convocatam, recenset. Adducit Diploma, cum inscriptione: *H. Dei gratia Rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Rameque, &c.* atque subjungit observationem: *Quid litera H. indicare velit, ignoro. Regum nemini tribui posse, in aperto est. Eandem litteram Diplomati præponit Baluzius (Steph.) Tomo III Script. Ital. Ludov. Muratorii pag. 474. Recte Baluzius; tu vero, Peterfi, quod ignorabas, dilce. Rex Emericus, Bela III filius, Hemmerachus dicitur Godofredo, Monacho, A. 1199. Henricus, Lucio in Dalmatia pag. 147 b, qui paulo post adducit ejusdem Privilegium, hoc titulo: H. D. G. Hung. Dalm. &c. Rex; item & in alio Privilegio pag. 148 a & 152 b. Quid? quod & Hemericum vocet idem Lucius pag. 159 b, 272 b, & post sæpe pag. 147, ubi & H. litera ejusdem privilegio præponitur. Immo & Verbocius P. II Trip. tit. 14 monet, Henricum dictum Emericum, corrupte & usu Germanorum. Hinc tu potuisses discere, Peterfi, esse omnino in aperto, contra quam scribis, Diplomata, signata littera H, tribui posse alicui Regum Hungariæ. Solus tu tibi sapere videris, ceteros, uti umbras, volitare existimas; sed falleris, o bone! Plurium tu errorum postulari posses, si ferret hic loci destinatio. Sed proferamus pedem. Synodus Vacienfis diæcesana sequitur, sub *Emeriso*, Rege Hungariæ, & *Job*, Archiep. Strigoniensi, ab A. 1193 ad 1214, ad compescendos pravos Clericorum*

corum mores, habita. Utinam vero recruduisset nunquam malum, modestiorem forte haberemus *Peterfium*, quam se re vera exhibuit. Iterum enim *Lampio*, & Corporis diplomatici Autori, *virgam* aliquam *Moysis* Intentat, *que poly-formes hallucinationes devoret*; ignarus forte, illam, a Deo procuratam, a se imperari non posse. Manum ille de tabula, quamprimum decidenda controversia; subterfugit istiusmodi operas, ne, ubi, præter Synodos, dicendum quidpiam, hallucinetur. *Nolim moveri*, inquit pag. 86, *questionem de Ladislao filio (Emerici), ad crisin genealogicam pertinentem, cum annum ejus natalem plerique A. 1200 diversum assignent.* Inquirendum hic erat in Autorum sententias diversissimas; quorum alii, ut *Rodericus Tolanus de rebus Hisp. Lib. VI Cap. 3*, improlem *Emericum* decessisse, alii coronatum jam A. 1200, quo parens obiit, *Ladislauum*, existimant. Judicio hic erat opus, non de charta in papyrum Synodi transcribendæ. Qui volet decidere controversiam, legat *australe Chronicon ad A. 1205*, legat *Spondanum ad A. 1204 num. 13*. Nos pergitur. Hoc jam ordine reliqua profequitur *Peterfius*. *Strigoniensem nationalem A. 1256 sub Bela IV pag. 87, Budensem nationalem A. 1279 sub Ladislao IV*, ubi Regem, a *Philippo Firmano*, Episcopo, Legato Pontificis, percussum anathemate, neque tamen resipiscens, refert, certo indicio, non omnem omni morbo medicinam convenire. *Synodum Rex, subornatus ab impiis*, verba sunt *Peterfii* nostri, *armorum terrore disturbavit, Budensibusque dedit imperia, ut patres urbe pellerent, nec commeatus suppeditarent necessarios.* Suffecerat commeatus inopia ad depellendos Buda Patres. Hanc Synodum *Strigoniensis provincialis* excipit, habita sub *Andrea III A. 1292* ad vindicandam donationem *Geysæ II* Regis, factam Ecclesiæ castri Budensis. Duplici fulmine opus fuit ad redigendos ad obsequium tributarios cives. Ita est omnino, *Peterfi*,

*Qui potis, plus urget, pisces ut saepe minutos
Magnus comest.*

Sed et aliam Synodum, eodem sub Rege *Strigonii* coactam A. 1294, refert Noster, ut *lanionum enormes & contumaces ex-*

cessus adversus Lodomerium, Archiepiscopum Strigoniensem, reprimere. Rex pro Clero, Regina matre potissimum collaborante, pronuntiavit. Quod bene notandum, famina collaborante, satis ad dignitatem victoriæ! Conqueritur Noster de suorum tenacitate, a quibus res Concilii nullis precibus educere potuit, in eo solatii partem admittens, quod pronis ad lachrymas oculis easdem intueri, minime autem transcribere, sibi concessum fuerit. Legant Aululariam Eucliones illi, atque sua inde sibi decerpant, ut redeant ad frugem. Diploma certe *Andree* Regis, occasione ista editum, facit omnino multum ad restituenda e ruderibus Strigoniensis urbis fata, situm, vicinumque emporium. Pergit ad *Synodum Posoniensem nationalem*, *Carolo I* Rege A. 1309 celebratam, Autor pag. 141, cum necessum omnino fuerit, Hungaris de successione in regno ambigentibus, rebus Cleri prospicere. Primum proinde decretum, de non offendendis Prælatiis agere, reliqua conspirare cum hoc, videas. Subnectuntur *Constitutiones Alberici, Legati Pontificis, pro Ecclesia & Regno Hungaria, editæ sub Carolo I Rege inde ab A. 1308 usque ad A. 1311.* Agunt illæ de statu Regis, de immunitate Regis, de corona Regis, de bonis Regalibus & Reginalibus non occupandis, & occupatis restituendis, de ordinatione vacantis Ecclesie per provisionem, electionem, aut postulationem, faciendam, quod prolixissimum Caput est. Apparet hinc, Summum Pontificem illo adhuc tempore sibi persuasisse, nemini convenire, quam sibi, de regno Apostolico, sacra corona donato, decernere. Inde factum est, ut *Andree Carolus* A. 1295 opponeretur; inde factum, ut, quas Noster Constitutiones adduxit, a *Clemente V* Papa confirmarentur. *Synodus Udvardiensis*, A. 1309 celebrata, provincialis fuit; *diocesana Zagrabienfis*, A. 1308 facta, qua sermonem Episcopus Zagrabienfis ad Clerum habuit, ex illo Evangelii themate: *Vos estis lux mundi.* Sed dudum jam vera rerum nomina amisimus! Sub *Ludovico I* *Synodus Strigoniensis diocesana*, A. 1353, & altera, A. 1359 habita, de quibus Noster pag. 176 seq., princeps causa fuit, ut, quæ ab antecessoribus concessa Clero, a *Ludovico* Rege confirmarentur. Sub *Maria*, Hungariæ Regina, *Strigoniensis Synodus*

aus occurrit A. 1382, ut jura Archiepiscopi Strigoniensis novum robur, vitamque acciperent. Sub *Uladislao I* A. 1390 habita est Synodus diocesana Strigoniensis, ad componendam litem inter Præpositum & Canonicos Pelsonienses, quam habes pag. 182. Sub *Jo. Hunniade* A. 1449 Strigoniense Concilium provinciale exhibetur pag. 189, quod collapsam, ut fieri furente Marte assolet, disciplinam, verba sunt *Timonis*, a *Peterfio* citata. Itane vero Martis furor & sacra capita attentavit, ut concilio esset opus? Sub *Matthia I* A. 1460 Synodus Scepusiensis diocesana pag. 192 producit. Hic, de Tartarorum invasione in Scepusiaca aliquid præfatus Autor, illatum per barbaros advenas toti regioni exitium queritur. At, unde probare queat, post illum annum Tartaros in Scepusium penetrasse, nos quidem non videmus; neque enim prostat documentum. Loquitur præterea de duce quodam Opoliæ, *Joanne*, Canonicorum collegio moderando præfecto, quem patrum *Ladislai Palatini* exiltimat; sed neque per conjecturam assequi nobis licet, quisnam ille *Joannes* A. 1339 fuerit. Sub *Uladislao II* A. 1493 de Synodo Strigoniensi provinciali loquitur pag. 212. Sed non nisi *cariosas reliquias*, ut ipse dicit, & *Canones sæpe biantes*, protulit, illo se *Ovidii* solatus: *Emendaturus, si licuisset, eram.* Pag. 234 Synodum Veszprimiensem anni 1515 sub *Ludovico II*, Hungariæ Rege, commemorat, habitam, ut *ab irrumpentium seculariorum fraudibus in sana doctrina Hungari continerentur.* Ubi conventum sit, ignorat; refert tamen decreta quædam, sed lacunis obsita. Itane vero, *Peterfi*, jam anno 1515 sub *Ludovico II* Rege, in cunis, vivente patre, coronato, concilium? Atqui anno demum 1516 pater decessit. Quænam temporis hic habita ratio? Sed non curat *Hippoclidès*. Sub *Uladislao II* A. 1560 *Nisriense Concilium* docetur pag. 258, editum jam a *Paulo Abstemio*, (mirandum!) Episcopo Transilvaniensi. Tandem vero, ultimo loco, quædam de *Scepusiensi Synodo*, habita sub *Ferdinando I* A. 1545, consignavit pag. 298. *Colligendus erat, inquit, dissipatus huc usque, variante belli alea, in ovile grex dominicus, animique prisca fidei & Regi reconciliandi.* Atque ita quantum priorem *Tomum Consistorium Hungariæ Peterfius* fuit,

addita tamen, coronidis loco, pro more suo, suaque modestia, brevi excursionem, qua doceret, se ista Protestantium in gratiam conscripsisse. *Detergant jam, inquit, ad hanc cotem, longæ heresum rubigine obstram mentis pertinaciam, Ario, Serveto, Catvino, Luthero, devoti Hungari. Glorientur, si possunt, sanctissimos Reges varios, (illos nimirum, quos duplici anathemate, ut redirent cum Clero in gratiam, percutere necessum fuit,) majores, gentem universam, sub initia conversionis, ad sacra Christiana, a Romana Ecclesie legibus, Pontificum sanctionibus, Episcoporum Catholicorum institutione recessisse. Ita non sine veritatis offendiculo, animarum jaclura, pacis publica damno, fabulantur, scribunt, ingeniosa fraude pro concione persuadere nituntur, & declamant eorum Ministelli. Quotquot Concilia, Regum decreta, Canones, hoc in volumen congeri poterant, tot lingue sunt & testimonia, tot sententia, & argumenta, quibus hominum istorum criminationes retundas. Sed ipsi se hoc in speculo contemplantur, quot vitiis horreant, quos camelos glutiverint, videant. Perbelle! pilum in ovo; dignus opere epilogus; uti cepit, ita finit. Nos perfricuimus hominem modo dico sale; id si male ferat, habeat sibi illud ex Terentio suo:*

*Diclum in se inclementius si quis existimaverit,
Responsum sibi, non malediclum, putet,
Quia laetit prior.*

Sed ipse sibi male est conscius. *Audio, inquit, destinari meo Rbadamanto & Aeaco. His omnino iudiciis dignissimus Peterfius. Subnectit Mantissam de sententiis Episcoporum Hungariae in Congregatione Avenionensi, super quaestione: Utrum asserere, Christum & Apostolos habuisse aliquid commune, sit haereticum. Tandem, ut dignum patella sua operculum nancisceretur, Paranesin ad Inchyti Hungariae Regni proceres & Nobiles, ut cives, de antiqua fide servanda, divinisque flagellis, Petro Illicino, JCo, autore, assuit. Classicum est adversus invidiosos hospites, Vitemberga in Hungariam delatos circa annum 1553, ut ipse Peterfius loquitur, adeo vehemens, ut mireris contentionem hominis. Prorsus autem non videmus, quid hoc ad Conciliorum Hungariae historiam; an ad augendam molem volu-*

voluminis? an ad conciliandam invidiam? Ambigimus. Quicquid sit, quos æquus amavit, scommata non afficiunt, infra indignationem posita cordatioribus; quin potius ad testandam Deo, Principi, Patriæ, bonisque omnibus, fidem intermeratam magis magisque incendunt. Si, dissentire, satis est ad crimen, nunquam deerunt calumniæ hominum, qui

*Si, quantum lingue, tantundem cordis haberent,
Non foret atherea tutus in arce Deus.*

NOVÆ HYPOTHESES INTERPRETANDÆ FELICIS Epistolæ Jacobi Apostoli, septem & viginti Dissertationibus assertæ, Autore HENRICO HEISEN, Illustr. Gymn. Bremens. Profess. Eloquentiæ Ordinar. Bibliothecario, & Pædagogiarcho.

Bremæ, sumtibus Gerhardi Guilielmi Rump, 1739, 4.

Alph. 5 plag. 5.

Jacobi Epistola cum ob orationis vim ac pondus, tum ob stili gravitatem, tum denique doctrinæ sublimitatem, atque celestis sapientiæ copiam, digna omnino est, quæ curatius expendatur, inque majori ulque luce, interpretum peritorum industria, locetur. In qua quidem explananda multi occupati fuerunt; illorum tamen laborem facile superat eruditissimus *Heisenus*, qui ab aliquot annis Græcas Latinasque literas in Illustri Bremensium Athenæo multa cum laude docet. Is certe nihil fecit reliqui, quo in intimiores sermonis *Jacobi* recessus se immitteret. Locutiones tum in se, tum in nexu cum reliquis, multa sollicitudine spectat, tantamque doctrinam, circumspeditionem, ac sagacitatem, ad verum sensum indagandum affert, quanta ab interprete perito desiderari potest, tanta denique perspicuitate, imo elegantia sermonis, singula declarat, ut de adeo eximio opere, feliciter profligato, ex animo ipsi gratulemur, eumque diligenter rogemus, ut, quod reliquum est divini hujus scripti, eadem eruditione, judicii soliditate, fide, atque dexteritate, illuminet, cumque erudito orbe quantumcyus communicet. Equidem non continuum concinnat Com-

mentarium,

- mentarium, sed peculiaribus Dissertationibus locis divinæ hujus Epistolæ difficilioribus lucem affundit, eorundemque cum iis, quæ antecedunt ac consequuntur, nexum ita ostendit, ut justî Commentarii vicem sustinere possit. Non literam tantum sectatur, qui labor multis sterilis videretur, sed sensus etiam, sub literarum cortice latentes, perrimatur sedulo, ut, sive quis sensus literalis indagacionem requirat, sive realis investigationem profundiorē desideret, inveniat omnino, quod votis ipsius respondeat. Erat quidem animus Cl. Autori, annotationes tantum philologicas dare, sed, cum bibliopola suaderet, ut non verbis tantum inhæreret, sed etiam res sectaretur, sicque justum Commentarium philologico-theologicum adornaret, refragari noluit. In præsentia sistit Dissertationes XXVII, illustrationi Epistolæ hujus destinatas, reliquas in posterum daturus. Explanaciones suas appellat *novas hypothesēs*, quoniam de dispersione XII tribuum Israelis, scopo ac argumento Epistolæ, illius partitione, vocum vi ac potestate, multa in medium attulit, quæ ab aliis erant prætermissa. Ut lucem textui Græco fœneraretur, 70 amplius Scriptores Græcos opera dedita contulit, plures collaturus, si illorum evolvendorum copia esset facta. Sed ipsum opus propius lustremus. *Dissertatio I* est de *canonica autoritate Epistolæ Jacobi. Sectione I*, illiusque *Capite primo*, adducit Autor argumenta *externa*, testimonia idoneorum scriptorum. *Eusebius, Hist. Eccl. Lib. II Cap. 23* verbum *ἡθεὸς* de *Jacobi* Epistola adhibendo, illam, quod *Henr. Valesius* vult, non *absolute spuriam* pronuntiavit, sed declaravit potius, illi a nonnullis *controversiam* motam fuisse, quo sensu verbum hoc a *Cæsareensi* aliis in locis sumi, ostendit. Hujus num qui ex doctoribus I & II Seculorum mentionem fecerint, saltem sententias inde petierint, vel *ἡθεὸς* adaptarint, disceptat, Syriacam versionem, quæ eandem exhibet, confectam, si non totam, saltem maxima ex parte, Seculo II, certum pro divinitate illius agnita testimonium præbere, decernit. Sed huic argumento robur omne decedet, si quis cum *Assemanno, Laerozio, & Wesselingio*, affirmaverit, versionem istam, quam nos secundum exemplar *Widmanstadii* habemus, Seculo demum V a *Philoxeno* institutam

ritutam fuisse. Ex Seculi III scriptoribus non omnino manifesta argumenta divinitatis illius agnitæ produci possunt; illam tamen probat versio vetus *Itala*, quæ ante id tempus jamdum exstitit, quæque illam una cum reliquis libris divinis habet, quod idem dicendum de *Arabica* ac *Æthiopica*. Seculo IV inter libros divinos est recensita in Concilio Nicæno primo, Laodiceno, Carthaginensi; illam tanquam divinam citant *Athanasius*, *Hilarius Pictaviensis*, *Basilus M.*, *Didymus Alexandrinus*, *Macarius Ægyptius*, *Gregorius Nazianzenus*, *Philastrius*, *Epiphanius*, *Dionysius Areopagita*, cujus scripta, ex *Pearsonii* sententia, ad Seculum IV sunt reducenda, *Canones*, ita dicti, *Apostolici*, quorum tamen verba hic examinantur, cum primis *Hieronymus* & *Augustinus*. Ex his concludit, minus caute locutum esse *Jac. Basnagium*, asseverantem, hoc Seculo illam a variis rejectam fuisse. Ab hoc ævo ad tempus Reformationis usque pro genuina & divina absque ulla contradictione est reputata. *Lutherus*, assiduis Pontificiorum velitationibus procul dubio incensus, durior de illa sententiam pronuntiavit, quam totam tamen rem & candide & modeste discutit. *Erasmus* de illius divina autoritate non dubie est locutus; fecit id potius *Abrahamus Catharinus*. *Capite II* Autor externa argumenta crisi subjicit. Quare de illa antiquitus fuerit dubitatum, enarratis variorum sententiis, hæc ratio ipsi videtur esse: scriptam fuisse illam ea tempestate ad Christianos ex Judæis conversos, cum ipsorum fervor jam defervescere inciperet, quin ad defectionem propendere viderentur, qui cum cernerent, se in illa graviter tangi, ab ipsis neglectam fuisse. Occidentalem ecclesiam per tempus iudicium suspendisse, quoniam *Jacobum* a *Paulo* in doctrina de justificatione discedere & dissentire animadvertebant. Quæ alii ad elevandam autoritatem ejusdem depromunt, illa in his, quæ sequuntur, Autor diluit. *Sessione II*, ejusque *Cap. I*, argumenta profert, quæ, *abstracte* considerata, divinitatem Epistolæ in tuto locant, a *veritatibus*, quæ vel *fidem*, vel *mores*, respiciunt. De prioribus pronuntiat, illas non ex instituto inculcare Apostolum, cum ad illos scribat, qui fidei dogmata pleno assensu receperant, in præceptis autem, quæ vitæ sanctimoniam spectant,

Pag. 16.

35.

36.

37.

45.

48.

61.

- stent, explanandis ipsum eo majori cura versari, quod, fidem illos suam gravibus peccatis maculare, ac ob ingruentes afflictiones defectionem moliri, perspiceret. De stilo *Jacobi* judicat, esse illum *θε-περπῆ*, grandem, gravem, sed perspicuitate & simplicitate temperatum. *Cap. II comparate divinitatem illius ad-*
Pag. 61- *struit*, in comparationem missa Epistola *Clementis* priori, avi
74. Apostolici scripto quidem genuino, sed multis infirmitatis humanæ navis obrita. In *Dissertatione II* inquit, quare Apostolus
74-83. *Cap. I v. 1* se appellet *θελον*, quæ vox hic idem significet, quod *απιστολος*, quæ notiones alternent *Rom. 1, 1, Tit. 1, 1, 2 Petr. 1, 1, Gal. 1, 1, coll. 10*. Tales dicuntur Apostoli ad modum Prophetarum, qui sæpius in Vet. Test. servorum Dei nomine veniunt. Nec inde autoritatis aliquid decedit *Jacobo*, sicut *Centuriatores Magdeburgenses* & Editor *Novi Test. Græco-Anglicani* autumant; non enim vilioris conditionis servus, mancipium aliquod, sed eminentissimæ dignitatis minister, qui soli Deo subest, ac ejus nomine tantum loquitur, est intelligendus. Per *θεον* non Christum Jesum intelligit, ut vocula *και* sit *εξηγητικη*, sed patrem. In *Dissertatione III* ratio redditur salutationis formulæ *χαίρειν*, in qua vel infinitivus pro imperativo sit positus, vel verba *χαίρω, λέγω, ευχομαι*, &c. sint ommissa. Illam jamdum ævo *Homeri* usitatam fuisse, ex *Iliad. A. v. 334*, & *Odyss. pag. 236 lin. 15*,
84-94. probat, quam alii, *Homerum* sequentes, frequentarunt. In fronte Epistolarum primum a *Cleonis* ætate adhibitam fuisse, constans fere est Græcorum opinio, sed, cum inter tempus *Homeri* & hujus tempestatem ad minimum sexcenti intercedant anni, haud levis hinc exoritur suspicio, citius præmissam fuisse literarum
95-98. initiis. A Græcis ad Romanos transit, quorum *chære* civitatis jure est donatum, in cujus locum tamen ut plurimum substituerunt suam *ave* & *salve*. *Ave* fuit initio salutatio, ore facta, quam tamen sequiori ævo maxime Christiani Imperatores literis ac constitutionibus suis præmiserunt, idem significantem,
98-101. quod *gaudere*. Ex Ebræo *שמח* arcessunt vocem hanc *Scaligeri*, quos sequuntur *Taubmannus, Vossius, Bochartus, Marinus, Reinesius*; sed forsitan melius derivatur ab *εὐω*, quoniam
101-108. *niam mane*, & quidem cum singularis gaudii testificatione, acclamabatur.
108-112.
112-114.
114-119.

mabatur. Græcorum salutandi formula ἔλεσ eadem est, quæ Latinorum *vale*. Ad Judæos a tempore *Alexandri M.* cum lingua Græca vox χαίμεν transit, ab illis ad Christianos. Præstat hæc salutandi formula illa τὸ ὑγιαίνειν, qua *Pythagoræi* usi sunt, quippe quæ ad animum refertur. *Plato* ἔν πρώτῳ, *Epicurus* ἔν διόγειν, *Aristophanes* ὡσπάζεσθαι, elegit, sed omnium præstantissima τὸ χαίρειν habebatur. Hac ipsa quaecunque gaudio apprecabatur. Erat consueta in sermone familiari, & in epistolarum initiis ponebatur. Ubi mane quem conveniebant, χαίρειν, ubi vesperi, ὑγιαίνειν, dicebant. Ex his infert, *Jacobum* hanc præ aliis elegisse, quoniam 1) erat convenientissima statui illorum, ad quos scribebat, qui per non unius generis afflictiones tristitia erant affecti, v. 2; 2) castitati linguæ studebat vel maxime (Ætici autem formula ista delectabantur); 3) illa animos eorum sibi conciliare annitebatur; 4) indicare volebat confociationem suam cum illis, quos illico v. 2 fratres nominat; 5) apprecabatur ipsis liberationem ab omnibus malis; in re tristiquippe illa formula abstinebant. *Dissertatio IV* directæ est ad v. 1 de dispersione XII tribuum, per quas, ex sententia *Mich. Manduit*, non intelligit Christianos, ex Judæis & gentibus convocatos, dispersos per terrarum orbem, nec cum *Synello* illos, qui, orta persecutione a supplicio *Stephani*, per Judæam & Samariam fuerant dissipati, sed Judæos absque discrimine, tum conversos, tum illam gratiam nondum adeptos. Porro inquit in sententiam illorum, qui a v. 13 ad 17 digitum in *Simonis* magi dogma de *duplici principio* intendi existimant, num vere duplex illud principium statuerit, & an dogma istud ex *Persarum* philosophia, *Zoroastris* potissimum, traduxerit. Tum examinat explicationem illorum, qui censent, errores *Pharisæorum* notari, qui malas actiones fato malo, bonas non divinæ gratiæ, sed fatali astrorum virtuti ac efficaciam, tribuebant, quorum prius *Georg. Bullus Harm. Apost. Jacobi & Pauli Diss. II Cap. XV §. 20 pag. 101*, & *Thom. Ittigius in Dissert. de Hæresiarum Sect. I Cap. II pag. 33 v. 13*, posterius v. 17, exprimi statuunt. Excussa igitur *Pharisæorum* sententia, num fatum ab astro distinxerint, & an omnes hominum actiones liberæ utri-

- que subjecerint; censet, potuisse Apostolum ad utrumque erro-
 rem respexisse; simpliciter tamen dici posse, ipsos, vexationum
 rem respexisse; simpliciter tamen dici posse, ipsos, vexationum
 mole pressos, eo delapsos fuisse, ut tentationes suas & tristes
 & turpes in rationes Dei transcripserint. Quæ *Cap. II a v. 14 ad*
 finem *Capitis* de fide, pietate cassâ, disserruntur, non *Simoni* ma-
 go, ejusque affectis, ex nonnullorum sententia, dicta esse ar-
 bitratur; cum homo iste errores suos in Samaria sparserit, item
 Vetus Testamentum rejecerit, ex quo tamen *v. 21-25* exempla
 in medium adducuntur, denique Apostolus procul dubio acro-
 ribus verbis usus fuisset. Nec tanguntur *Gnostici*, quod *Ham-*
mondo, Tillio, & Buddeo, visum, quos vehementiori stilo exagi-
 tasset Apostolus. Ad quos scribebat, erant homines, a virtutis stu-
 dio alieni, fide incerta fluctuantes, & qui, afflictionum mole pres-
 si, defectioni proximi erant. In *Dissertatione V* agitur de
 ordine atque *analyfi* hujus *Epistolæ*. Refutatis illis, qui vel
 nullum plane ordinem observari autumant, vel illum tantum
 in *primo Capite*, prophetice explicando, in reliquis non item,
 inveniri posse censent, canones octo, utiles admodum, atque ne-
 cessarios ad ordinem justum constituendum, figit, ac inde to-
 tius *Epistolæ analyfin*, tum *generalem*, tum *specialem*, subjun-
 git. *Dissertatio VI* destinata est explanationi *v. 2 Cap. 1. Πα-*
σων χαρῶν per *omnisfarium gaudium, summum gaudium*, item
prorsus, vel *merum*, vel *nil nisi gaudium*, optimis scriptoribus
 nixus, convertit. Porro in veram significationem vocis *πει-*
ρασμός ac *πειρασίων* sollicitè investigat, & qua ratione, qui af-
 flictionibus circumaguntur, lætitiâ incedere dici possint, inquirat.
 In *Dissertatione VII* illustratur *v. 3 δευμιον*, quæ vox, præter hunc
 locum, tantum occurrit *1 Petr. I, 7*, notans 1) *medium*, seu *in-*
strumentum, quo exploratio peragitur, *δοκιμασῆριον*, specia-
 lius instrumentum, quo metallorum *τὸ αὐτιβόηλον* probatur;
 2) *explorandi actum*, sive *δοκιμασίαν*; 3) *terminum* explora-
 tionis, qui scilicet exploratione intenditur. *Clericum* notat,
 qui, pro *ὁμῶν τῆς* olim lectum fuisse, suspicatur, *ὁματίης*, &
Millium, qui, *τῆς πίστεως* hic abesse posse, censet. Vim verbi
κατεργάζεσθαι eruit, & qui verba *Jacobi* cum illis *Rom. V, 4*,
 conciliari possunt, ita ostendit, quoniam fides & patientia se in-
 vicem

vicem juvant ac perficiunt, proptereaque propositiones illæ
 converti possunt. *Dissertatione VIII* explicat priora verba v. 4.
 Τέλειος interpretatur per *perseverans, ad finem perductus*; est. Pag. 283-
 enim a τέλος, nec perfectum est aliquid, quod ad finem non. 298.
 perdurat, & quia in afflictionibus patientia, quæ ad finem per-
 durat, exigitur; unde in prisca ecclesia martyres κατ' ἐξοχήν
 dicebantur τέλειοι, martyrium ἔργον τέλειον: quia cum signifi-
 catione alteram, qua perfectum notat, consistere posse addit.
Dissertatione IX versatur in explicando posteriori membro v. 4. 299-310.
 In illa id agit, ut discrimen inter τέλειος & ὀλόκληρος inculcet,
 quorum illud perfectionem *graduum*, hoc *partium*, innuit.
 Græcis τέλειοι dicebantur *adulti*, porro qui matrimonio in-
 eundo per ætatem erant idonei, item qui eximiis animi do-
 tibus, ac corporis viribus, erant instructi; Stoicis audiebant,
 qui ad egregiam sapientiam ac virtutem pervenisse judicaban-
 tur. Christianis nuncupabantur τέλειοι 1) *sacro fonte viventi*, 310-325.
 2) *sacra causa* participes, 3) *martyres*. Ratione corporis τέ- 325-328.
 λειοι vocabantur 1) *athleta & milites*, 2) *victimæ*, quæ de-
 bebant esse integre, 3) *Dii*, quibus victimæ τέλειοι debeban-
 tur. Ὀλόκληρος non notat *heredem ex affe*, quod *Brochman-* 329.
do & Antonidi visum; quo significatu apud Græcos vix venit.
 Voces τέλειος ac ὀλόκληρος, licet frequentissime distinguantur,
 haud raro tamen, quod ad significatum, confunduntur, ut sic in
 illis vocibus, ac sequentibus: ἐν μηδὲν λαπτόμενοι, *expositio* ac,
congeries aliqua statui possit; quoniam tamen sapientiæ divinæ
 est convenientius, ut singulis vocibus suis peculiare tribua-
 mus significationes, significatu differre, est dicendum. Locutio- 363.
 nem, ἐν μηδὲν λείπεσθαι apud *Euripidam, Plutarchum, Diodo-*
rum Siculum, Dionysium Longinum, & alios, occurrere, proba-
 tis exemplis monstrat. Non intercedit tamen, quo minus cum
Benno Fabio & Jac. Lydio affirmari possit, ex *athletica* veterum
 peritiam esse, quibus λείπεσθαι dicebantur, quos alii cursu
 prævertebant, quique animi & corporis viribus deficiebant ad-
 eo, ut spem victoriæ abjicerent; quæ omnia ad certatores spiri-
 tuales traducit, & qua ratione illud ἐν μηδὲν λείπεσθαι a τελείω
 & ὀλόκληρῳ distinguatur, accurate ostendit. *Dissertatione XI* 363-374.
 Sic

- fit explicationem v. 5. Sapientiae, generalius sumtæ, usus multus est in tentationibus; quo vero modo illa se ad omnis virtutis exercitium habeat, & quæ speciatim illius sit ratio in repellendis tentationibus, in sequentibus docet, quæ a Deo, qui solus in *emphasi* est *sapiens*, peti debeat. Licet Deus dici possit *ὀνειδίζεσθαι*, *exprobrare*, *opprobrire*, beneficia homini, etiam credenti, intus per conscientiae convictionem, extus per verba, imo per poenas & castigationes immittas, tamen, quos solatur *Jacobus*, erant 1) afflicti, & quidem causa Christi, quales Deus probris insectari non solet, 2) petunt a Deo sapientiam, quo afflictiones ferre ac superare queant, imo Spiritum Sanctum, sapientiae effectorem, quem petentibus non negat, *Luc. XI, 13*; 3) petebant, saltem petere debebant, *in fide*, v. 6; ubi autem aliquid Deus suis exprobrat, fidei defectum exprobrat.
- 371-386. *Dissertatione XI* proponit Deum dantem simpliciter, ad v. 5. Voculam *ἀπλῶς*, quam constructam vult non cum *πῶσι*, sed *διδόντος*, varias habere significationes, testibus optimis scriptoribus Græcis, monstrat; esse scilicet idem, quod *μοναχῶς*, notare *immutabiliter*, *omnino*, *solus*, *absque conditione*, aut *exceptione*, non *μετὰ πολλῆς ἀκριβείας καὶ φαντασίας*, munera commendando, & exaggerando, & *λόγον δόσεως καὶ λήψεως* accuratius ineundo, *large*, *liberaliter*. Quos omnes significatus ad unam generalem notionem reduci posse observat, ut *διδόναι ἀπλῶς dare ex sincero amore* designet, quæ duas alias ambitu suo complectatur, *amanter* & *sincere*, qui significatus apud scriptores Græcos melioris notæ occurrit, statui ex - Judæorum probe convenit, cumque nexu sermonis concinne consistere potest. Per *σοφίαν* intelligit *sapiens*, sive *prudens*, *consilium*, quo illis maxime est opus, qui premuntur miseriis, ac varias perpetiuntur tentationes. *Dissertatio XII* datur explicationi v. 6. Illud *ἐν πίσει* ab *Hammondo* divellitur ab *ἀντρέτω*, & refertur ad personas, & harum affectionem. *Μηδὲν διακρίνεσθαι* innuit quidem ingens fidei robur, dubitationem tollens; non tamen locutio hæc adeo rigide accipienda est, ut preces frustraneæ judicandæ sint, quibus vel minima in tentationibus dubitatio infit, modo illa tentatio non superior evadat. Significatum vocum

cum κλύδων, ἀνεμιζέσθαι, & ἐπιζέσθαι, ex usu apud scriptores
 Græcos determinat. Vocem ἀνεμιζέσθαι rarissimi apud Græcos
 scriptores est usus, quam præsci Lexicographi omittunt, recentio-
 res citant unum locum *Jacobi*. Idem hæc vox significat, quod
 πνευματίζω. Hac occasione differit de verbis, desinentibus in
 ίζω, quæ *activam* inferant vim, eamque majorem, quam de-
 sinentia in αίω, εύω, έω, έώ, & sic porro, cujus generis ver-
 bis delectatus sit *Jacobus*. Verbum ἐπιζέω non accessit a ἐπιτι-
 ζέω, eliso τ, sed potius a ἐπίς, quæ designat *instrumentum*,
 quo ventus excitatur, ventilabrum, flabellum, follis. Hinc
 prima atque propria verbi hujus significatio, *ventum ejusmodi*
flabello excito, ventilo; specialius adhibetur de *ventorum motu*,
 quem fluctus sequuntur in mari, specialissime de igne, vento
 immisso suscitato; quod qua ratione ad hominem, ejusque ani-
 mum, transferri queat, in sequentibus erudite docet. *Disserta-* Pag. 435-
tione XIII lux affunditur v. 7. Nominat ἀνθρώπων Apostolus, 461.
 non ἀδελφόν, uti v. 9, quia dubitatio talis impedit, quo minus quis
 frater in Christo esse possit. Εκείνος idem est, quod τοιάτος,
 ut *Pricæus* monuit, & *Lutherus* in interpretatione sua ex-
 pressit. Όμοίαι & κατ'ομοίαι sumitur de homine, nimia sui opi-
 nione & arrogantia inflato; talis qui est, nil quidquam a do-
 mino accipit. Per κύριον non speciatim Christus, uti *Grotius*
 vult, sed Deus triunus, vel prima deitatis persona, est intelli-
 genda, respondet nomini יהוה, quod est fundamentum omnis
 veracitatis divinæ. *Dissertatione XIV* dilucidatur v. 8. Ἄνθρωπος, uti 462-469.
 etiam frequentissime ὄνθρωπος, in genere notat *hominem*; vox δ'ψυ-
 χος, iusta profanis scriptoribus, notat illum, qui *dubio in-*
sertoque est animo, & qui *simulatorem agit*, quales se ipso ope-
 re præstabant Judæi, ad quos scribebat *Jacobus*. Ὀδός, respon- 471-485.
 dens Εβραῶ ὁδός, frequens est in scriptis Nov. Test. *Act. XIV*,
16, Rom. III, 16, 1 Cor. IV, 17, &c. & notat totam vitæ hominis
 rationem, sive omnia ejus consilia ac facta, quin & fata. Specia-
 tim loquitur Apostolus de occupationibus religiosis, quæ viam
 ad Deum muniunt. Ἀκατάστατος designat & *inconstantem, mo-*
bilem, & illum, qui *vehementiori & turbulento motu* agitur. *Dif-*
fertatione XV evolvit Autor v. 13. *Jacobus non directe, sed oblique,* 485-490.
 illorum

- illorum errores notat, ne illorum animos magis exulceraret. Per
tentationes sunt intelligendæ persecutiones, quibus ad ejuran-
dam Christianam religionem incitabantur, quales qui perfere-
bant, dicuntur scriptoribus ecclesiasticis *πειραζόμενοι* & *πε-*
πειρασμένοι. Tales sibi immitti autumabant ex-Judæi nostri.
- 3ag. 492-
500. *Ἀπειράστος*, vox antiquioribus Græcis fere incognita, cujus lo-
co utebantur *ἀπειράστος*, *ἰones ἀπειρήστος*, invenitur tamen
apud *Galenum de cura & medel. morb. P. I pag. 365*, *Jose-*
phum B. J. Lib. V Cap. 9, & *Lib. VII Cap. 8*. Hanc passive
hic sumi debere, Cl. Autor solide demonstrat, Deumque ten-
tari, id est, malis affici, non posse, ex contemplatione summa-
rum ipsius perfectionum evincit, nec quemquam ad malum so-
licitare, quod ipsum quoque Philosophi gentiles a Deo vel ma-
xime alienum esse pronuntiarunt. *Dissertatione XVI* illustratur
508-523. *v. 14. Δέλεαρ*, unde *δελαιόζεν*, sumitur & de *blanditiis* mere-
triciis, & de *illicebriis*, quibus pisces, aves, ac feræ, capiuntur.
Dici igitur potest, concupiscentiam tanquam meretricem
525-528. proponi, quæ hominem suis irritamentis allicit. In verbis,
ἐξελκόμενος καὶ δελαιζόμενος cum *Gomaro* hystorologiam non
agnoscit, *ἐν, διὰ δυῶν*, admitti posse, non diffiteretur, hunc in
modum: *ἐξελκόμενος δελαιεῖ*, vel *ἐξελκόμενος δελαιεῖς*, uti
Philo habet *de Agricultura pag. 158*. Nec *Apostolus* ordinem
turbat. *Ἐξέλκεσθαι* referri potest ad primum ætum, quo
pisces esca, in undas immissa, fundo aquarum eliciuntur, *δελαι-*
ζοσθαι ad id, ubi escam apprehendentes, hamo fixo extrahuntur.
Quo vero modo concupiscentiæ hominis mentem sensim
occupent, illamque tandem dent præcipitem, in sequentibus
528-540. declaratur. In *Dissertatione XVII & XVIII* dedita opera & multo
apparatu declaratur discrimen, quod *v. 17* inter *δόσιν* & *δώ-*
ρημα intercedit. *Petrus Faber*, *Jac. Lydius*, *Hammondus*, &
Amelius, voces ex re *athletica* depromptas esse, arbitrantur, *δόσιν*
minora, *δώρημα* *majora*, dona significare, statuentes. Distinctionem
hanc sublatam cupiverunt *Wokenius* & *Wolfius*; sed No-
ster illam tam luculentis, tamque copiosis, optimorum scriptorum
Græcorum testimoniis firmavit, ut omnem fere scrupulum exe-
542-549. merit. In verbis: *πάντα δόσις ἀγαθῆ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον*,
integrum

integrum hexametrum esse, *Schmidium Erasmus* primum, inde *Blackwallum*, observasse, scribit *Wolffius*; sed ostendit *Cel. Heisenus*, hoc jamdum indicasse *Federicum Morellum* in *Notis ad Dionem Chrysostomum pag. 97*, quod de illo notet *Jac. Duportus* in *Gnomolog. Homer. pag. 190*. Vocibus *δόσις* & *δόσημα* forsitan Pag. 549-566. alludit Apostolus ad præmia, quæ militibus, item athleticis in ludis Olympiis & Pythiis, dabantur. *Dissertatio XIX* lumen fœ- 567-592. neratur v. 19. In illo sermo est de Evangelio, de quo v. 18 & 21. Vult igitur, ut ex-Judæi, qui proclives ad defectionem, ad audiendum segnes, facti erant, aures substringerent Evangelio, illi non obloquerentur, nec perpeffionum mole pressi multa per iram contra illud proferrent. Verbis illis non tam respi- 594-604. citur, quod *Lud. Capellus* opinatur, ad *Prov. XVII, 27*, quam ad *Eccl. IV, 17, V, 1, 2*, & si, quæ Apostolus dicit, generatim accipiuntur, digitum intendit in *Syrac. V, 11*. *Dissertatio XX*, quæ est 604-606. ad v. 20, demonstrat, per *justitiam* intelligendam esse iustitiam fidei, per *iram* animum afflictionibus, causa confessionis doctrinæ Christianæ immisilis, exagitatam. *Dissertatio XXI* 607-614. explanat v. 21. Vox *ῥύπος*, unde *ῥυπαριὰ*, notat 1) aurium fordes, quo sensu occurrit apud *Hippocratem* & *Clementem Alexandrinum*, eundemque huic loco apprime convenire, Autor ex nexu ostendit; 2) vestium inquinamenta, uti *ῥυπαρὸς Jac. II, 2*, quod etiam verbum adjectum *ἄπορῖθεδάς*, de vestibus deponendis adhiberi solitum, docet *Act. VII, 58*, & *Ebr. XII, 1*. Namque homo, ad Christum conversus, gravioribus sceleribus vale dicere tenetur, & ut se a reliquis successu temporis, gratia divina adjectus, purget, operam navare debet. Ubi Apostolus nominat *περισσεῶν κακίας*, *Grotius*, *Hammondus*, & *Cle-* 616-621. *ricus*, ad præputium, quod tanquam *superfluum* quid, durante Vet. Testamento, ponendum erat, respici volunt; ad *excrementa* corporis superflua *Beza*, *Piscator*, & *Eras. Schmidius*. Utraque interpretatio non omnino rejicienda est. Per illam autem ex scopo & nexu orationis indicatur studium illud ac propositum ex-Judæorum, fidem Christianam ob afflictiones deferendi, quo 621-637. se omni iustitia Christi indignos reddebant. *Ἐν πρώτῃ* verti potest, vel *cum mansuetudine*, vel *mansuete*, quæ virtus ex-Judæis necessaria

- necessaria maxime est, ne affectu tristitiæ & iræ ob incumbentes
 Pag. 637- graves adversitates defectionem temere susciperent. *Disserta-*
 639. *tio XXII* vertitur in explicandis ultimis verbis *v. 21: δεξασθε*
τὸν ἑμφύτον λόγον κ. τ. λ. Per λόγον ἑμφύτον Patrum plu-
 res intellexerunt *Christum*, habitantem in omnium hominum
 639-652. mentibus, rationem, omnibus communem, cum Christo con-
 fundentes. Qua ratione vero ea, quæ de λόγω disseruerunt
 Patres, *Ariani* ad errores suos vel palliandos, vel confirman-
 dos, traxerint, & quo modo totum illud, quod de λόγω tra-
 652-669. diderunt, a *Platonis* hausierint, docet in sequentibus. *Ansel-*
mus pariter accipit de Christo, quoniam per ἐνσάρκωσιν fa-
 669-670. ctus fuerit filius hominis. Sed nec illa explicatio locum suum
 tueri potest. *Coccejus*, evangelii doctrinam ita appellari posse,
 contendit, quoniam se rationi ac conscientiæ commendat;
 sed inde ratio reddi nequit, quare ἑμφύτος λόγος dicatur.
 670-674. *Dan. Heinsii* & *Jo. Henr. Suiceri* interpretatio, illud ἑμφύτος
 reddentium per *verus, simplex, non fucatus*, licet a vocis si-
 gnificatu non discedat, dubium tamen est, an *Jacobus* eo sensu
 hic sumat. Evangelium esse *verbum veritatis*, dixerat *v. 18*;
 non videtur igitur id ipsum de novo ingerere voluisse *v. 21*, &
 674-677. si voluit, quare non repetiit vocem ἀληθείας claram ac evi-
 dentem? Alii vocem ἑμφύτος reddunt per ἑμφύτηθεῖς, locu-
 tionem desumpta a *plantatione, insitione, vel sementi*. A *planta-*
tione *Syrus*, quem plures sequuntur, ab *insitione* *Th. Beza*,
 a *consitione*, vel *sementi*, *Seb. Castalio*, *Conr. Vorstius*, *Cleri-*
cus, *Elsnerus*. Circa tropicam vocis hujus significationem notat:
 1) vocem ἑμφύτος pro *plantatus* occurrere parcissime, & qui-
 dem apud scriptores Græcos recentiores, Christianos potissi-
 mum; 2) vocem hanc significantiorem esse, & præter cau-
 677-686. sam simul effectum includere. *Lud. Capellus* & *C. Raphaelus* red-
 dunt per *insitus*, quod verbum divinum *alte sit infixum ac in-*
time unitum verbis. Hoc sensu apud Latinos sumitur *insitus*,
 distinguiturque ab *innatus*, uti pariter apud Græcos ἑμφύ-
 τος, significans, non quod natura, sed educatione, discipli-
 na, consuetudine, vitæ genere, consortiis, opibus, honoribus,
 utilitatibus, soli ingenio, cœli temperatura, & aliis, inditum est
 homini,

homini, animumque ejus diversè afficit. Cum autem dubium Pag. 686.
 moveri possit circa verbum *δέχομαι*, qui dici possit *accipi*, 694.
 quod tamen dicatur *innatum, insitum*, observat, ita *accipi*, ut
 ad perfectiorem gradum hoc ipso obligentur, vel *enallagen*
 temporis hic loci obtinere, ut *ἐμφυτον* sit id, quod inseritur;
 in futurum tempus propendent *Creyghton & Elsnerus*, ut in-
 dicetur *verbum inserendum*. *Calvinus & Conr. Vorstius* statuunt
 defectum particulæ *ὡς, εὕτως*, *Jf. Casaubonus*, *ἐμφυτος* pro *ἐμ-*
φύτως poni, censet. Enarratis igitur variis variorum circa verba 694-699.
 illa sententiis, *Dissertatione XXIII* Autor ad illarum examen se ac-
 cingit. Nonnulli *trajectionem* aliquam statuunt, inferendo *όντα*,
 vel illud in *ἐάν ἐμφυτος ἢ* convertunt hunc in modum: *δέξα-*
θε τὸν λόγον τὸν δυνάμενον ἐμφυχον ἔντα (*ἐάν ἐμφυτος ἢ*)
σῶσαι τὰς ψυχὰς ὑμῶν. Quæ *trajectio & construendi ratio*
 non insolens Græcis est, ac rei ipsi convenit. Verbum Dei tum de-
 mum servari potest, ubi *cordibus innascitur*, *Matth. XIII, 19-23,*
Ezech. XXXIII, 31, 32, Ebr. IV, 2. Id inculcare necessarium erat
 ex - Judæis, qui defectiorem circumspiciebant, quia verbum
 salutis ad salutem nemini prodest, nisi in suam id convertat natu-
 ram, ut ab illo se non amplius avelli patiatur. Aliis placet 702-705.
τὸ δέξασθαι παρέλκειν, adeo ut *δέξαθε τὸν ἐμφυτον λόγον*
 idem sit, quod *ἐμφυτος ἔγω ὑμῖν ὁ λόγος*. Verbum *δέξε-*
σαι aliquando abundare, & Apostolos ex lectione *τῶν ὀ* pleo-
 nasmis assuevisse, contendit. Si quis tamen ægre ferat, hoc pa-
 eto verbum *δέξαθε* otiosum prorsus constitui, verba *Jacobi*
 hunc in modum explanari possunt: *Ἐάντε ἐμφύσεσθαι ὑμῖν τὸν*
λόγον, sensu eodem manente, cum *δέξεσθαι* Græcis haud ra-
 ro significet *velle, sinere, cupere*, & *δέξεσθαι* *nolle, aspernari,*
recusare, refragari. In his tamen interpretationibus non omni- 705-714.
 no acquiescit; quare ita exponit verba: *Verbum, quod in na-*
turam vestram abiit, eamque emendavit, imo novam effecit, eo,
quo par est, amore ac honore ita recipite, ut perpetuo retinea-
tis. Cujus suæ explicationis rationem in sequentibus reddit,
 eamque ab objectionibus vindicat. *Dissertatio XXIV de* 714 750.
 clarat sensum *v. i Cap. II: ἔχειν ἐν προσωποληψίαις*, quod idem
 est, quod *προσωποληπτῆν*; hinc verba ita reddit: *ne accipia-*
tis

- tis personas in fide, vel in iis, quæ ad fidem & religionem pertinent.* Potest etiam *fides* hic abstracte poni pro *fidelibus*, hoc sensu: *ne committitote infidelibus προσωποληψίαν.* Illud τῆς δόξης construit cum ἐν προσωποληψίαις, non quod ad vocem, sed quod ad rem, ut sensus sit, ne majoris æstimarent in rebus, ad religionem spectantibus, illos, qui alios honore ac gloria antecederent. *Dissertatio XXV* interpretatur v. 4 *Cap. II.* Καί, quod est in initio v. 5, conjungendum cum sequenti, ac vertendum per &, &, vel *tum, tum*, quam vim habet apud scriptores sacros Nov. Test. & τῆς ἕξω. 'Ou non abundat, quod *W. Wall* censuit, nec tamen interrogative est accipiendum. Διακρίνεσθαι, quod exemplis prolatis probatur, notat *post accuratam causæ tam ex jure, quam ex æquo, cognitionem, disceptantes partes dirimere, ut vel, qui causa cecidit, si conscientiam suam audiat, acquiescat.* Transfertur etiam ad bella, in quibus armis dijudicatur, quæ jure & legibus nequeunt. Huic generali notioni speciales Autor subdit. Hic loci *judicandi* notionem obtinere, contendit, & quidem tale iudicium, quod cum προσωποληψία in ditiores ac nobiliores, contemptuque in pauperes ac viliores, conjunctum erat. Vult autem illud διακρίθης non tam *active*, quam *passive*, acceptum, cum προκαθεδρίων multumque prærogativæ tribuentes ditioribus in suis conventibus, sibi ipsis maximum damnum intulerint, ac contra se iudicium protulerint, cum maximam partem pauperibus constarent. Quam suam sententiam ubi in tuto locarat, examinat interpretationes
- 798-818. *Grocii, Er. Schmidii, Lud. Capelli, Elsneri, Oederi.* *Dissertatio XXVI* occupatur in expedienda difficultate, quæ circa τρεχόν γενέσεως *Cap. III v. 6* interpretes sollicitos habuit. Primo quidem Autor examini submittit variorum sententias, *Bezae*, intelligentis *universam rerum naturam*, *Cocceji*, *totum mundum*, *Isidori Pelusiota Ep. Lib. IV Ep. 1*, *circularem temporis formam*, & specialius *Lib. II Ep. 148 tempus vitæ nostræ*, *Syri* interpretis, exponentis per *seriem generationum nostrarum, quæ currunt ut volæ*, quam interpretationem adoptarunt *Lamb. Bos*, itemque *Alberti*,
- 818-830. nec abludit *Wolffius*. Nec ex mente *Goltzii* locutio a *rota figulina* est petita, ut *rota* referatur ad *Deum*, qui hominem *figuli*

figuli instar fingat. Dicit enim nequit, opus Dei a lingua hominis incendi. De vitæ curriculo exponunt *Castalio*, *Clarius*, *Zegerus*, *Grotius*, *Piscator*, *Pricæus*, *Estius*, *Emm. Sa*, *Tirinus*, *Menochius*, *Gordonus*, *Glassius*, *Brochmondus*, alii. Sunt, qui legi volunt *τρέχος*, accentu acuto posito in penultima, ut faciunt *Grotius*, *Heinsius*, & *Car. le Cene*, ut sic denotetur *vitæ cursus*, vel *curriculum*. Hi notantur quidem ab *Elshero* & *Wolffio*, sed præter rationem, cum accentuum signa ab antiquissimis Codicibus MStis absint, & *τρέχος* apud optimos scriptores Græcos sæpe idem dicat, quod *τρέχος*, *cursus*, generatim quidem *qualiscunque*, speciatim *orbicularis*. *Τρέχος γενέσεως* designare potest *integram vitam*, & sic responderet illis *ἔλεν τὸ σῶμα*, ut sensus sit: *lingua maculat totum corpus, & totam* (quoque) *inflammat vitam*, quoniam *cursus* vel *rota* per totam vitam a primis ejus initiis ad extremum usque halitum exportigitur. *Γένεσις* vertitur ab aliis *natura*. Ita venit *Platoni*, *Aristoteli*, *Athenæo*, aliis, atque ita intelligi potest de *natura lingue* ipsius. Quare *Heinsius* verba: *γλώσσα φλογίζουσα τὸν τρέχον τῆς γενέσεως*, reddit: *lingua, quæ inflammat suæ naturæ rotam*. Linguae convenit *velocitas* ac *volubilitas*, qualis rotis est propria; hinc retineri potest vox *τρέχος*, *rota*. *Rotam* etiam lingue adscribit *Syracides XXXIII, 4, 5*. Græcis a volubilitate sua dicitur *ὑπέρτερος*, *sermo super rotis vehi* pronuntiat *Prov. XXI, 11*, verba appellantur *πτηνὰ* *Euripidi Orest. v. 1175, 1176*, *τρέχαλός*, *volubiliter*, prolata *Clementi Alexandrino Paedag. Lib. II Cap. 7*. *Τρέχος* sensu medio accipi potest, ut tantum naturalis, qua pollet, volubilitas indicetur. Vitium est in τῷ *φλογίζουσα*, quo modus exceditur; hinc sequitur, *φλογιζομένη ἀπὸ τῆς γένεσις*, lingua ab æstuantibus ac impetuosis affectibus inflammata. Porro denotare posse censet *integri hominis, & præsertim animæ, quamdiu corpori conjuncta est, naturalem, eamque depravatam, constitutionem*, cujus decursus flammæ sæpillime concipit. Sensum hunc firmat testimonium Philosophorum, *Platoniorum* maxime, etiam Christianorum. Hinc sensus: *& inflammans (quoque) totam animam*; aut plenius: *totam, quamdiu in corpore est, animam, omnesque*

- omnesque affectus; quin, surgente sermone: imo inflammans
 Pag. 855- totum hominem. Post hæc observat, γενεσιν idem esse, quod
 862. γενή, genitura, semen genitale; cujus vocem inflammare notat
 ad scortationem atque adulteria vehementissime instigare, & ge-
 neratim impudicas cogitationes ac voluptatem obscenam excitare,
 862-868. & quæ alia sunt his conjuncta. Sensum hunc nexui favere de-
 monstrat, quia in proxime superioribus dictum fuerat, linguam
 commaculare totum corpus, corpus autem cum primis maculari il-
 licita venere, 1 Cor. VI, 18. Per gehennam intelligendos esse spi-
 ritus infernales, ἐξόχως impuros appellatos Matth. X, 1, XII,
 43, qui homines ad impuras libidines exstimulent. Scopus est,
 redarguere falsos doctores, qui se in docendi munus temere
 ingerunt, ac linguæ illorum petulantiam, castigare, Cap. III v. 1,
 quos inter erant, qui & carnales sectabantur voluptates, ac aliis
 868-873. suadebant, 2 Petr. II, 9-22, Jud. v. 4 seq. Postremo significat
 πρὸς γενεσιν fata factaque hominum, adeo ut γενεσιν idem
 notet, quod Ebraeis רַחֲמַיִם, quem significarum etiam habet
 apud Platonem, Plutarchum, Aristotelem, alios. Τροχὸς expri-
 mit instabiles vitæ humanæ casus, tum secundos, tum adver-
 sos, ut sensus sit, linguam commaculare totum corpus nostrum,
 873-879. & quæ nobis, vel inter nos (homines), accidunt. Quid de sin-
 gulis his sententiis sit censendum, sub finem hujus Dissertationis
 879-880. Autor expendit, in penultimam vero potissimum inclinat. Dissertatio
 XXVII, eaque ultima, evolvit sensum v. 5 & 6 Cap. IV, variis
 diversorum interpretationibus obnoxiorum, in qua inquiritur
 potissimum, an, ubi, & quatenus, verba: πρὸς Φθόρον ἐπιπο-
 θεῖ τὸ πνεῦμα, ὃ κατὰκτισεν ἐν ἡμῖν, in Scriptura Vet. Test.
 881-928. existant, cujus potissima momenta pariter referremus, nisi hæc
 nostra scriptio longius jam provec̄ta fuisset. Ex illis autem, quæ
 ex limatissimo hoc Opere produximus, eruditus Lector facile
 judicare poterit, quid de eo sit censendum. Multa omnino
 nova, ab aliis interpretibus prætermittæ, eruditissimus Autor
 attulit, omnia justis rationibus communivit, aliorum senten-
 tias accurate ponderavit, de illis tamen judicium suum mode-
 ste expromsit, & si qua nonnullis videbuntur longius petita,
 industria tamen, eruditio, ac singularis ἀγχινοια, ubique elu-
 cent.

cent. Duplex subjectus est Index, quorum prior editiones Autorum potiorum, quibus usus est Noster, recenset, posterior rerum tractatarum, & verborum expositorum, silvam repræsentat.

SYNDESMOLOGIA, SIVE HISTORIA LIGAMENTORUM corporis humani, quam secundum observationes anatomicas concinnavit, & figuris, ad objecta recentia adumbratis, illustravit, JOSIAS WEITBRECHT, D. M. Academiæ Scientiarum Petropolitaneæ Membrum, & Professor Physiologiæ.

Petropoli, ex typographia Academiæ Scientiarum, 1742, 4 maj.

Alph. 1 plag. 15, cum Tabb. æri incis. 26.

Ossa exsiccata in sceleto considerare, ad cognitionem osteologicam quidem præparat, non vero omnem absolvit. Hoc inter veteres Anatomicos nonnulli agnoverunt, inter illos vero, qui nostram ætatem nobilitarunt, recentium ossium consideratio magis magisque exulta fuit. Autor hujus Operis jam ante sæcūlū annos, cum Anatomes principia excoleret, defectum considerationis ossium recentium perpexit, ideoque ad historiam ligamentorum corporis humani dilquirendam animum convertit. Pauca, vel prorsus nulla, tunc temporis in Anatomicorum scriptis invenit subsidia, strenuo tamen labore multa cadavera, hisce disquisitionibus tantum intentus, perlustravit. Cum vero ob varia impedimenta observationes suas, nullis iconibus illustratas, in publicum emittere tardaret, *Winstovii* & aliorum scripta, historiam ligamentorum illustrantia, prodierunt, quibus evolutis, & cum suis descriptionibus comparatis, observationes suas repetitis dissectionibus perfecit, & icones elegantissimas addidit. Summo igitur jure affirmamus, Cel. Autorem illud præstitisse, quod in tali scripto maxime requiritur. Ex crebra cadaverum inspectione observationes enatæ sunt, quas clare & perspicue descripsit, ita, ut nec superflua tædium legenti creare, nec necessaria quædam momenta desiderari, queant. Investigavit quidem & veterum

veterum & recentiorum scripta, cumque suis observationibus contulit, & illas quoque sententias Autorum, quæ ad majorem dilucidationem facere poterant, præmisit, alias vero tantum in Notis adjecit, vel prorsus omisit; in omnibus tamen magis veritatem per cadaverum dissectionem comprobata, quam Autorum placita, sectari voluit. Nihil enim scripsit, quod non aliquoties, immo decies & pluries, repetitum fuerit, ita ut plus centum cadavera suam symbolam ad hoc Opus perficiendum contulerint. In nominibus ligamentorum imponendis non semper alios Autores secutus est, sed illa a situ, figura, aliisque circumstantiis, prout natura illud requirebat, desumpsit. Synonyma vero, ubi opus erat, apposuit. Icones insigni cum industria delineatas, & descriptionibus maxime respondentes, cognovimus, ut accuratissimus quoque censor pauca in iis corrigere possit. Usus est in his adornandis Rusticæ juventutis Academicæ opera. Quod igitur primarium est in omnibus delineationibus, situs partium ita fuit assumptus, ut ligamenta delineata optime cognosci queant, & quando in vario situ melius possunt perspicui, in duabus ut plurimum iconibus adumbrentur. Ex ligamentis, partes molles connectentibus, illa tantum exhibuit, quæ vel prorsus non, vel minus apte, ab aliis delineata fuerunt, in pluribus vero ad Autores provocat. Omnis tractatio *septem Sectionibus* absolvitur, quarum *prima* de ligamentis in genere agit; *secunda* ligamenta artuum superiorum, claviculæ, scapulæ, humeri, cubiti, tendinum & ossium manus, proponit; *tertia* ligamenta capitis, hoc est, maxillæ superioris & capitis propria, describit; *quarta* ligamenta ossium trunci, vertebrarum, thoracis, & pelvis, sistit; *quinta* ligamenta artuum inferiorum, femoris cum coxa, articuli genu, inter tibiæ & fibulam, pedis extremi cum tibiæ & fibula, ossium pedis extremi & tendinum, annexis quoque ligamentis ossium sesamoidum in pollice, exhibet; *sexta* ligamenta partium mollium recenset; *septimo* tandem iconum explicationes addit. His generalioribus de totius Operis ratione præmissis, *Sectionem primam* nonnihil exponere, & ita ideam Operis ex parte declarare, suscipimus. *Ligamentum* Cel, Autori dicitur *particula corporis albicans,*

cans, ex fibris flexilibus elasticis plerumque parallele concretis in substantiam tenacem fibrosam, ruptioni fortiter resistentem, & solidam compacta, eum in sinem creata, ut duæ pluresque partes, que alias divulsa per se subsisterent, adunentur, atque in situ respectivo determinentur. Præmissis nonnullis de veterum sententiis circa ligamentorum naturam, ad ligamenta, proprio sensu ita dicta, refert 1) omnem illum apparatus membranaceum, quo singulæ ossium & cartilaginum articulationes circumducuntur; 2) omnes productiones membranaceas, quibus ossa & cartilagine extra articulationes vinciuntur & ligantur; 3) omnes circumvolutiones, quibus tendines in sedibus suis conservantur, eorumque directiones determinantur; 4) omnes membranas & membranarum duplicaturas, quibus viscera & aliæ partes molliores ad partes vicinas alligantur. Ex numero vero ligamentorum excluduntur 1) membranæ, quæ unam pluresque partes tantum circumcingunt, ut dura mater: quorum pertinere videntur membranæ mucosæ, tendines involventes, membranæ communes, musculos involventes, membrana, ossa involvens, sive periostium; 2) membranæ, quæ quidem unam partem cum altera conjungunt, sed tamen per hanc ipsam copulationem cum parte combinata tertium aliquod corpus constituunt, quod ligamenti nomen & officium plane amittit, e. g. membranæ trachæ, cartilagine continentis, ligamenta lata & rotunda uteri, &c.; 3) expansiones membranaceæ, quæ ab uno osse ad aliud, vel ab una ossis parte ad aliam, extenduntur, pro commodiori musculorum insertionem, ut ligamenta sic dicta interossea, &c. Has tamen membranaceas expansiones, ut receptæ inter Anatomicos consuetudini satisfaceret, accurate simul descripsit. Ligamenta articulationum vel lateraliter accrescunt, vel totam articulationem ambiunt. Hæc ligamenta capsularia cum *Winstovio* dicit, & in omni articulo mobili assumit, licet in majoribus tantum describat, in minoribus vero, ubi plerumque tam tenuia sunt, ut in conspectum produci nequeant, ulteriorem eorum descriptionem & delineationem omittit. Reliquæ ligamentorum distinctiones, a substantia, situ, habitu, magnitudine,

dine, figura, &c. desumtæ, & omnia fere, non nisi sensu relativo intelligenda sunt. Ligamenta vero ita ordinavit Autor, ut illa ad ea potissimum membra referret, quorum ligandorum gratia creata sunt. Si igitur ligamentum aliquod in parte etiam vicina oriretur, tamen in articulo, ad quem primario pertinet, describendum erat.

**C. S. A. M. APOLOGIA PRO CELEBERRIMO
*Rusticorum Latinorum Editore.***


Quoniam in Epistolis tuis, Clarissime humanissimeque *Julii Pontedera*, de injuria, tibi a Cel. *Rusticorum* Editore facta, publice conquestus es, licet instituti nostri leges, quæ neutiquam permittunt, ut cujuscunque generis litibus pacem inter eruditos & concordiam violemus, hanc Mantissam suadere non videantur; æque tamen liberum pace tua nobis esto, *Gesneri* causam defendere, quam liberum tibi fuit, Virum innocentem, nulliusque criminis reum, nuper in judicium rapere. Nos neque tibi, neque Cel. *Gesnero*, addicti ita & obnoxii sumus, ut assentationis inde gratiam aliquis suspicari jure possit, sed perlegendibus nobis *Epistolam* tuam *quingagesimam tertiam* nescio quæ tuum antea tibi *Gesnerum* purgandi reconciliandique sua sponte cupiditas accessit. Est enim natura ita comparatum, ut, si quem hominem offensum fortuna, aut adversariorum telis petitur, nedum talis ingenii Virum iniquissima actionis formula vexatum, intelligamus, cum vel officio juvare, vel tortuosis quæstionum calumniis nexum & impeditum liberare, humanitatis jura postulent. Quod dum facere instituo, etsi tam impudens & Suffenus mihi non sum, ut inter magnos Duumviros judicem me sedere posse existimem; multum tamen inter rationum criticarum conclusionem, & inter mediocrem animadversionem atque admonitionem interesse, nemo non videt, quoniam altera occulta quædam & quasi involuta aperiuntur, altera prompta & aperta judicantur. Cum enim summa quæque de peritia tua in arte critica opinemur, tibi que in annotationibus plurimis vehementer assentiamur; veniam mihi dabis, Vir optime, si, relictis tibi tuis doctrinarum copiis, ego potissimum

potissimum Cel. Gesneri candorem, fidem, modestiam, & in emaculando opere rustico assiduitatem, quanquam plura ejus & majora cum in universas literas, tum maxime in *Rusticos Auctores*, merita exstant, vindicare contendero. Ais quidem pag. 464: *pueri est, credere, quæ commemoravimus, ad Gesnerum pertinere, & mox: quare vel casus, vel incuria, cudit, quæ modo referebam, macularumque nonnullarum culpam scriba indiligentia ac socordia, non Gesnero, assignare cupis pag. 465; sed vereor, ne aliud in pectore clausum, aliud in lingua promtum, habueris, nec ita nos pueros credas velim, qui, quale sit illud Plauti:*


In melle sunt lingua sitæ vestre atque orationes

Lactæque: corda felle sunt lita, atque acerbo aceto,

non intelligamus. Nam quo argumento poteras mente præcipere, & ex communi fama tibi proponere, te Lipsientem *Rusticorum* editionem talem inventurum esse, qualem tibi *Andr. Maranus* descriperat, nisi valde suspicacem animum haberes, & Theodiscæ virtutis te contemptorem ab initio gesseris? Videtur id nobis colligi posse ex sequenti tua oratione. *Res rustica*, inquis, *apud me anceps fuerat, quippe Germanus homo de iis, quæ apud Italos in usu sunt, haud secus scribere valet, atque Italus de cerevisia consicienda, aut de brassica Germanico jure condienda.* Lepida sane argumentatio! Aliud enim est de agricolationis Italicæ, quæ nunc obtinet, rationibus librum probabilem scribere, aliud in veteres *rei rustica Auctores* commentari. Illud qui volet, sine Italicæ soli, naturæque ejus, diligentissima contemplatione & scientia nullo modo assequetur. Hoc autem qui suscipit, etsi rem per se valde arduam tractari quoscunque *Rusticorum* veterum interpretes cogitare, & in omnibus operum causis, agrorumque, vinearum, & hortorum, cultura haud mediocriter versatos esse, oporteat, nondum tamen ratio idonea subest, quamobrem Italo sub cælo natus simpliciter esse debeat. Quanquam enim propter incredibilem tuam in colendo agro, arboribusque & herbis vel serendis, vel propagandis, industriam, & subtile ingenii acumen, ad *Rusticos* illustrandos emendandosve pæne natum te factum-



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1743

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 613 L 4⁰

que esse, non diffitemur; attamen, ne alto nostros homines supercilio despicias, iterum iterumque rogamus. Si verum est, quod tu ipse in *Epistola I pag. 1* haud inficias ire videris, malum esse nostris temporibus in raris disciplina immutatum, sane plurima sunt, inquiens, quæ alio modo nunc sunt, alio tunc fiebant - - - *Et, ne plura complectar, alio modo vina curdimus, alio prisca solebant, neque, quo vase torculo hi oleum exprimebant, eodem nos conficimus - - - quare multa, quæ rari nunc moliantur coloni, nihil ad veterem disciplinam intelligentiam conferunt, quippe vel nova, vel diversa; facilis quoque adversus tuam gentem argumentatio hinc oritur. At, quia hodiernum aliqua similitudo agriculturæ veteris cum apud vos, tum in cultiori Germaniæ parte, qualem nos habitamus, remansit, non satis humaniter facis, quod nobis scientiam raris antiqui, & Gesnero imprimis intelligentiam eorum, quæ a Catone, Varro, Columella, & reliquis Autoribus, commemorata sunt, impetu in nos per cuniculos facto, eripere conaris. Ostendunt sane rusticæ tuæ animadversiones, & tabulæ, quibus abustorum & vitium genera imitando expressisti, non exiguam pulchritudinem, nobisque, haud ita pridem rusticantibus, ingentem voluptatem creaverunt. Sed censesne tu, Gesnero, Viro præstantissimo, raris studium deesse potuisse, a quo tot egregias de rebus rusticis disputationes accepimus? Vide mihi, quæso, inter multas alias illam de *Hordeo ad Columell. II, 9, 14*, quæ utrum a viro artis rusticæ ignaro proficisci possit, ipse iudicabis. Quando dicis: *operarum negligentia animadversionum tituli contrahuntur, aut immutantur, quo factum est, ut pleraque evanescant*, id tale est, ut nec *Celeb. Gesneri* fidem & probitatem suspectam reddere, nec editionis *Rusticorum Lipsiensis* laudi quidquam detrahere possit. Animadversionum titulos haud raro contractos esse & immutatos, non negamus, nec ipse negabit *Cel. Gesnerus*. Sed jure & ratione id fieri oportuit. Non enim *Victoriano*, aut alius cujuscunque libri, sed hujus editioni: textui & verbis consentanei, nec sigillatim, & copiosa oratione, præfigendi erant indices, ne hac lectionum dissimilitudine aut *οὐκ ὄμοιαι* offenderetur lectoris animus. Hoc autem*

autem compendium non tam ejusdem generis librorum exempla, in Britannia, Belgio, & Francia, prodita, suadere videbantur, qualia in re simili & libera sectari nemo vetat, quam ipsa librarii, ne justo sumtuosior libri forma exiret, cura postulavit. Cum enim nihil inde obscuritatis & erroris proficiscatur, nemoque tam cœcus ac stupidus esse possit, qui, attente legens cujuscunque viri docti observationes, quam quisque lectionem probavit aut damnavit, ex ipsa annotatione non cognoscat, ea solum lemmata subjicere fas est, quæ ad sententiam Autoris, & textum, proprie spectant. Reliqua Editoris fides & ingenuitas præstat. Importunum ergo est, maledictis profcindere Cel. *Gesneri* famam, quæ apud imperitos aliquam vim habere possunt, sed, diligentius sub examen vocata, nihil nocent. Fac enim, *Victorianam* Notam ad *Cat. XI, 4*, principio verbi *Ruscarias* pro *Rustarias* designari; quis ex ipsa *Victorii* oratione non intelligit, libros ante eum *Rustarias* exhibuisse? Eadem est ratio in ceteris locis, v. c. ad *Cat. XXXVII, 2: Accuris frondem iligneam*; *Caton. XXXIX, 1: Viri sicca alligato*; *Varr. III, 1: tabella dimidiata*; *Varr. I, 35, 1: terra adruenda*; *Varr. I, 9, 5: itaque in Is*; quos titulos Cel. *Gesnerus* non ea de causa in Animadversionibus repetiit, ut *Victorii* merita, & inventæ lectionis veræ gloriam, absconderet, sed ut, brevitati studens, receptæ in contextum lectionis veritatem utcunque demonstraret. Quis enim ex ipsa *Victorii* oratione non intelligat, hæc antiquitus menda libros occupasse: *Acus frondem iligneam, viri sicca, tabella dum ita, terra ad ea obruenda, itaque in Vejis?* aut quis furem ingenuum non agnoscat, qui, alienas opes clanculum invadere studens, addito Autoris nomine, palam sua se spolia aliis surripuisse, omnibus testaturum facit? His orimationibus confutatis, altera quoque tua accusatio corrui. Quis enim conicere potest, a te lectionem *Cotunelle Lib. XII Cap. 4: Vere maturis atque trimestribus*, ut putas, ab *Aldo* introductam, probari? Nemo certe, nisi qui principium annotationis tuæ: *Vera lectio, transultorie adspexerit*, cetera vero, totamque argumenti tui conclusionem, quare recte: quoniam fere maturis atque trimestribus consummatis sa-

tionibus, non legerit. Verum, quo sinistro fato, vel qua typographæ negligentia, acciderit, ut in observatione tua ad *Pallad. l. 35, 2*, quantum suspicamur, pro, *quod non contemnendum judico*, exscriptum sit, *quod contemnendum judico*, exputare non licet; id unicum scimus, neque *Gesnerum* in culpa esse, nec *arreptam* inde, ut calumniaris, *reprehensionis ansam a Gesnero fuisse*. Si enim nosset, quantam literæ Italica manu scriptæ operis nostris molestiam creare soleant; non mirareris profecto, quare *τυποθέται*, vestris literarum formis parum assueti, in minutis ejusmodi vocalis labi soleant. Celeb. vero *Gesnerus* sua animadversione, relicto *non*, tuam opinionem illustravit potius, & tuitus est, quam reprehendit. Cum enim *Africani* locum opportune excitasses, nihil aliud egit *Gesnerus*, nisi ut, in eo convenire utrumque Autorem, lectoribus ostenderet, quod *παγετός Africai*, *nebula & gelu Palladii*, *Φθισσις* vero *animal*, esset. Quod deinde crimen objicis *Gesnero*, id nec deprecatione, nec intentionis depulsione, indiget, sed animi potius latebras & recessus tuos aperit. Adeo enim minuti & pusilli animi vir non est *Gesnerus*, ut, ne quis ex alia gente caput exferat, magno opere curet. Qui enim liberale Viri eruditissimi ingenium, honestissimosque ejus & cultos optimis artibus mores, novit, is talia artium studia de eo ne comminisci audeat. Multa dicere possem in hanc sententiam, sed non necesse est. Quis est enim institutus educatusque ingenue, aut quis contra bonam naturæ tam vehementer obturatus, ut, quam diligere debet virtutem & sapientiæ laudem, hanc cum indignatione in aliis cernat. Huic accusationi tuæ congruunt, quæ sequuntur. Quare, ut propius ad ea, Vir egregie, accedam, quæ a te in *Gesnerum* dicta sunt, pressius agemus, eaque, quæ scripsisti, cum iis conferemus, quæ tuis jam oppono. Primum, *nostra*, inquis, *ut abdita essent, neque lucem, si fieri posset, adspicerent, qua potuit, diligentia curavit. Huc atque illuc dispersit in honora atque abscondidit*. Ni verendum esset, ne oratio tua invidiam *Gesnero* faceret, ad suum, unde profecta est, autorem recideret injuria. At, quoniam hujus generis criminationes causæ, de qua agitur, ignaros fallere nonnunquam

quam possunt, ajimus, hanc tuam orationem neque veri speciem habere, nec ullo modo a te probari posse. Si enim id credis abditum esse, quod non magnifica literarum forma separatim excusum fuit, largior tibi, peccati hujus reum videri posse *Gesnerum*. Sed, si nominis tui gloriam eo forte obscuratam fuisse contendis, quod lucubrationes tuæ *Victorianis*, *Scaligeranis*, *Meursianis*, *Gesnerianis*, immixtæ, nec propterea in magno satis lumine collocatæ fuerunt, ignosces mihi, Vir literatissime, si te nimis sedulum honoris tui custodem appellavero. Doctissimas enim tuas animadversiones adscriptum nomen tuum a reliquis facile segregat, nec timendum est, ut, quod tibi competit, alius sibi vindicare possit. Hæc enim perpetua lex fuit *Cel. Gesneri*, quam in toto opere servavit, ne cui tribueretur, quod ipse non esset, neu cui non tribueretur, quod ipse esset. Ordine vero omnes virorum doctorum annotationes uno continuo disponderentur, necesse fuit, ne diversis locis dispersum quærendum adeo esset, quod ad unum locum pertineret. Et qui potes, amabo, id ægre ferre, quod vel ipse in literis tuis, vel per *Jac. Facciolatum*, Virum summum, a *Celeb. Gesnero* petiisti, *mirabili*, inquires, *quodam studio exopto, quod sum commentatus, scriptis immisceri tuis, ut, si quid in hominum usum cedere potest, non longe petatur* (vid. *Tom. II Script. R. R. pag. 1232*). Eum *Jac. Facciolati*, locupletissimi testis, verba, quæ ex literis ejus *MScis*, ad *Gesnerum* datis, bona fide descripsimus: *Rogant te Morgagnus & Pontedera, at, quemadmodum constituisti, animadversiones singulas suo loco ponas*. Neque abluunt, quæ ad *Andream* tuam in *Epistola I pag. 1* ipse scribis: *Verum, omnibus posthabitis, in eo tota tua epistola versatur, ut, quicquid ad Latinos R. R. Scriptores illustrandos olim commentatus fueram, Lipsiamque rogatus miseram, suis sedibus infereretur*. Age nunc, *Clarissime Pontedera*, refer animum sis ad veritatem, & considera, quibus laudibus te *Celeb. Gesnerus* prosequatur; jam profecto intelliges, te inopia criminum aliquid *Gesnero* exprobrasse, quod ipsi fraudi esse nullo modo potest. Næ tu virtutis alienæ ridiculus es, sed obrectator, si, quod abscondere velles, id verbis, quibus posses

posses, diligentissimis ornare. Jam in mentem tibi revoce, quod de te *Celeb. Rusticorum* Editor passim commemoravit, labores modo tuos doctos sane & ingeniosos (Præf. pag. 23), modo *Viri Clarissimi, & optime de toto hoc opere meriti, Julii Pontederæ, inexhaustum erga Rusticos nostros studium* (Præf. ad Add. pag. 1281), modo tuas inprimis Notas, qua vel sola novam editionem satis exornare poterant (vid. *Acta nostra A. 1732 Mens. Jun. pag. 295*), Lectoribus commendans, putasne, quod benevolentia & honoris tui causa manifesto & sæpissime factum est, id contra honestatem celandæ doctrinæ tuæ causa fieri potuisse? Igitur, quod accusares, non habuisti. Nunc vide, quam commodam postulationem excogitaris. *Tabulas, inquis, ipsarumque explicationes, (quæ Libro tertio Columellæ præmissæ sunt,) eo animo distribuit, ut non nostra, sed Gesneriana, viderentur.* De his quoniam verbo arguis, verbo satis esset negare. Sed brevissimis totam hanc criminationem dissolvam. Primo explicationes tabularum ita coherent cum nomine tuo in fine apposito, ut eum profecto sensus omnes ejurasse oporteat, qui horum aliquid Gesnero addicere velit. Deinde ultimis verbis *Epistolæ* tuæ, ad *Fucciolum* scriptæ, & *Tomo I Rusticorum pag. 39* insertæ, apparet, te esse autorem eorum, quæ de cultu vinearum *Columellæ Libro III* præmissæ sunt. Quare hoc nihil neque acerbius, neque iniquius, proferri potest. Reclamitat istiusmodi suspicionibus ipsa humanissimi Gesneri natura. Portentum ergo & monstrum certissimum est, virum sapientem, qui ipse beatus & dives est, cum tanta conflixisse amentia, ut tibi vivo, videntique, rem in conspectu omnium hominum positam surripere conaretur. Esset profecto tanta temeritas, ut non procul abhorreret ab insania. Vides ergo, quantum distet conquestio tua ab re ipsa, atque a veritate. De suis vero, pergis, nihil, nisi ampla forma & magnifice, edendum sivit. Ego, rem tam levem qua ratione infirmem, ac diluam, reperire non possum. In Animadversionibus enim ipsis nulla est literarum & typorum dissimilitudo, sed, si forte his verbis ad *Præfationem* respexeris, hujus certe scriptura animum tuum pungere non debebat, quoniam usus in ea re est
libra-

librarius more institutoque majorum, & eorum consilio obtemperavit, qui in arte typographica callidiores sunt, quam tu in tua accusatoria. Desinamus scrutari, quæ sunt inania. Venio jam ad falsum crimen, quod, tanquam venenatum aliquod telum, in *Gesnerum* jacere non erubescis. *Pleraque ad rusticos*, inquis, *Autores maxime attinentia rejecit. Ubi enim læges, ut nos explicavimus, & arvum? ubi origa & auriga? ubi focus & foculus? ubi capiuntur prisca significatione & præcipio? ubi sictores & reliqua a sico pro seco? ubi sôrarius? ubi articularius? ubi curia pro cœnaculo?* Ad confidionem hujus accusationis profligandam rationibus non opus est, sed oculis. Ex tuis enim *Epistolis* potes judicare, tuos ingenii partus tibi a *Gesnero* religiosissime servatos esse. Nam, quæ de *sêgere & arvo* in *Epistola X pag. 125* differis, eadem tibi adscribuntur in *Scriptoribus R. R. Gesnerianis ad Varr. I, 29, 13*; de *origa & auriga* quæ exstant in *Epistola VI pag. 66*, refert quoque *Gesnerus* in *Add. ad Cat. 76, 4*; de verbo *capiuntur* quæ profers in *Epistola XLIX pag. 427*, habet quoque *Gesnerus* in *Add. ad Varr. II, 4, 20*. Nota tua de verbo *præcipio* in *Epistola VI pag. 76 & 77*, repetita est in *Add. ad Cat. 142 pag. 1290*. *Sictores*, qui in *Epistola VI pag. 77 & 78* occurrunt, conspiciuntur quoque in *Add. ad Cat. 144, 3*. *Serarius*, in *Epistola tua VI pag. 80* explicatus, suum locum occupat in *Add. ad Caton. 150, 2*. *Articularius* quis sit, *Epistola tua VII pag. 85* ostendit; *Addenda ad Caton. 157, 8, pag. 1292*, idem confirmant. *Curiam pro cœnaculo* sumis in *Epistola I. pag. 440*; idem tibi vindicant *Add. ad Varr. II, 9, 8*. En scopulos! a quibus non modo crimen resillire vides, verum omnem doli suspensionem in temet ipsum recidere intelligis.

*Accipe nunc Danaum insidias, & crimine ab uno
Disce omnes!*

Quid est ergo, quo tandem, accusator, penuria argumentorum confugas? *Nemini persuadere, de Marani sententia inquis, poterit Gesnerus, ea se invenisse, primumque excogitasse, quæ, a Pontedera Lipsiam missa, inter manus habebat. Quis enim ante illum (scilicet Pontederam) de Crescentio in illa re somniavit unquam? Hem Thraſonis vocem! Non obtusa adeo gestamus pectora Germani, nec adeo sumus crassio sub ære nati,*

N n ut

ut omne nobis in re literaria inventum bonus abjudicare audeat *Maranus*. Poteratne libri *Crescentiani* dos *Gesnerum* fugere, qui eundem multo ante *Vinarix* & vidit, & legit, quam a *Pontedera* rusticas copias *Lipsiam* missas esse noverat. Saltem, *Gesnero* melius notum fuisse *Crescentium*, quam tibi, Clarissime *Pontedera*, ostendit collatio *Epistola* tuæ, ad *Facciolatum* scriptæ, & *Tomo I Scriptorum R. R.* præmissæ pag. 60 & 61, cum *Præfatione Gesneriana* §. 13. Jam atrox criminis nomen diluendum nobis restat, quo, quasi in portum, rejectus a ceteris suspicionibus, confugis. Sed hic quoque nos paratiores reperies, quam putabas. Cum inique, inquis *Marani* verbis, tanta excelleret divinandi vi, ut hominum cogitationes præsciret, & prænosceret, præter illa, quæ leviter perstrinxi, alia etiam pro sua humanitate a te sumpsit, non mutua quidem, sed ut propria, tuo demto nomine, quæ tu imprudens *Lipsiam* miserat. At his aliorum spoliis *Gesnero* opus non est, locupletem quippe suppellectilem domi ipse habens. Interim videamus de his emendationibus, utrum nulli alii viro docto, nisi *Pontederae*, in mentem venire possint. 1) Quod ad *trimestrem* attinet ad *Cat.* 35, 2, *Gesneriana* Nota maximopere differt a *Pontederiana* (vid. *Epistola IV* pag. 48); quare hic accusationis tuæ vis perit. Nam tu vis *trimestre*, scilicet *triticum*; *Gesnerus* contra *trimestrem*, scilicet *fructum*, nec in ulla re convenitis ambo, nisi in loco *Columelle* excitato. 2) *Harundinem* disponito ad *Cat.* 47, in quo loco coccutire se, *Gesnerus* ingenue confitetur; tu contra, id insertum esse alia opera, non *Catonis*, existimas in *Epistola V* pag. 58. Neque satis hic tibi causæ ad objurgandum erat, quoniam, quæ vere difficilia sunt, non tibi tantum, sed *Gesnero* quoque, lubrica & dubia videri poterant. 3) *Mutes* & *exprimat* *Caton.* 117, tu mavis *mutas* & *exprimas* in *Epistola VI* pag. 71; idem observavit *Gesnerus* in *Add. ad Cat.* pag. 1290. quod quilibet, in libris antiquis paululum versatus, sine magno ingenii tormento excogitare potest. 4) *Si quid contusum* *Caton.* 157, 4, non differt *Gesneriana* observatio in *Add.* pag. 1291 a tua in *Epistola VII* pag. 84; sed nonne existimas, *Gesnerum*, qui *Plinio* semper familiarissime usus est, æque minus, quam tu, talem locum ignorare potuisse, qui aperte mendosus erat? 5) *Dissunapiter* *Cat.* 160, 1, ad quem locum neque a te in *Epistola*

stola VII pag. 88, neque a *Gesnero* in *Add. pag. 1292*, nova lectio, sed *Victoriana*, prolata fuit, quæ utrum vera esset, ipse *Gesnerus* pro suo ingenii acumine poterat coniecere. Hac occasione mirari nos subit, quare non eodem pacto emendationem *pabulum malorum* in *Cat. VII, 3*, ad te solum rapueris. Quidni, inquires, mihi quoque hanc vindicem? At posteriores curæ tuæ nondum venerant, cum hæc *Gesnerus* scriberet. Tamen meam esse coniecturam puto, quoniam ego solus sapio, ceteri nihil vident. Verum hæc missa facio. Illud quaero, unde didiceris, cum in *Epistolis* tuis *pag. 183*, *Acetii* verba in mendo cubare, intelligeres, legendum esse: *Μηδὲ ζανθικῶν τεπέσι Ἀπειλίῳ ἢ Πλησίδῳ ἀκρόνιχοι κρύπτονται, non φαίνονται*. *Ingenium*, inquires, *subministrabat, & rei indoles*. At hujus coniecturæ semina jam sparsit *Dionys. Petavius* in *Variis Dissert. ad Uranolog. Lib. VII Cap. 5 pag. 268*. Quaero rursus, cur in *Epistola* tua *XXII*, cum de mensium *Atticorum* ordine disputares, nusquam *Theodori Gaza* περὶ Μηνῶν (qui liber in *Petavii Uranologio pag. 275 edit. Paris.* existat,) memineris, ex quo te profecisse nemo dubitabit, qui hæc tua cum *Θεόδωρ* locis conferet. Quæ tibi postea insulurrat *Maranus* tuus, vereor, ne legis *Remmii* sanctionem violent. Ait enim, quibus *aidas*, si vis, in *Columella* relaxa humo; refecato; *sesama*, quæ rigantur maturius. Quot verba, tot mendacia! Si enim simile quid ad hæc verba scripsisses unquam, *Epistole* tuæ harum quoque animadversionum tuarum, ut ceterarum omnium, memoriam sanctissime recolissent, & servassent. Atqui horum, quæ male arguis *Gesnerum* tibi surripuisse, usumque esse pro suis, nec vola, nec vestigium, in *Epistolis* tuis existat. Nam de verbis *relaxa humo* ad *Colum. XI, 3, 46*, taces in *Epistola* tua *65*; de *ήσες*, sic *refecato*, *Colum. de Arbor. VI, 4*, in tua *LXVII pag. 62, 63, ἔδῃ γρῦ*. Ad *sesama*, quæ rigantur maturius, *Colum. II, 10, 18*, neque *Gesnerus* quidquam annotavit præter *testionis varietatem*, a te quoque probatam, neque tu quidquam in *Epistola LV pag. 493* adjecisti. Vide porro, quam omnia *Gesneri* dicta & facta in peiorem partem vertas & mutes. *Dicaculus* in nos evasit, inquis, *nostraque temere habuit, immiscuit, dictis perstrinxit, & carpsit, eorumque vim dissolvere conatus, quæ sacra & intemerata esse oportebat, adde, quæ licetis tanto studio &*

contentione enixi, ut quid sibi mitteretur, impetrata sunt. Quasi virum gravem deceat indignari iis, qui, sententia modeste expressa, rationibus, quam auctoritati, obtemperare malunt.

Diversum sentire duos de rebus iisdem

Incolumi licuit semper amicitia.

Usus est plerumque ea potestate *Gesnerus*, quam ipsi, interprete *Jac. Facciolato*, concesseras. Is enim in literis, ad *Cel. Gesnerum* datis, non aegre, inquit, ferent, (scilicet *Jo. Bapt. Morgagnus* & *Jul. Pontedera*;) si quid tibi improbandum videbitur. Eodem autem pacto licuerat *Gesnero* aliam opinionem verecunde, ut solet, amplecti, quo tibi placuit immodestius paulo & rigidius *Aldum* traducere, & in omnes *Rusticorum* Editores virgas expedire. Quid enim his verbis durius, quando in *Epistolis* tuis pag. 480 ais: Ideoque, qui *Aldi* patrocinium adversus *Ursinum*, atque adeo *Columellam*, suscipit,

Interdicto huic omne adimat jus

Prator, & ad Janos abeat tutela propinquos.

Quid præterea hac oratione asperius, quæ pag. 487 legitur: eos in cæno, qui nova sectantur, relinquentes, aut: Quoniam morbo & sensuum omnium stupore captos *Columellæ* editores dicemus, qui *Aldina* illa, adeo perversa, & a vero aberrantia, approbarunt & receperunt. Adde pag. 558, ubi summam editorum audaciam, & summam omnium stultitiam, acculas, qui, posthabitis veris, *Aldina* sectantur. Spero, ex hoc ipso non esse obscurum, quam tute vir alti spiritus sis, & quam iniquo animo aliorum de te judicia feras. Tandem ostendis, Vir eximie, *Maranum* tuum summe injuriosum hoc duxisse, quod scripserit aliquo loco *Gesnerus*, tuos de veteri anno *Commentarios* ab ipso desiderari, alio addiderit, ipsum nescire, quid post *Scaligerum* & *Petavium* de cælesti ratione veteri annorumque regula sit scribendum. Respexit *Andreas* tuus haud dubie ad eum *Gesneri* locum, ubi ad *Varron. I, 28, Præf. omnia*, inquit, ad unguem exigere, alterius est opera, & post *Scaligeros* *Petaviosque* non necessaria. Vide, inania *Gesneri* erramina quam multis suspitionibus coarguantur. Equidem, quod in alia causa non facio, ut, quo animo rem dixerit aliquis, præstare velim, tamen in hac vadimonium nondum deferam, innocentia quippe, pudore, fide, & honestate *Gesneri*, Viri integerrimi.

rimi, fretus; in cuius oratione si verisimilis injuriæ suspicio reperta sit, culpam inesse concedam. Sed ostendi facile potest, non modo nihil eorum sensisse *Gesnerum*, sed ne potuisse quidem sentire. Si non potuerit, non multum quaeretur, an ita senserit. Eo enim tempore, cum in *Varrone* explicando occupatus esset *Gesnerus*, non poterat providere, re subtilius et certius *Scaligero Petavioque* Astrologiam veterem enarraturum esse, sed e secundis demum tuis observationum rusticarum copiis, imprimis ex frequenti numerorum, quos diebus assignant vulgaria librorum exemplaria, emendatione, perspexit, te plus temporis & studii, quam vulgo solet, instaurandis annorum temporibus laudabiliter impendisse. Quare in *Add. ad Varr. l. 1, 28, 2, Viri humanissimi*, inquit, *rationes ex Epistolis expectamus*. Restat nunc, ut nonnullas maculas, quibus rusticum opus affectum esse, acerbe fers, non tam eluam, (tantum enim mihi non arrogo,) quam deprecer. Pro vulgari illo *Columell. l. 1, 8, 3: auctoritatem detrahat ad imperium, legis: detrahat ab imperio*. *Gesnerus* contra vulgarem defendit, quoniam *auctoritas ad imperium idem est, ac imperandi auctoritas*, quemadmodum *canes ad venandum*, quas rationes *Gesneri* tu, neglecta controversiæ constitutione, perperam reprehendisse videris. Non enim *Gesnerus* verbum *detrahere* junxit ad *imperium*, sed *auctoritatem*; suffultus exemplis, quæ *Ternibus* in *Adversar. Lib. III Cap. 23* habet. Ad alium locum *Columellæ III 16, 3*, ubi *Gesnerus* ita: *ubi manu quadam feruntur, impedimento sunt, ne invalescant aliæ herbæ*, calumniaris parafin *Gesneri*, & meram cis de verbo pugnam. Non enim dixit *Gesnerus*, *plane nullis facta contristari herbis*, sed prohiberi nonnihil noxiarum herbarum incrementa. Eiusdem farina sunt, quæ de *oculis talearum oleaginearum affers*, & de *hosto nequam*. Nihil enim clarius est de *hosto Varronis* loco *l. 1, 25, 2*. Exprobras quoque *Gesnero* *Notam ad Colum. l. 1, 10, 9*, ubi *alteras*, quam *arbores*, legere mavult. Verum hæc lectio, si a vero fortassis abluat, non *Gesnero*, sed *Brouckhusio*, felicissimo alioquin conjectori, tribuenda est. Ad eundem *Columellæ* librum *Cap. 6 n. 18* male criminaris, *novam suffere* a *Gesnero* improbatum rejectumque esse. Monuit enim *Vir acutissimus*, *onus nupta non suffere* *Heinsio* placuisse; nihil ipse iudicavit,

quin probavit *novam sufferet*. Reliqua prætereo, quæ utrum semper bona fide, et sine verborum questionisque contortione, proferantur, aliis judicandum relinquo. Id unum tacere nequeo, nimis fidenter te, vocem *vervagere* inveniri, aut unquam inventum iri, negasse. Quis enim rem in factis positam ita in dubium vocare ausus est, ut, quam vitio repugnantia nondum laborare approbavit, eam existere, aut inveniri nullo modo posse, contendat? Atqui *vervactum* satis ostendit, existere potuisse *vervagere*, saltem hæc *ὀνομαστικὸς* longe modestior est, et maiorem veri speciem habet, quam tua, cum et analogia grammatica, & veterum exemplis, destitutus, novo vocabulo *inexitiabile* pro *insatiabile* (vid. *Epist. LXI pag. 558, 559*) Latium ditares. Verum hæc hæc hactenus. Jam intelliges, Vir egregie, multa a te in crimen et invidiam vocata esse, quæ censoria notare virgula, æquum non erat. Si vera sunt, quæ scribis: *Odi altercationes & lites, & ab omni jurgio me averti, quoniam cum ingenuis viris, tum maxime Philosophis, id alienum esse statuebam*; nulli dubitamus, quin debitam *Cæsæro* laudem reddas, eumque, qui te semper ornavit, quique in eorum est numero, qui apud bonarum artium cultores sancti semper sunt habiti, sic in tuam amicitiam recipias, ut humanitate tua levatus potius, quam acerbitate falsorum criminum læsus, esse videatur. Hoc te facturum esse, non tam spe, quam certa quadam cogitatione, divinæ animus.

L' ART DE NAGER, &c.

id est,

ARS NATANDI, SEU INVENTUM, CUJUS BENEFICIO nos possumus a naufragio liberare, & urgente necessitate, flumina amplissima exercitus integros trajicere;
 Autore JO. FRIDÉRICO BACHSTRÖM, Doct. Med.
 & Div. Gen. artificiosarum fabricationum Ducis Radvilic, magnæ per Lithuaniam Cancellariæ.

Amstelodami, apud Zachariam Chatelain, 1741, 8.

Plag. 5.

Cognominis sui Autor recordatus crebro, id dudum operam dare cepit, ut artem, qua hominibus liceret in naufragiis periculum mortis evitare, inveniret. Invenit tandem thoracem natatorium, quo qui sunt induti, in aquis haud subsident. Adductus fuit, ut inventum hoc perficeret, dolore, in
 ejus

cujus societatem venit, quotiescunque, homines mari periisse aliquot, aquisque haustos esse, intellexit. Rumor ad nos allatus est inter hæc, Autorem ipsum spes hominum reliquas, de ipso conceptas, prævertisse, mortemque obiisse inexpectatam. Edidit ipse scripta haud una. Notus est ejus libellus, quo ostendit, horologium spiralis figuræ, Parisiis inventum, nautis haud esse adminiculo satis certo. Versatur in manibus Diatribæ ejus, qua nautis consulere contendit remedio antiscorbuto, Lugduni Bat. A. 1734 edita. In præsentem, quod significamus, scripto varias exposuit natandi artes, quarum in numero ipsi excellere videtur solertia adhibendi suberis lignum. Eum enim, qui thoracem, ex hoc confectum, gestat, immunem esse a subsidendi periculo, & a globulis bombardarum, existimat. Exponit inter hæc, sibi fuisse in animo, condere Constantinopoli Academiam, Medicinæ aliisque scientiis accommodatam; ex sua disciplina prodiisse filiam suam utramque sic linguæ Latinæ Græcæque & rerum chirurgicarum atque obstetriciarum peritam, ut eas obtulerit ordini medico Halensi examinandas; ipsas a sese fuisse in turri Vratislaviensi, audientibus multis, examinatas, pulcherrimeque stetitisse. Redit inde ad descriptionem thoracis, e subere confuti, collo, scapulis, pectorique, applicati, pondusque 10 librarum æquantis. Ostendit deinde modos varios, quibus id lignum possit aptari, inveniri, adhiberi pontibus mobilibus, usibusque aliis. Pendent hic omnia a speciminibus, publice exhibendis, quæ si accesserint invento, nulli non ad inundationum & naufragii miseriam evitandam erunt habiles & expediti.

Pag. 19.

23.

26.

LAMBERTI BOS, LING. GRÆC. IN ACAD. Franegu. Prof. Ellipses Græcæ, sive de vocibus, quæ in sermone Græco supprimuntur. Quinta editio. CHRISTIANI SCHOETTGENII, V. C. observationibus suis adjecit, & præfatus est, M. JO. FRIDER. LEISNERUS.

Lipsiæ, apud Jo. Christ. Martini, 1742, 8.

Alph. 1 pag. 9.

Sæpius jam mentionem fecimus in *Actis* nostris hujus utilissimi libelli *Bosiani*, quando variorum ejus prodierunt editiones, A. 1702 *Mens. April. pag. 283*, in *Suppl. Tom. V Sect. X pag. 355*, & A. 1713 *Mens. Aug. pag. 365*; non possumus tamen non novam hanc, eamque quintam, editionem de meliori nota Lectoribus nostris commendare, & paucis, quid cura Cl. *Leisneri* ei accesserit, memorare. Quamvis & ipse *Bosius*, & post eum

eum Cl. *Schattgenius*, præclaram operam in perpolienda hac doctrina collocaverint; tamen Cl. Editor, cum librarius novam adornare editionem vellet, sibi visus fuit ex lectione eorum, quæ *Kusterus* ad *Aristophanem*, *Dückerus* ad *Thucydidem*, *Clavckius* ad *Homerum*, *Jensius* & *Autores Observationum miscellanearum* passim, docuerunt, aliquid ad commendationem & gratiam hujus editionis conferre posse. Atque hoc ipsum ab illo ita factum esse sponte fatemur, ut non solum huic libello decori sit futurum, sed etiam studiosæ juventuti emolumento. Multum enim situm momenti est in doctrina de ellipsis Græcorum rite proposita, & bene percepta. Sæpe scilicet in interpretandis scriptoribus Græcis ii hallucinati sunt, qui non satis hanc dicendi rationem intellexerunt. Contra ea varios errores & vitia doctorum quoque virorum illi feliciter detexerunt, qui in hac doctrina cognoscenda & perpolienda omnem navarunt operam. Alii enim ellipses fingunt, ubi nullæ statuendæ sunt, alii torquent & dilacerant Autores, mutilosque & depravatos esse clamant, qui hanc doctrinam ignorant. Varias tacemus utilitates, quæ in eos redundant, qui, quanta sit ellipsium Græcarum vis, ex diligenti Autorum lectione didicerunt. Fufius de his egit Cl. Editor in erudita Præfatione, quæ huic editioni præmissa est, singulaque egregiis exemplis illustrat. Non pauca sunt, quæ in hac accesserunt editione, huic doctrinæ inservientia. Præterquam quod omnia retinuerit Cl. *Leisnerus*, quæ diligentis & *Bosii* & *Schattgenii* debentur, hujusque animadversiones singulis paginis suo loco adjecerit, etiam de suo & in textu & in Notis varia adjecit, quæ omnino majorem lucem Auctori poterant afferre, literis tamen, quæ observationes *Schattgenianas* & *Leisnerianas* distinguunt, ubique adjectis. Per multos videbis titulos hinc inde novos adductos. Ut exemplo aliquo utamur, in solo δ hos animadvertimus: $\delta\alpha\iota\mu\alpha$, $\delta\epsilon\iota\pi\iota\omega\iota$, $\delta\epsilon\kappa\tau\iota\omega\iota$, $\delta\epsilon\sigma\pi\omega\iota\mu\alpha$, $\delta\epsilon\sigma\pi\omega\tau\eta\varsigma$, $\delta\eta\mu\iota\omega\iota$, $\delta\iota\alpha\tau\epsilon\iota\beta\eta$, $\delta\iota\delta\alpha\sigma\kappa\alpha\lambda\omega\varsigma$, $\delta\iota\kappa\alpha\sigma\eta\tau\eta\omega\iota\omega\iota$, quorum singula exemplis Auctorum abunde illustrantur. Non paucas observationes, & ad rem pertinentia exempla, ex Auctoribus supra nominatis huc accesserunt, ex quibus apparet, ad insigne disciplinarum philologicarum incrementum facere, quando illi, qui docendis iis præfunt, multum temporis in legendis Auctoribus terunt, suaque observata ad illos illustrandos & emendandos conferunt. Nulli proinde dubitamus, quin Cl. Editor sua diligentia in hoc libello augendo & illustrando studium juventutis, quæ Græcis literis navat operam, non solum accenderit, sed etiam adjuverit. Quod si vero existimaveris, plura de hac ellipsi dici, & majora additamenta fieri, potuisse, ipse illud non inficiatur Cl. Editor, fatetur tamen simul, immodica ellipsium multitudine fastidium non fuisse creandum lectori, & facilius esse, inventis aliquid addere, quam primum rerum esse inventorem. Præterea non anxie in inveniendis novis ellipsis elaborandum est, quia præter necessitatem entia non sunt multiplicanda. Contenti itaque poterunt his laboribus doctorum virorum, qui doctrinam de ellipsis Græcis penitus imbibere volunt, quod ut faciant, eos hortamur, qui felices in Græcis literis progressus facere cogitant.

Pag. 48.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Junii Anno MDCCXLIII.

Pars I.

SCRIPTORES HISTORIÆ ROMANÆ LATINI
veteres, qui exstant, omnes, variis Notis illustrati a
CAROLO HENR. DE KLETTENBERG & WIL-
DECK, e Bibliotheca Perill. & Gen. Domini BER-
NARDI FRANCISCI L. B. DE HALLBERG, &c.
in unum redacti corpus, tribus Tomis distinctum. Edente
& accurante BENNONE CASPARO HAURISIO,
Ser. Elect. Palat. Consil. Aul. & in Univers. Hei-
delberg. Histor. P. P. & Ord.

Tomus I.

Heidelbergæ, ex typographeo Academico, per Jo. Jac.
Hæner, 1743, fol. maj.

Alph. 8 plag. 20. Insertæ seorsim sunt Tabulæ 52 Figurarum
& Numismatum, præter has, quæ singulis libris ab initio
& fine sunt appositæ.

Nova ecce forma & habitu, atque splendido eo quidem
ac plane magnifico, Scriptores Latini, rerum ge-
starum populi Romani magnitudinem immortalitati
tradentes, qui exstant, omnes, erudito orbe plaudente, prode-
unt, & antiquariæ rei doctrinæque elegantioris admiratoribus
exhibentur. Quippe, pro egregia sua, qua fuit semper in his
literis, assiduitate, Perillustris *de Klettenberg & Wildeck*, Se-
reniss. Principis *Friederici*, Hassiæ Landgravii, supremus Vena-
torum

torum Saltuariorumque Magister, gravioribus cessantibus curis, trium annorum spatio, Scriptores Historiæ Romanæ ita illustravit, & numismaticis delineationibus manu ipse sua pulchre & exacte exornavit, ut satis inde non vulgaris horum studiorum peritia, nec contemnenda optimarum artium professio, eluceat. Atqui vero latuisset pretiosus iste eruditionis thesaurus, nec diu unquam luminis adspexisset auras, nisi selectissimæ Ill. de *Hallberg*, Sereniss. Elect. Palat. Camerarii, Bibliothecæ accessisset, qui, pro singulari suo favore, quo excipit hos, qui bene mereri de republica literata cupiunt, vulgandi hoc Opus & publicandi dedit copiam Celeberrimo *Haurisio*, Heidelbergicæ Academiæ lumini, qui universum Opus, cujus *Pars* jam *prima* prodit, correxit, neque quidquam reliquit illius, quod facere ad nitorem & elegantiam editionis hujus quomodocunque possit. Cujus instituti rationem, felicissimosque omni ex parte successus, ita nunc sumus descripturi, ut simul, quo pretio æstimanda sit hæc opera, quibet Lectorum possit judicare. Scilicet jam iteratis prodierant vicibus Scriptorum Historiæ Romanæ collectiones, partim a *Frid. Sylburgio* sub inscriptione *Scriptorum Historia Augusta* Francofurti A. 1588 & 1590 *Tomis tribus in folio*, partim Hanoviæ A. 1611 cum *Jani Gruteri* Notis, & eodem quidem titulo, ac forma eadem, vulgatæ. Perfectissimam horum Scriptorum editionem dedit *Petrus de la Rouiere* Aureliæ Allobrogum A. 1609, quam *Samuel Chouet* A. 1652 ibidem *duobus Tomis in folio* repetiit, atque sub indice: *Historiæ Rom. Scriptores Latini veteres, qui exstant, omnes*, publici juris fecit. In his *duobus Tomis* Scriptores qui continentur, hi sunt: *T. Livius, Messala Corvinus, L. Florus, Vellejus Paternus, S. Aurel. Victor, Festus Rufus, Eutropius, Paulus Diaconus, Cassiodorus, Jornandes, C. Jul. Cæsar, C. Crisp. Sallustius*. Et hi quidem *Volume primum* implent; in *altero* autem hi conspiciuntur: *Suetonius, Tacitus, Spartianus, Jul. Capitolinus, Vulcatius Gallicanus, Æl. Lampridius, Trebellius Pollio, Flav. Vopiscus, Amnian. Marcellinus, Justinus*, & adjecti sunt recentioris Historiæ continuatores, *Pomponius Letus, Jo. Baptista Egnatius*, & additio aliqua ad *Egnatium*, Cæsarum historiam
conti-

continens a *Maximiliano I* usque ad *Rudolphum II, Andr. Alciatus* de magistratibus, *P. Victor* de regionibus urbis Romæ, denique alius libellus *de origine, forma, ac magnitudine urbis Romæ*. Hosce Scriptores, quotquot jam enarrati sunt, sed *tribus Tomis*, exhibere Cel. Editor instituit, quod multæ annotationes, & varia, quæ ad elegantiam & splendorem pertinent, in reliquis Collectionibus omiſſa, in magnitudinem *tertiæ* alicujus *Tomis* excrevere. Mereri autem, atque jure mereri suo, Doctissimo Editori visus est *Titus Livius*, ut unus *Tomo* integro comprehenderetur, quod is libris suis, fluida & suavi dictione conscriptis, ordine conciso chronologico, judicio profundo & politico, immixtione rerum peregrinarum amœna, singulari denique fide usus & industria, quo magis est reliquis omnibus copiosior, eo etiam magis universos vicisse judicandus sit. In cujus tamen laudes propterea excurrendum jam non est, quod, non, quid ipse *Livius* præstiterit, sed in editione potissimum illius præſenti quid sit præſticum, indicari potius debet. Patavinum fuisse eum, id certum est, ipseque Clariss. *Haurisus* ex monumento, quod hodiernum in Prætorio Patavii vilitur, demonstrat, in Præfatione Operis, his verbis:

OSSA
 TITI LIVII PATAVINI
 VNIVS OMNIVM
 MORTALIVM IVDICIO
 DIGNI
 CVIVS INVICTO CALAMO
 INVICTI P. R.
 RES GESTÆ
 CONSCRIBERENTVR.

Inſcriptioni huic addidit effigiem capitis *Liviani* in titulo *Tomis primi*, quo unica *Livii* Historia continetur, ex *Claud. Ducheti* formis in *Speculo Romane magnificentie*. Deinde recentior in compendio, veluti sub uno conspectu, illa omnia, quæ ille *centum & quadraginta*, sive, quomodo alii volunt, *centum quadraginta duobus, Libris* descripsit, & quare non ulterius Historiam suam protenderit, causam hanc credit fuisse,

quod is *Claudii Cæsaris* adolescentiæ rector datus & magister, hunc potissimum in scribenda Historia una cum *Sulpicio Flacco* adjuverat, quemadmodum testatur *Suetonius* in *Vita Claudii Cap. 41* his verbis: *Historiam in adolescentia, hortante Tito Livio, Sulpicio vero Flacco etiam adjuvante, scribere aggressus est, &c.* Cum vero manca plane, hiulca, & lacera, historiæ omnis principis historia in manus nostras pervenerit, quod multi & defunt libri, &, qui adiunt, multa in iis desiderantur; præstantissimus *Haurisius* *Librum undecimum* usque ad *vigesimum* ex Supplementis *Jo. Freinsbemii* adjecit, &, ne lectio atque ordo interrumpereetur, lacunas hinc inde ex Supplementis *Jo. Doujatii* explevit. Reliquos autem *Libros Livianos*, ab aliis suppletos, non inconsulte omisit, quod hi facile ex aliis *Titi Livii* editionibus poterunt suppleri. Cujus rei causa *Indicem* adjecit, laudabili instituto, *præcipuarum Editionum Livii*, numero LXII, quarum prima prodiit Romæ, cura *Jo. Andrea*, Episcopi Aleriensis, in folio, A. 1470; in quo Indice conficiendo multa est accuratio & multa diligentia adhibita, quamvis *Crevieriana* Parisiensis, quæ forma quarta prodiit non ante multos annos, omissa sit. Inprimis vero erudite differit & eleganter Ill. *Haurisius*, in *Sectione Præfationis secunda*, de chronologicis & genealogicis in Historia. Hæc enim duo, quam sint præsertim in omni rerum gestarum explicatione necessaria, vel illi fateri coguntur, qui primo saltem limine historicum studium salutarunt. Genealogia autem tum maxime attendenda est, cum successionis jure imperium aliquis nanciscitur. At, ubi electitium viget imperium, sicuti in republica Romana comparatum erat, ad Chronologiam recurrendum est magis. Quantis vero hoc studium sit difficultatibus obnoxium, vix, quem lateat, unus est. Numerandi enim erant anni rerum suarum gentibus, sed latebat mundi initium. Hinc vel ab occupatione regni, vel a cœlesti aliqua observatione, vel a parta quadam victoriæ, vel a fundatione Urbis, principium capiebant antiquiores. Atque ita a fundatione Urbis trahebant annorum seriem Romani etiam in *Fastis*, ipseque *Livius* Historiæ suæ initium ponit *Dec. 1 Lib. 1 Cap. 6.*

Cap. 8. Pergit autem Clarissimus Autor Præfationis, & genealogiam sistit *Romuli & Remi*, quæ a *Latino*, Rege Aboriginum, in Italia incipit. A quibus cum est Roma condita, res gestas quoque ab hoc initio Romanos suas notasse, certum est. Accurate autem atque insigni cum diligentia Doctiss. Editor Chronologiam Romanam comparat cum aliarum gentium serie temporum. Et, quoniam *Verrius Flaccus* annum quartum Olympiadis sextæ Urbis Romæ foundationem in *Fastis Capitolinis* assignat, hunc computum sequitur, atque *seriem Magistratum Romanorum secundum triplicem dimensionem, Urbis Romæ conditæ, Olympiadum, & Annorum ante Christum natum*, historiam scriptoris sui secutus, subjicit, & a Troja vastata incipit, quod contigit excidium anno a C. N. 1207, & ante U. C. 455. Roma autem condita est ante C. N. anno 752, Olympiad. 6. Tabulæ hæ chronologicæ per undetriginta paginas se extendunt, Regesque septem, postea Consules, & interdum Dictatores, Tribunos etiam Militum Consulari potestate Seculo quinto U. C., ac denique, non interrupto ordine, iterum Consules usque ad *M. Claudium Marcel- lum & C. Sulpicium Gallum*, A. U. C. 586, Olympiadis anno 153, a C. N. 167, in quantum nimirum injuria temporum non absumsit, proponunt. Margini semper adscriptæ sunt paginæ editionis *Livianæ*, ut uno oculorum obtutu legentibus omnis statim temporum ratio pateat. Quando autem varia sunt, quæ in antiquis Scriptoribus notanda venire possunt, ut Geographia, ut linguæ nitor & elegantia, ut antiquitas omnis generis, ut criticum studium, ut morum aut politicæ regulæ, & quæ sunt alia ejusdem generis, ne in majorem excreceret molem præclarum Opus, *Numos* potissimum elegit in conscribendis ad *Titum Livium* annotationibus *Illustris de Klettenberg*, secutus in ea re *Begerum*, qui *Flori* historiam, aut *Patinum*, qui *Suetonii Cæsares*, ex *Numis*, publica autoritate & ex *Scro* signatis, explicaverunt. Hi enim Numi, quæ a scriptoribus variis sunt relata, confirmant; quæ sunt omiſſa, suppleunt; Deorum, Dearumque, & Familiarum illustrium, Regum, Augustorum, ac Cæsarum, exhibent

bent imagines; Urbium & Coloniarum conservant monumenta, & quæ sunt alia. Cum autem, qui Numos peculiaribus libris illustrarunt, ordinem alium servarit, quemadmodum *Jac. Oiselius* in *Thesouro Numism. antiq.* decem numorum classes constituit, quemadmodum separatim egit de Consulibus *Goltzius* in *Fastis*, de Familiis Romanis *Patinus*, de urbibus & populis denuo *Goltzius* in *Sicilia & Magna Graecia*, de Imperatoribus, Augustis, Cæsaribus, in Coloniis, Municipiis, & Urbibus jure Latio donatis, *Vaillantius*, quemadmodum in quinque ordines R. P. *Ludov. Debiel* in libro de *Utilitate rei numaria veteris* Numos vetustos descripsit; ejusmodi tamen quid fieri hoc loco haud potuisse, satis patet. Quippe, sicuti series exigebat historica, in *Livio* Numi sunt promiscue adducti, neque est quidquam prætermisum, quod ad explicationem illorum videretur pertinere. Immo majorem promittit *Clariss. Haurivius* ex hoc, quam ex illo aliorum, instituto utilitatem. *Cum enim*, (hæc ejus verba sunt in Præfatione,) *apud alios, qui Numismata explicant, frustra quam sapissime quasiveris applicationem, eandem hic loci invenies.* Ut autem eo facilius instituti præsentis utilitas pateat & præstantia, ex animadversionibus, rem numismaticam illustrantibus, nos, age, quædam afferamus, in quantum tamen instituti nostri ratio patitur, recensionumque nostrarum brevitatis exigit. *Pag. 10* contra *Begerum* disputat *Ill. de Klettenberg*, qui in *Floro pag. 35* ex Numismate *Antonini Pii* Salios exhibere conatur. Sed, hoc fieri frustra, contendit. Nam ipse fatetur *Begerus*, se Numisma non inspexisse. Deinde dubitat, an apices, per quos solitum Saliorum gestamen exprimeretur, ærugine forte non consumptæ fuerint. Sibi enim, imprimis quod prototypon ipse vidit, & quidem integerrimum, persuadere non potest, quo argumento Numisma hoc ad Salios revocari possit. Accedere & hoc, quod in clypeis caput etiam *Meduse* expressum est. Quod quomodo Salis convenire possit, recte negat a se posse percipi. *Pag. 31* ad locum *Livii: Tescuti conjuravimus principes juventutis Romana, ut in te hac*
via

via grassavemur, illustrare Numum studet, in cujus adversa parte M. OPELI. ANTONINVS. DIADVMENIANVS. CÆS. conspicitur; in averſa autem PRINC. IVVENTVTIS legitur. Quamvis hic Numus aliquantum tractus ad hunc locum videatur, aut plane ſiniſtre adductus. Nam verum eſt, in loco hoc *Livii* principes juventutis Romanæ eſſe juvenes & ſanguine & virtute claros; at ſequioribus temporibus, & poſtquam Cenſores inſtituti fuerant, *princeps juventutis* erat is eques, cujus nomen Cenſor in tranſvectione, cum Equitum catalogum prælegeret, primum recenſuiſſet. Cæſarum autem tempore hæredes imperii principes juventutis ſunt dicti. Eſſe vero originem hujus tituli, quod arbitratur Generoſ. *de Klettenberg*, & quod approbat in Præfatione Ill. *Haurijus*, ab eo *Livii* loco, & a verbis *Mucii Sævole*, ſumendam, nemo erit, qui hoc concedet. Vide potius Numum ad *Spanhemii Diff. XII pag. 353*. Adde *Suetonium* in *Caligul. Cap. 15*, & *Tacitum* in *Annal. Lib. I Cap. 3. Pag. 78*, cum a *Livio C. Canulejus*, Tribunus plebis, ejuſque lex de connubiis patrum cum plebejis, commemoratur, quoniam *Canuleja* gentis Numiſmata Antiquarii huc uſque nulla produxerunt, elegantiffimam *L. Canuleji* inſcriptionem, Moguntię eſſoſſam, & ab Electore *Lothario Franciſco* ſibi donatam, exhibet *Cel Autor*, quam, quod nondum fuit publicata, ex *Tab. XXII num. 3* huc adducemus:

L. CANVLEIVS. L. F
 SVCCESVS. AN. V
 M. III. D. XXIII. L. CAN
 VLEIVS. PRIMIGEN
 IVS. FILIO. ET. SIBI. VI
 VO. S. FECIT.

Huc confer etiam, quam habet *pag. 701*, urnam in arca ſepulchrali *L. Canuleji. Pag. 179* obſervat *Illuſtris Klettenberg*, annulos, apud veteres Romanos, vel aureos, vel argenteos, vel areos, vel ferreos, fuiſſe, atque ex ſuo ipſius Muſeo duos annulos æreos genuinos & antiquos in *Tab. XXXIV num. 2* ſiſtit, & quidem unum talem, qui ad Plebejam *Valeria* gentis familiam pertinet. Ad *pag. 339*, ubi *Victoria aurea* commemoratur, ſimul in *Tab. XLIII*

Tab. XLIII num. 3 Achaten vere antiquum repræsentat, in quo conspicitur Mars galeatus, nudus, spoliis insidens, sinistro pede cippo superimposito, quomodo a Victoria ambabus manibus coronatur. *Pag. 319* rarissimus aliquis, & indubitæ antiquitatis probæque notæ, Numus in *Tab. XLI num. 2* habetur, in cujus adversa parte caput galeatum occurrit cum inscriptione: SCIPIO AFRICANVS. In averfa autem equi caput, Carthaginis symbolum, cum epigraphe: AFRICA RECEPTA. Rarissimi hujus Numismatis Autor ignoratur. Sed, quod *Africa recepta* legitur in Numo, ad secundum *Scipionem Africanum* pertinere visus est, qui Carthaginem delevit. *Pag. 443* Chiorum numus exhibetur in *Tab. XLIX num. 3*. In quo prora navis scientiam nauticam, Sphinx ænigmaticam eruditionem Chiorum, loquuntur. Amphora autem Chium fictilihus celebrem, vinoque generoso claram, ostendit. Ibidem Argivorum Numisma Cimeliarchi *Klestenbergiani* æreum commendatur, nusquam adhuc vulgatum, quod Jovis cultum refert. *Pag. 454* communis est alioquin opinio, Larissam, Thessaliæ urbem, quæ Lapithe prius dicebatur, ab *Acrisio* novo hoc nomine esse insignitam, quamvis denominationis ratio nos lateat. Sed Numum attulit præstantissimus Autor ex Numophylacio suo rarissimum, in cujus antica, ut ait, *Larissa*, *Pelasgi* filia, a qua *Larissa* sit appellata, apparet; in postica vero equus, qui Thessalorum equorum nobilitatem indicat, conspicitur, cum epigraphe: ΛΑΡΙΣΑΙΩΝ. Vid *Tab. L n. 1*. Elegantissima esset observatio hæc, nisi potius *Begerum* sequi in *Thef. Brandeb. Tom. I pag. 478* velis, qui per hoc *Larissa*, puellæ, putatitium caput, *Solis* vel *Apollinis* imaginem, intelligi arbitratur. Plura poteramus adducere, nisi ad perspicendum annotationum internum valorem satis hæc esse arbitramur. Elegimus autem quasdam earum, quæ in hoc libro præ reliquis excellere videbantur, & in aliis vel frustra, vel non sine molestia, inveniuntur. Reliqua enim, quamvis partem rerum aliquam antiquarum illustrent, descripta tamen sunt ex aliorum, quibus dudum fruitur eruditus orbis, observationibus. Nimirum libris, ex quibus plurimæ harum annotationum sunt desumptæ,

sumtæ, Generosiss. *de Klettenberg* usus est his ferme quatuor: *Begevi* Thesuro Brandenburgico, *Jo. Hemelarii* Numismatibus Aur. Imper. Rom. *Goltzii* Fastis Magistrat. & Triumph. Rom. & *Patini* Numismatibus Imp. Rom. Sed pauca etiam dederunt *Alex. Xaverii Panelii*, S. J. Tractatus *de Cistophoris*, *Cuihelmi du Choul* Commentarius *de Religione veterum Romanorum*, *Kircheri* *Latium*, *Rosini* *Antiquitates*, & alii. *Spanhemium*, qui totus tamen in hoc argumento fuit, in integro Opere nunquam adductum, miramur. Ceterum brevitatem sectatus Autor, paucissimis verbis & concise omnia, quæ attulit, enuntiavit. Ab initio Operis plures annotationes ad sunt, in medio & fine paucissimæ, ita ut ferme integer liber sine observatione dimittatur. Sunt autem hæ Notæ omnes adscribendæ Generosiss. *de Klettenberg*, & paucissimæ sunt, quas adjecit, ut ipse etiam testatur in Præfatione, *Haurisius*. Textus ipse *Livii* sequitur editionem Parisiensem *Joannis Doujatii*, in usum Sereniss. Delphini curatam, unde etiam Variantes Lectiones veterum Codicum, Lutetiæ repertorum, subjectæ sunt, quarum interdum magna satis copia est. Longe autem optimæ & splendidissimæ in hac editione sunt imagines atque icones, quibus cum ab initio & fine libri cujusvis *Liviani*, tum vero etiam a litera qualibet initiali, & ea majuscula quidem forma, integrum Opus perpetuo exornatum est. Quarum & delineatio, & ipsa etiam sculptura, miram præ se & nobilissimam elegantiam spirat. Delineavit plerasque, easdemque præ reliquis elegantiores, Sereniss. Electoris Palatini Sculptor Aulicus *Egellius*; ævi autem incidunt cum alii, tum imprimis hodie nobilis in hac arte, *Tyrovossius*. Sumtæ autem sunt omnes ex antiquitate Romanorum sacra, cum res civiles, literariæ, militares, & domesticæ, reliquis duobus Tomis reserventur. De his iconibus sculptis, singulis Libris ab initio præpositis, & in fine appositis, doctissimus *Haurisius* ipse agit in Præfationis Sectione IV, quippe qui ipse autor harum imaginum & inventor, ex antiquitate, ex *Barth. Martiani* libro, *Ritratto di Roma antica* in-

scripto, & *Guil. du Choul* libro modo nominato, omnium formam scripsit. Adducti autem sunt ordine & delineati *Janus, Saturnus, Cybele, Jupiter, Apollo, Mercurius, Mars, Venus, Bacchus, Ceres, Vulcanus, Vesta, Neptunus, Nymphae,* & ex his speciatim *pag. 196 Ægoria, Genii, Lares, Penates, Castor & Pollux,* denique *Pluto.* Ex Diis minorum gentium habentur *Hercules,* atque ille quidem per omnes labores suos adductus, *Aesculapius, Romulus, Pan, Silvanus, Terminus, Flora, Hippona, & Priapus.* Virtutes etiam adiunt, *Pietas, Fides, Pudicitia, Castitas, Pax, Salus, Libertas, Fortuna, Justitia.* Præterea ritus quidam, & imprimis sacrificia, populi Romani sistuntur, ut *Suovetaurilia, Aruspicia & Auguria, Lectisteruia ac Sellisteruia, Ambarvalia* etiam, *Dictatoris clavæ figendi imago aliqua, Ancilia, Vasa sacra, Acerra, Urceus, Candelabra,* & ita porro. Jure igitur meretur hæc Romanorum Scriptorum Collectio ipsendidissima dici, ad cujus suavitatem abolutionem literariorum rerum admiratores *Cel. Haurisio,* quod sibi ipse optat in sue Præfationis, sanitatem precantur, & bonam fortunam.

REMARQUES HISTORIQUES, CRITIQUES, ET
Philologiques, sur le N. T.

id est,

ANNOTATIONES HISTORICÆ, CRITICÆ,
philologicæ, in Novum Testamentum, Autore
ISAACÒ DE BEAUSOBRE, patre,
cum Vita Autoris.

Tomi II.

Hagæ Comitum, apud Petrum de Hondt, 1742, 4 maj.

Alph. 4 plæg. 10.

Operi splendidissimo & insigni eruditione referto præfixa sunt insignia Augustissimi Regis Borussorum, *FridERICI II,* ac Dedicacionis formula, ad eundem directæ, Editor Præfationem

ncm

nem præmittit, ac in ea scopum summamque annotationum exposuit. Observationes theologicae, & controversiis illustrandis accommodatae, hic apparent raræ. Pleraque sunt critica & philologica, ad sensum verborum phrasumque determinandum selecta, & ex scriptoribus exteris Christianisque decerpta. Restat hic adhuc, quod addi possit curis laboribusque eorum, qui ætatem nostram antecesserunt. Tentavit Cel. *Beaufobrius* quondam vires suas prospero successu in hoc stadio decurrendo, cum collega suo *Lenfantio* molitus novam Novi Testamenti translationem Gallicam, observationibus exquisitissimis ornata. Nec ex eo tempore ab instituto illo conquievit, sed, calamo vix de manibus deposito, identidem ea congestit ad illustrandum Novum Testamentum, quæ ipsi inter legendum occurrerunt digna observatu. Insuper in annotationibus hæc id egit, ut translationi hæc præter supplementa, additiones, & emendationes. Nunc tunc *Lenfantium*, emendat. Ubique id agit, ut laborum, olim ad illustrandum Novum Testamentum susceptum, calcem, & ad umbilicum adducat. Hinc inde notat nonnihil in translationibus reliquis Gallicis, *Montana*, *Simonii*, ac *Clerici*. De ca veterum, e fontibus deprompta, contextui suorum verborum subiecit plerumque. Editor ea, quæ Autor decerpere omiserat, excussit, ac in loco produxit. *Lacrozeus* miserat ad *Beaufobriam* varias observationes. Has hic complexui observationum suarum passim inseruit, ac ea ratione laudabiliter ad posteros transmisit. Gallico sermone usus fuit ipse in annotationibus hæc conscribendis, eo quod ea sunt instar *Toluminis tertii* ad versionem Novi Testamenti suam & *Lenfantii* Gallicam, ac loco Supplementi, in quibus repetitioni eorum, quæ jam fuerant alibi dicta, haud est locus. Vitam Autoris plenioram Editor ad calcem *Tomi II* rejecit, quam alii in fronte positum iri existimarent. Nobis haud vacat decerpere ex *Tomo* utroque præcipua & eximia universa, verentibus ita, ne singula fere essent transcribenda. Dabimus tamen specimina hinc inde decerpta. Statim ab initio monet, *διαθήκην* generatim esse *constitutionem* ac *instrumentum de statu futuro*. Evangelium *κατὰ Ματθαίον* esse idem

- ac opera *Matthæi* scriptum, solide ostendit. Voce *γένεσις* non denotari *vitam*, sed *nativitatem*, seu *generationem*, demonstrat. Per *τρόχον γενέσεως Jac. III, 6*, credit significari *circulum*, seu *cursum*, *natura*. Natalem Jesu Christi ævo *Clementis Alexandrini* fuisse incertum, & a *Julio I*, occidentali Pontifice, anno demum 350 in 25 Decembris fuisse defixum, ostendit. *Richardum Simonium* Syriacam ignorasse linguam, pronuntiat. Scribas, *γεωμωτῆς*, fuisse *magistratus*, ostendit ex *Eccl. X, 5*, & *1 Macc. V, 42, VII, 12*. Magos Christo honorem divinum exhibuisse, negat, vocemque *προσκύειν* ad
7. *Matth. II, 11*, de humili corporis incurvatione ac oblerantissima salutatione exponit. Onirocriticen Philosophos olim ad scientiæ modum tractasse, *Lacrozius* docet. Magos vero, ad Jesulum profectos, divinitus inspiratos fuisse, cum eodem dis-
10. fiteri nolimus. *Deserta loca Judææ, ἔρημον*, in quibus *Joannes* Baptista versatus est, merito pro regione montosa minusque culta *Beausubrius* habet, confirmatus loco *1 Macc. I, 27-29*. Vocem *βαπτίζειν*, quæ legitur *Matth. III, 11*, haud veretur de *adspergione* accipere, siquidem *βαπτιζόμενος ἀπὸ νεκρῶ* dicitur is *Eccl. XXXIV, 26*, qui adspergitur ob mortui contactum *Num. XIX, 11 seq.* *Μαλακίαν* exponit per languorem,
11. 13. 14. 17. 19.
- agrotandi initium vel incommodum. Homines a demonibus obsideri, negat, causatus, Evangelistas retinuisse notiones Judæorum in hoc argumento. In concione Christi montana nonnullas esse præceptiones, quæ solis Discipulis Apostolisque fuerint propriæ, ite argumentis haud contemnendis comprobatur. Hos, non quosvis Christianos, comparari cum urbe, supra montem sita, pronuntiat. *Δεδιωγμένους*, *Matth. VI, 10*, memoratos, arbitratur esse eos, qui calamitatibus premuntur, sive a Deo, sive ab homine, immisissis. Provocat ad vocis significatum hellenisticum, *Sir. XXX, 20*. Voces *ἔνοχος εἶμι* exponit per hæc Latina: *puniendus est*, provocans ad locum *1 Macc. XIV, 45*. *Σκυθρωπὸν* exponit per eum, qui facie est pallenti, confecto, & macilenta. *Oculum malum* existimat esse symbolum cupiditatis, regulam respicientis & continentiam.

eiuentiam. Ἀπλότης ipsi est <i>liberalitas</i> , & propensio ad bene	Pag. 28.
faciendum aliis, ac ad sese exhibendum tranquillum & conten-	
tum. Disciplinam arcani a <i>Clemente Alexandrino</i> in ecclesiam	31.
fuisse ad imitationem exterorum introductam, nullus dubitat.	
Restringit vero <i>Clementis</i> opinionem ad mysticas expositiones	
vaticiniorum & caerimoniarum Vet. Testamenti, ac, arcani disci-	
plinam omnem a Christo Apostolisque fuisse disjunctissimam,	
docet. Per συναγωγὰς <i>Matth. X, 17</i> , intelligit coitiones ma-	42.
gistratum, eorumque confessus. Στεῦθρα ipsi sunt <i>aviculae</i> .	45.
Ἐνδύματα μαλακὰ ipsi sunt <i>vestimenta magnifica & dignita-</i>	
<i>tem praeferebantia</i> . Vox ἰσημῶν, quemadmodum ostendit, si-	50.
gnificat idem ac <i>evertere, destruere, in ruinam redigere</i> . Per	
<i>natalem, γένεσιν</i> , designari putat <i>XIV, 6</i> , diem, quo <i>Antipas</i>	
factus fuerit tetrarches. Apostolos putasse, credit, ipsorum	57.
etate diem novissimum affore, ob verba Servatoris <i>XVI, 27, 28</i> ,	
de ultimo iudicio accepta. Liceat credere, Spiritum sanctum,	
qui <i>Apoctolis</i> suggessit verba & res epistolarum, cum errorem	
haud errasse. Asinum dici pullum asinae subjugalis <i>XXI, 5</i> ,	65.
existimat, ut adeo falsum sit, Jesum intellexisse primo asinae, ac	
deinde asini pullo. <i>Siracidis</i> librum passim successu temporis	
fuisse immutatum, arbitratur. <i>Pag. 69</i> excitat <i>Martialis Lib.</i>	69.
<i>IX Epigr. 90</i> , ubi substituendum est <i>Lib. XI Epigr. 95</i> . Ex-	
cussimus quoque alia loca, quae laudavit ipse. At haud li-	
cuit alibi menda reperisse. Id vero, quod Autor affert de con-	
tradictione in locis <i>Dan. IV, 7, 8, & II, 5, 12</i> , nobis prorsus in-	
solens videtur. Ipse nodum ita solvere aggreditur. <i>Capita</i>	70.
<i>Septem</i> priora ab ipso <i>Danielle</i> conscripta esse, negat. At sic	
nodus non solvitur magis, quam secatur. Nobis non licuit	
esse tam perspicacibus, ut ibi nodum vel contradictionem de-	
prehendere potuerimus. Somnium enim, quod <i>Cap. IV</i> a	
<i>Nebucadnezare</i> recensetur, prorsus differt ab eo, quod <i>Cap.</i>	
<i>II</i> commemoratur. Posterius complectebatur arborem visam;	
prius vero colossium <i>τετραμέταλλον</i> . Verba, <i>δυναμεις ἑρῶν</i>	
<i>σαλευθήσονται</i> , exponit: <i>exercitus caeli discedent, Matth. XXII,</i>	
<i>29</i> . Caelum terramque die novissimo destructum iri, negat, ex	71.
<i>Cujus Indicoptuste</i> confirmans opinionem de tellure tunc re-	
novanda.	

- Pag. 72. novanda. Ignem inferni exponit de angore & cruciatu animi, ac de igne metaphorico, innitens consensui *Damasceni, Ambrosii, & Hieronymi*. Ex nostris idem sensit *Davidus Chytraus*. *Εν τῷ Φιξίῳ* est, ipso iudice, *ornamenta magna corpori humano parare*. Jesum anticipasse epulum Paschale, sibi persuadet ob loca *Jo. XIII, 1, XIX, 14*. Corporis & sanguinis Christi in S. Eucharistia tantum exhiberi symbola, tradit. Applaudit *Clementi Alexandrino*, qui *Pæd. II pag. 158*, Christum de vino eucharistico bibisse, tradidit. Vocem *Jeremiae*, apud *Matth. XXVII, 9*, obviam, ex margine in textum irrepsisse, putat. De *Dionysio Petavio* solide iudicat *pag. 81*. *Pblegonis* testimonium de deliquio solis, per Syriam ac Palæstinam anno quarto Olympiadis 202 immerito trahitur ad illud, quod tempore Jesu in crucem acti accidit. Nam *Pblegon* egit de eclipsi naturali, quæ fuit serior illo solis deliquio, quod evenit Jesu cruci affixo, ac in 24 Novembris incidit. Verba: *Deus mi, mi Deus, quare me dereliquisti?* a Jesu in cruce Autor credit prolata, ut ipse sospitator, se esse innocentem, ac *Psalmo XXII* distincte prænuntiatum, declararet. A Judæis id, quod actuosum est, dictum fuisse *Spiritum*, largitur ad *Marc. IX, 16*, ubi de oblesso fit mentio. *Mariam* dici *νεχροειρωμένην*, id est, admodum amatam, Deoque gratiosam, contendit. De Christi natalitio solide commentatur, eumque jam *102*. *Clementis Alexandrii* ætate incertum fuisse, demonstrat. Annum, quo Christus in cruce suffixus est, putat fuisse jubileum. Sandapilis seu feretris Judæos in Palæstina caruisse, reddit probabile, in primis ex historia *Lazari Bethaniensis*. Per *ἀγχαθὴν μαρίδα* *Luc. X, 42*, quam Iesus a *Maria Bethaniensi* elec-tam prædicat, alludi ad portionem vini, carnis, & panis, quæ, stante templo, distribuebatur, arbitratur, addens hoc iudicii, per doctrinarum theologiarum systemata corrumpi ac depravari Codicis sacri translationes. Verbi *μετρωσιζῶσαι* indolem præclare eruit. Id vero est adjungendum, connotari eo inconsideratam sese efferendi cupiditatem & arrogantiam, excedentem illud, quod moderatum & iustum ac verum est. *Suetonius* in *Claudio Cap. 39*: *Inter cetera homines in eo mirati sunt*

sunt & oblivionem & inconsiderantiam, vel, ut Græce dicam, μετεωρισμὸν καὶ ἀβλεψίαν. Ad *Luc. XIV, 23*, Autor notat *Augustini* opinionem, supplicia hæreticorum approbantem, in-
vitis Apostolis & *Tertulliano* exstructam. Legem, qua cau-
tum est, ne quis repudiatam ducat in uxorem, vocat Judai-
cam, ad Christianos haud transmissam. *Irenæi* & *Tertulliani* 122.
sententiam de statu animæ separatae notat. Refellit Patres ec-
clesiæ, qui ministerium Christi putarunt esse annuum, ob lo-
cum *Esaiæ* (*Luc. IV, 19*) minus recte expositum. Laicis li-
cere administrare baptismum sacramque cœnam, urgente ne-
cessitate, & docet, & *Tertulliani* id testimonio solide commu-
nit. Verbo *διατίθεσθαι* notionem fœderis pacti inesse, sibi
persuadet. Locum *Luc. XXII, 43*, de angelo, qui Christum 131.
angoribus pressum confirmavit, confert cum loco *Joannis XII, 28, 29*, ratus, corroboracionem illam evenisse per verba angeli:
gloriam ei tribui, ac denuo tribuam. Succurrit nobis illud Chri-
sti pronuntiatum de angelorum ad ipsum adscensu & descensu
Jo. I, 51. Annotationes Autoris, de paradiso allatae, ad rem 133.
prorsus haud faciunt. Deliquium solis, quod passionem Chri-
sti reddidit commemorabilem, naturaliter evenire potuisse,
sibi persuadet. *Origenes* alterum discipulum ac viatorem Em-
maunticum vocavit *Simonem*. Suspiciatur Autor, id eum no-
visse vel comperisse ex libro *Apocrypho*. Credimus, id argu-
mentis probabilissimis ex ipso *Luca* evinci posse. Corpus
Christi evanuisse instar umbræ, negat. *Pindarus* certe vocem
ἀφ᾽αυτος de subito abitu adhibet. Dedimus speciminis loco
potiora Autoris ad tres Evangelistas priores lumina. Prædi-
cavimus merito diligentiam ejus, & judicii accuracionem justis ce-
lebramus laudibus, qua decerpfit ex *Apocryphis* Vet. Testa-
menti, Alexandrina translatione, Philosophorum scriptis, ve-
tustissimisque Ecclesiæ Patribus, formulas loquendi, ac vocum
difficiliorum notiones, ritusque orbis prisca ac doctrinas, qui-
bus passim sententiis Nov. Test. insignis lux accenditur. Fa-
cile est Lectori, ex fimbria, quam ostentavimus, de texto ju-
dicare, librumque suspicere, in quo universa spirant singula-
rem attentionem & eruditionem, licet nonnunquam rariores
appa-

appareant opiniones, quæ lectoribus videbuntur paradoxæ, ac ampliori disquisitioni subjiciendæ. Cel. tamen Autor perspicuitate dictionis & animi moderatione effecit, ut lector alliciat, retineatur, ac melior dimittatur.

ΘΕΟΦΡΑΣΤΟΥ ΧΑΡΑΚΤΗΡΕΣ ΗΘΙΚΟΙ. *THEOPHRASTI Characteres morum. Cum nova versione Latina, ineditis AUGUSTI BUCHNERI Notis, Supplementis item, Variis Lectionibus MSis, & Commentationibus suis, edidit JO. CONRADUS SCHWARTZ, Theol. Doct. & Prof. Publ. Ord. ac Gymnasii Casimiriani Director.*

Coburgi, typis B. Mauriti Hagenii viduæ & hæredum, 1739, 4. Plag. 15.

Theophrastus, ille dignissimus *Aristotelis* discipulus, non Philosophia solum atque aliis artibus liberalibus sic poluit, ut *ἡ τῆς γνώσεως δάδαστρα* a *Theophylacto Synocasta* nuncupetur, sed & facundia singulatim tam eximia valuit, ut hoc ipsum ideo nomen sit a magistro consecutus. Quæ cum ita sint, haud difficile fuerit intellectu, ab eo quæ proficiuntur, accurata non minus, quam comta & polita, esse. Atque hunc præcipue in numerum referendi sunt Characteres, quos vivide nobis proposuit, morales, ad unguem veluti exsculpti atque perfecti, sed & librariorum incuria ita maculati, ut veterem omnino colorem amisisse viderentur. Ista varii generis mendas præcipue abstergere nisus est Venerabilis *Schwartzius*, quippe qui, diu in hoc literarum genere versatus, Codices præterea manuscriptos diligenter, nec sine insigni judicio, consuluit, sententias & res quasvis, singulis Capitibus proprias, curiose perpendit, Græcæ linguæ naturam & indolem acriter confectatus est, atque ita demum veritatem insulitati atque inscitæ librariorum prætulit sapienter. Revocavit ergo vocabula prisca & optimæ notæ, quamvis librariorum notitiam & *Henrici Stephanii* diligen-

diligentiam effugissent. Germanis autem verbis, eorundemque significationibus, restitutis, nova substituenda fuit interpretatio, ne Latinus contextus a Græco nimium differret. Rationem emendationum tantum non ubivis reddidit, nisi ubi, ex tralatitiis artis criticæ præceptionibus facili negotio suppleri eam posse, intellexit. Res ipsæ, quas vel *Casaubonus*, vel, qui eum fere sequitur, *Portus*, prætermiserant, quandam subinde ex antiquitate illustrationem postulare visæ sunt; interdum vero etiam antiquis illorum observationibus nova scriptorum loca iunguntur. Neque, morum doctrinam quæ spectant, omnino neglexit; præsertim ubi *Theophrasti* solertia minus per se lucere videbatur. Suis autem meditationibus ineditas *Augusti Buchneri* Notas adjunxit, quas, propter nominis ipsius dignitatem, lectoribus gratas fore putavit. Ut autem genitum ejusmodi annotationum, tam provide collectarum, tamque erudite additarum, tanto magis perspiciamus; agedum, nonnulla earundem exempla, prout primum in manus inciderint, subjungamus. Nimirum, de lectione contextus si requiras, ad *Capitis I* verba fere postrema, sic expressa: *πλοκῆς καὶ περιλλογίας εὐρεῖν, ἐκ ἀπειροῦ ἐστὶ, involucra simulationum & recantata dicta confingere, est astuti*, hæc notantur: *Ἐν χεῖρῶν ἐστὶν εὐρεῖν οὐδέν.* Sic vulgatæ editiones legi volunt. Sed, teste *Needhamo*, Codex *MStus Baroccianus* pro illis verbis exhibet: *εὐρεῖν δὲ οὐ χεῖρῶν ὄν.* Codices *MSti Regis Galliæ* vetustissimi habent *περιλλογίας εὐρεῖν ἐστὶν οὐ χεῖρῶν.* Ergo conjungenda sunt, quæ editi libri distraxerunt. Ac *Baroccianus* conjecturam nostram facile comprobabat. Possis tamen etiam legere, ex his literarum vestigiis: *εὐρεῖν δὴ ἐκ ἀπειροῦ ὄν, τὰ δὲ τῶν κ. τ. λ. Talia quæ excogitare non sit imperiti, tamen &c.* Si pro ἀπειροῦ malis ἀκαίροῦ, ne sic quidem repugnabo. Opportunitas enim temporis, cum simulatione conjuncta, vim quandam ingenii & commendationem acuminis habere possit videri. Item ad *Capitis VII* verba, *λόγους εἴπας*, annotatur, hanc loquendi formulam nequam insolitam, sed & aliis præclarissimis scriptoribus solennem, fuisse. Similiter enim *Plato Phil. pag. 80 D:* τῶν

τον δὴ τὸν λόγον ἡμῶς μῆτι μοίτην δόξης εἰρηκέναι. *Jamblicus de Vita Pyth. Cap. 8 §. 37 pag. 28*: λόγους τινὰς διαλεχθῆναι. *Arrianus Diff. Epictet. Lib. III Cap. 1 pag. 260 seq.*: Τὶ εἶδεν ἐν ἐμοὶ ὁ Ἐπικτητος, ἵνα βλέπων με τοιοῦτον εἰσερχόμενον πρὸς αὐτὸν οὕτως αἰσχυρῶς ἔχοντα περιδῆ, μηδέποτε μηδὲ ψῆμα εἶπη. Adde *Aristotelem in Metaph. VII extr. Philostratum in Vita Apollonii Lib. VI Cap. 16 pag. 253, Platonem in Gorg. pag. 288 E.* Ex quibus facile apparet, quam male hujusmodi formulæ dicendi olim ad Hebraismos relatæ sint. Ad antiquitates pertinet e. g., quod ad *Caput XVI* de aqua sacra, quæ lustrali Pontificiorum originem dedit, observatur. Nimirum in templis vasâ erant aquæ consecratæ plena, quibus conspersi homines purgari facinorum culpa existimabantur. Inde *Hippocrates de morbo sacro Cap. 4 extr.*: Ἄυτοὶ τε ὄρουσ τοῖσι Θεοῖσι τῶν ἱερῶν καὶ τῶν τεμενέων ἀποδεικνύμενοι, ὡς ἂν μηδὲς ὑπερβαίνοι, εἰ μὴ ἀγγεῦσι, ἐσιόντες τε περιδῶνίμεθα, οὐχ ὡς μαιόμενοι, ἀλλ' ἐτι καὶ πρότερον ἔχομεν μῦθος, τεῦτο ἀπαγνίσουμενοι. *Ipsique terminos templorum ac delubrorum Diis designamus, ut nullus, qui non purus sit, eos transcendat; & ingressi respergimur, non velut qui inquinemur, sed, si quod etiam prius scelus habemus, purificemur.* Itidem etiam ritus antiquorum sacros & superstitiosos illustrat statim subsequens Nota, qua dicitur, folia lauri veteribus visa eandem circiter vim habere, quam ipse *Apollo*, qui arborem istam amare putabatur. Ergo superstitiosi, & ominum & sanitatis causa, lauri folia vel segmenta mandebant. Utramque hanc laudem lauri *Plinius Hist. Nat. Lib. XV Cap. 30* prædicat, & *Commentatores Plinii* illustrant. Accedit, quod, eodem *Plinio* autore, laurus suffimentum sit cædis hostium & purgatio, & purificationibus adhibeatur. Quam ipsam quoque ob causam Pontificum Romanorum domos exornasse videtur, & ad limina excubasse. Erat laurus etiam solatium laborum, & supplicum indicium ac munimentum. Et quæ sunt alia, testimoniis locisque scriptorum accuratius confirmata. Scilicet vel ex quatuor istis exemplis, iisdemque saltem excerptis, patebit, non tam Criticorum minutias Celeberrimum Editorem sectatum

tum fuisse, quam rebus ipsis, verisque harum illustrationibus, studuisse. Non negamus, plura de nonnullis momentis dici potuisse; attamen, quæ ille dixit, plerumque sufficiunt. Quemadmodum vero ejusmodi labor plurimum suscipiendus continuandusque viribus est; ita & nos optarem, ut, quas passim adhuc in doctorum Virorum scriniis latere novimus, aliis etiam hujus libelli illustrationibus in lucem exire publicam liceret. Referri hunc sigillatim in numerum merentur eruditissimi *Freitagii*, Rectoris ad Salam Gymnasii provincialis Celebrissimi, qui solum quidem aliquando *Characterum Theophrasti* contextum, cum Præfatione sua, publici juris fecit, selectissimæ observationes, luce omnino publica dignissimæ, eundemque sibi, quem isthæ *Schwarziana*, scopum præfixum habentes.

D. ALBERTI HALLER, ARCHIATRI REGII
 & *Electoralis, Med. Anat. Chirurg. Bot. P. P. O.*
Soc. Reg. Angl. & Suec. Sodalitatis, Enumeratio methodica
Stirpium Helvetiæ indigenarum, qua omnium brevis
descriptio & synonymia, compendium virium medica-
rum, dubiarum declaratio, novarum & rariorum
uberius historia & Icones, continentur.

Tomi II.

Gottingæ, ex officina Academica Abrahami Vandenhæck, 1742, fol.

Alph. 8 plag. 18, Tab. æn. 24.

Rei herbariæ studium per culturam plantarum diversissimarum in hortis curiosorum maxime quidem promoveri & perfici, quilibet concedit; negandum tamen non est, haud levem difficultatem huic studio ex eo accedere, quod per ipsam culturam & climatis differentiam plurimæ varietates producuntur, quæ vix satis definiri, & ad suas species reduci, possunt. Non desunt quidem in sylvis & pratis ex varietate arenosi, uliginosi, siccioris, & humidioris, soli oriundæ varietates; sed causas mutationis plantæ illæ magis inscriptas habent, & ideo feliciter de-

reguntur, quam horarum reliquæ. Maxima igitur laude maſtandi ſunt, qui itinerum botanicorum incommoda felici labore ſuperant, & plantas in ſolo natali diſquirunt, ibique naturam, nulla arte & cultura mutatam, contemplantur. Fecit hoc Celeberrimus hujus Operis Autor, qui, poſt tot egregia rei anatomicæ ſpecimina huc uſque edita, nunc quoque plantas Helvetiæ indigenas, multo labore veſtigatas, in hoc Opere ſplendidiffimo & perfectiffimo ſiſtit. Licet enim ipſe imperfectum adhuc opus judicet; illam tamen tantum concedere poſſumus imperfectionem, quæ a rebus humanis nunquam aliena eſt. Nos jam Operis rationem, in Præſatione expoſitam, recenſebimus, ordinem declarabimus, & ſpecimina nonnulla exponemus. Helvetiam Cel. Autor, tum quod ad tractus montium, tum quod ad lata pascua, aliaque ſoli genera diverſa, deſcribit, & terrarum diverſam indolem inſignem etiam copiam plantarum proferre, oſtendit, ita ut hæc regio, variis terræ tractibus conſpicua, & Gallia calidioris plantas, & Germanicas ſere omnes, & Lapponicas demum & Spitzbergicas, ſæpe intra breviffimum ſpatium producat. Præmiſſa igitur deſcriptione regionis, cujus plantas deſcribere inſtituit, eorum etiam labores recenſet, qui in ſtirpes Helvetiæ inquiſiverunt. Non vero tantum nomina adducit, ſed & itinera & labores eorundem ſtudioſe exponit. Inprimis vero *Joannis Geſneri*, *Joannis & Caſparis Baubinatorum*, *Joannis Razi*, *Joannis Jacobi* & *Joannis Scheuchzerorum*, merita in rem botanicam, inprimis Helvetiæ, exponit. Ex adhuc viventibus præcipue *Benedicti Schæbelini*, qui patris, *Joannis Henrici Schæbelini*, veſtigia præſerat, ſtudioſe laudat, ejuſque auxilium, in hoc Opere ſibi præſtitum, grata mente prædicat, & ſimul *Joannis Geſneri* ſæcunda inventis itinera & labores deſcribit. Tandem ſuos quoque, quos ab A. 1728 in hoc Opere elaborando & perficiendo ſuſcepit, labores brevibus exponit, & ſe tanquam Botanicum ſiſtit, qui partim indefeſſo naturæ ſcrutinio, partim ſcriptorum excellentiſſimorum investigatione, ad tantam rei herbariæ peritiâ pervenit, quantam ipſum hoc Opus abunde declarat. Monet quidem, plurimos Helvetiæ tractus curſim tantum peragratos, alios intactos relictos, & plantas minutas
varias

varias non nisi in Basileensibus, Bernensibus, & Tigurinis, agris inquisitas fuisse, aliasque difficultates adducit, quibus implicitus, ipse de perfectione hujus catalogi desperat. Sed paucissima forsitan plantæ, quæ deficere videntur, ob copiam insignem descriptarum non attendendæ sunt, quæ ad 2500 species assurgunt, varietatibus exclusis. In colligendis vero plantis characteres naturales, in planta recenti vilas, consignavit, & in stamina & tubas, eo tempore a plurimis neglectas, ad dudum præceptoris, *Barhuavii*, simul inquisivit. Sua postmodum observata cum scriptis, in fine Præfationis citatis, consulit, quæ quidem scripta non tantum insignem apparatus librorum botanicorum Autoris ostendunt, sed per judicia adita industriam & attentionem ejusdem in examinandis iisdem abunde declarant. Quæ tandem & in his defuerunt, laudatorum modo amicorum ope refarcivit, & plantas, quas ipse nec vidit, nec examinavit, asterisco notavit. In ordinandis plantis suis neminem Methodicorum nostri temporis sequi voluit, sed ipse naturali magis ordine ab imperfectioribus ad magis perfectas plantas progressus est, in nonnullis *Rajum* secutus, in multis ab eo recedens. Exhibemus Cel. Autoris methodum, in Tabulam dispositam, ut omnes synopticam dispositionem cognoscere, & exercitati Botanici eandem dijudicare, queant; imperitorum enim judicia, ut probe scimus, ipse nunquam curabit.

Plantæ

- I. Flore, staminibus, & petalis, destitutæ, semine solo donatæ. *Conserva, Ryffus, Mucilago, &c.*
- II. Staminibus veris & petalis destitutæ, semine solo donatæ.
 - I. Staminibus omnino nullis. *Lichen.*
 - II. Staminum analogis corpusculis præditæ. *Musci.*
 1. Foliis a caule diversis. *Lycopodium, Sphagnum, Hypnum, Polytrichum, &c.*
 2. Foliis a caule non diversis. *Marsilea, Hepatica, Lenticularia, &c.*
 3. Epiphyllispermæ. *Osmunda, Ophioglossum, Filix, Asplenium, Equisetum, &c.*

III. Petalis destitutæ, semine, flore, & veris staminibus, donatæ

- I. Staminibus coalitis, a fructu remotis. Coniferæ. *Ephe-
dra, Taxus, Juniperus, &c.*
- II. Staminibus liberis, a fructu remotis. Juliferæ. *Salix,
Populus, Fagus, &c.*
- III. Non juliferæ isostemones. *Viscum, Rhamnus, Frangu-
la, Vitis, &c.*
- IV. Mejestemones. *Alchimilla.*
- V. Diplostemones. *Knawel, Passerina.*
- VI. Polystemones. *Tithymalus, Mercurialis.*
- VII. Aquaticæ variæ. *Limnopençe, Zanichellia.*
- VIII. Tristemones, flore plerumque bifolio. *Gramina,*
quorum dispositionem methodicam accuratissimam
subjungit.
- IX. Graminibus affines.
 1. Tristemones uniglumes. *Cyperoides, Uva.*
 2. Hexastemones sexglumes. *Schænus, Juncus.*
 3. Tristemones triglumes. *Sparganium, Typha.*

IV. Semine, flore, staminibus, & petalis, donatæ.

A. Monocotyledones.

- I. Tuba destitutæ. Orchidæ. *Orchis, Helleborine.*
- II. Tuba præditæ. Liliacæ.
 1. Fructu sub flore,
 - α. Tristemone. *Gladiolus, Iris, Crocus.*
 - β. Hexastemone. *Colchicum, Leucojum.*
 2. Fructu intra florem,
 - α. Monopetalum. *Muscari, Polygonatum.*
 - β. Hexapetalum.
 1. Solitarium. *Litium, Phtangium.*
 2. Conglomeratum. *Porrum, Cæpa, Allium.*

B. Dicotyledones.

- I. Polystemones
 1. Plerumque multifiliquæ. *Veratrum, Butomus, Aq-
legia.*
 2. Gymnopolyspermæ petalis.
 - α. Circo

- α. Circa ovarium ortis. *Adonis, Ranunculus.*
 - β. Ex calyce ortis. *Dryas, Caryophyllata.*
- 3. Pomiferae
 - α. Umbilicatae. *Ribes, Rosa, Sorbus.*
 - β. Non umbilicatae. *Prunus, Cerasus.*
- 4. Multiloculares. *Tilia, Helianthemum.*
- 5. Staminibus coalitis. *Malva.*
- II. Diplostemones. *Oxys, Geranium, Lychnis.*
- III. Ilostemones
 - 1. Placentiferae vasculosae. *Staphylodendron.*
 - 2. Flore fructui innato gymnodispermae.
 - α. Pentapetala. Umbelliferae. Ulterius divisa.
 - β. Dipetala. *Circaea.*
 - γ. Tetrapetaloides. *Asperula, Rubcola.*
 - δ. Quinquesida. *Opulus, Caprifolium.*
 - 3. Flore circa fructum.
 - α. Unicum vascularem.
 - 1. Quadrifido. *Aquifolium, Plantago.*
 - 2. Quinquesido plerumque. *Gentiana, Lysimachia.*
 - 4. Cucurbitaceae. *Bryonia.*
 - 5. Solanaceae. *Solanum, Verbascum.*
 - 6. Asperifoliae. *Echium, Symphytum.*
 - 7. Dicarpeae. *Asclepias, Pervinca.*
 - 8. Hexapetala. *Berberis.*
- IV. Mejistemones. *Ligustrum, Veronica.*
- V. Staminibus ad petala sesquialteris. Tetrapetalae cruciatae. Ulterius divisa.
- VI. Staminibus ad petala duplis sesquitertiis. Papilionaceae. Ulterius divisa.
- VII. Flore monopetalo staminibus quatuor inaequalibus.
 - 1. Capsula uniloculari. *Montia, Linnaea.*
 - 2. Capsula biloculari. *Antirrhinum, Digitalis.*
 - 3. Seminibus quatuor nudis, a labiis petali ulterius divisa.
- VIII. Floribus uni semini insidentibus congregatis.
 - 1. Pla-

1. Placenta & calyce communi nullis. *Valeriana*.
2. Placenta & calyce communi præditæ. Plantæ flore composito ulterius subdivisæ.

In speciali plantarum tractatione genus primum posuit, & in hoc eligendo, determinando, & denominando, varios Botánicos summos ita secutus est, ut non raro genera quodammodo aliter definiverit, & limites mutaverit, prout naturalis character illud requirebat. In plantis imperfectioribus *Dillenii*, *Michelli*, & *Linnei*, in perfectioribus vero *Tournefortii*, *Raji*, *Willanrii*, *Rivini*, *Linnei*, & nonnunquam aliorum quoque, nomina elegit. Quo vero lector adjuvaretur, synonyma generica præstantissimorum Botanicorum apposuit, genus breviter & luculenter descripsit, essentielles characteres expressit, accidentales sæpius evidentes non neglexit. Species postea enumeravit, & in harum synonymiis exponendis amplissimus fuit, & scriptores & icones maxima cum attentione dijudicavit, varietates varias recensuit, & a speciebus distinxit. Sed in his definiendis a nuperis scriptoribus aliquantum dissentit, & inprimis proportionem, ut in Præfatione monet, inter signa veræ diversitatis admittit. His expositis, loca recenset, in quibus plantas vel ipse invenit, vel ab aliis inventas fuisse cognovit, descriptiones totius plantæ, ubi opus videtur, vel ampliores, vel breviores, addidit, & vires medicas ex præstantissimorum Autorum sententiis subjunxit. Exhibuit etiam in *Tabulis* plurimas icones plantarum elegantissimarum, multa cum cura delineatas & æri incisas, ut ita in synonymiis, descriptionibus, & iconibus, quæ veræ perfectiones sunt scripti botanici hujus indolis, nihil deficere videatur. Maximo igitur cum desiderio etiam alia scripta botanica, quæ Cel. Autor meditatur, exoptamus & expectamus. Ad damus nunc quædam nova genera, ab Autore stabilita, & in prima potissimum Classe exhibita.

Embulus est planta mollissima, quæ clavam succulentam, cylindricam, in tenuissimo pediculo profert, & a similitudine cylindri, quo aqua ex siphone expellitur, ita appellatur. A Fungoidastro itaque differt figura, a mucore præterea, quod cortice destituatur, & in nuda carne semina villi specie educat.

Sphæro-

Spherocephalus, gracilis pediculus, spheram erectam gestat, cortice continuo clausam, interius vero spongioso & filamentoso glomere plenam, a Mucore vita perenni & duritie differt, a Clathroide vero, quod capillitium in reticulum non resolvatur.

Merulius est fungus, cui loco laminarum venæ ramosæ sunt, cum carne fungi continuæ subtus repentes.

Agarico-Merulius a Merulio differt, uti omnes Agarici a fungis congeneribus.

Agarico-Fungus lamellas subtus habet, uti fungi, sed sessilis est, & absque pediculo, & protrusione mera augetur, uti Agarici.

Agarici sunt fungi lamellati, neque porosi, neque echinati, neque venosi, sed leves undique & similes.

Uva est ex graminum cyperoidum genere, spicis floriferis & seminiferis, tota planta diversis.

Epipactis est genus ex Orchideis, flore tetrapetalo, hoc est, cucullo tripetalo; de reliquo proxime accedit ad Helleborim.

Cerberia habitus totus Alfinæ est & fructus & tubæ, sed stamina alternatim quinque simplicia, quinque ex cordiformi ungue profecta, neque alia præter eos ungues, qui calyce multo minores sunt petala.

Arctia ad Androsæcen accedit, tubus floris cylindricus segmenta planissima, integra, aut emarginata, decem glandulæ sub origine segmentorum floralium corollam facientes, ovarium sphericum, tuba brevis simplicissima.

Lepidium Tournefortii & *Linnei* cum *Nasturtiis* conjungit. Nomen vero plantæ imponit, quæ a Thlaspi differt, silicula longum & persistentem stilum emittente, semina utrinque habet modo unum, modo plura.

Pyretbrum calyce & flore & nuda placenta cum Bellide majore convenit, differt autem semine coronato, corona denticulata, quæ orientem flosculum suscipit. Continet species *Matricaria Vahl.* & *Chrysanthemi Linn.*

Stabelina Autoris est *Bartsia* Linn. G. P. 593, & ita longe
differt a *Stabelina* Linn. G. P. 767.

MEDITATIONS SUR L' ORIGINE DES

Fontaines, &c.

hoc est,

MEDITATIONES DE ORIGINE FONTIUM,
aqua puteorum, & aliis problematibus similis argu-
menti. Dissertatio, cui Academia Regia elegantio-
rum Literarum, Scientiarum, & Artium, premium
decrevit. Autore HENRICO KÜHNIO, J.
U. D. & in Athenæo Gedanensi Marbeseos
Professore.

Burdigalæ, prostat apud Petrum Brun, Typographum Aca-
demix Regix, 1741, 4 maj.

Alph. 1 plag. 8.

Cum jam anno superiore *Solutioni dubiorum*, huic Disser-
tationi oppositorum, in his *Actis* locum dederimus; ve-
nia nobis a legentibus petenda est, quod non citius hujus ipsius
Dissertationis capita enarravimus. Fuerunt nonnullæ hujus re-
tardationis causæ, quas tamen ut hic exponamus, legentium
parum interesse putamus. Nunc ergo sine ulteriori præfatio-
ne recensionem hujus libri aggredimur, quem multis laudi-
bus lubentissime cumularem, nisi supervacaneum videretur,
laudare Opus, celeberrimæ Scientiarum Academix applausu
exornatum. Quoniam in hoc libro multæ observationes &
conjecturæ continentur, quæ ad artium Hydrostaticæ agnata-
rum, & præcipue artis nauticæ, incrementum conferre mul-
tum poterunt, si ab iis, qui has artes tractant, sive compro-
bata, sive emendata, fuerint; curavit typographus hunc li-
brum ex Latina lingua, in qua Cel. Autor eum composuerat,
in Gallicam vertendum. Hæc versio per singulas paginas tex-
tui Latino ad latus quidem adjuncta comparer; sed eum non
ubique satis fida sequitur. Complura enim loca, quæ textus
Latinus

Latinus habet, in hac versione non reperiuntur, forte propterea, quod ea illis, quorum gratia versio ista scripta fuit, minus utilia fore visa sunt. Pauca etiam loca deprehendimus hujus versionis, quæ sensum verborum Autoris reddere haud videntur; sunt tamen ea levioris momenti.

In primis hujus Dissertationis paginis id egisse videmus Autorem doctissimum, ut calculis, ex observationibus de cursu fluminum & aquarum inter maria communicatione ductis, ostenderet, fluminum versus maria, ipsorum marium particularium versus Oceanum, & ejusdem Oceani partium aliarum versus alias, declivitatem notabilem esse, & nequiquam parvitas, ut vulgaris opinio est, in relatione ad Telluris diametrum contemnendam; e. g. mare mediterraneum prope Alexandriam fontibus Nili depressius esse quantitate 6½ minimum milliariis Germanicorum, mari autem Atlantico prope ostium Nigri quantitate dimidii milliarii Germanici altius esse. Quæ insignis fluminum & ipsius Oceani declivitas Cel. Autorem invitat, ut celebratam hac nostra ætate controversiam de Telluris figura in transitu attingat. Sed, quia his de rebus ipse Autor in *Membris Maio & Junio horum Actuum Anni 1742* mentem suam ulterius explicavit, non est, quod nunc illi capiti hujus Dissertationis enarrando operam demus. Explicata sua de figura Telluris irregulari, & optima methodo eam determinandi, sententia, digna sane, quam viri Physicæ & Mathematicæ æque periti diligentius attendant, redit in viam, & plures observationes enarrat, quibus tandem Systema suum de fontium & aquæ putealis origine superstruit. Constat, Physicos, de origine fontium disputantes, in eo quidem consentire omnes, quod fontibus & fluviis aquæ suæ a maribus & Oceano restituantur, de via autem, qua Oceani aquæ ad fontes revertuntur, duplicem fere fovere sententiam. *Cartesius* sumit, aquas marinas, per meatus subterraneos ductas, actione caloris dimittere aquam dulcem, quæ in forma vaporum per cavitates ascendat, donec saxi adhæreat, & inde, in guttas collecta, in alias cavernas defluat. Altera eorum opinio est, qui nullas vias subterraneas vaporibus concedunt,

§. 69.

dunt, sed vapores aquosos, ex omni terræ superficie in atmosphæra ascendentes, ad fontium origines vocant. Et hi quidem in varias iterum partes discedunt. Aliqui enim cum *Peirescio, Isaaco Vossio, & Hallejo*, vapores illos, ventis ad cacumina montium appulso, ibi condensari, & præcipitados in viscera montium penetrare; alii cum *Perraltio & Mariotto*, aquas pluviales, ex istis vaporibus natas, & a terris arenosis sabulosisque exceptas, deglutitasque, materiem fontibus continuo suppeditare; alii denique, dute *Vallisnero*, & pluviam, & nivem, & glaciem, in altioribus montibus tarde liquefcentem, fontium altrices esse putant. Quod nunc exponendum nobis est Systema, ad *Cartesii* mentem proxime accedit, &, ipso doctissimo Autore non renuente, *Systema Cartesii promotum* vocari potest. Exponamus illud iisdem, quibus *Cel. Autor* usus est, verbis. Aqua marina, inquit, a voraginibus maris, in ipsis fretorum angustiis, aut prope littora maris, reperiundis, aut perpetuo, aut per periodica temporum intervalla, absorberetur, & in subterranea insulæ, aut terræ continentis, defertur, atque per horum meatuum ramos & ramusculos longe lateque, usque infra tractus montosos, cavernosos, fistulososque, distribuitur, dum interea in toto fere hoc itinere hæc aqua subterranea salsa, per calorem subterraneum fere ubique disseminatum, ad insensibilem fere exhalationem disponitur, vaporesque per loca fistulosa & cavernosa, qua datur, in altiores altioresque cavernas, sub ipsis eandem tractibus montosis sitas, ascendunt, cavernarum fornicibus adhærent, ibidem in guttulas aquæ dulcis confluent, quaquaversum versus latera fornicis destillant in strata glareosa extrorsum declivia, ex quibus in receptaculum satis amplum, sed parum profundum, aqua colligitur, & per hujus emissaria, paulo infra libellam collocata, continuo erumpit, fontesque perennes, ad radicem montis, aut jugi, aut collis scaturientes, efficit, dum interea abundans receptaculi aqua per alia emissaria, in ipsa receptaculi libella aptata, strata aquosa (sic *Autor* vocat strata terræ glareosæ & lapidibus distinctæ, quæ stratis terræ pinguis argillosæ incumbunt, & aquam vivam continent,) vicina ingreditur, pro aquis putea-

libus,

libus, imo & pro fontibus perennibus, minus editis, alibi locorum constituendis, ut fontes perennes eandem ad sensum aquæ quantitatē æqualibus temporibus effundere possint. Quod dum contingit, aqua subterranea, tanta aquæ dulcis de-
 cessione per evaporationem effecta, salsetinem gravitatem-
 que specificam acquirit marina majorem; & ex ramusculis,
 tandem ad se invicem convergentibus, colligitur in ramos aqua-
 rum, ex ramis in canales, itidem ad se invicem convergen-
 tes, donec salugo, mari appropinquans, aquam marinam,
 etsi ad multo altiorem libellam consistentem, loco pellat, &
 sub forma Euripi vomentis in mare exoneretur, ut sorbitio
 voraginis sorbentis perennare, & evaporation aquæ dulcis con-
 tinuari, possit, consequenter fontes perennes, seu jugiter
 aquam dulcem præbentes, obtineri queant. Hæc Autor.
 Nobis nunc brevibus indicandæ sunt rationes, quibus hoc
 Systema firmare studuit. Et primo quidem, dari voragi-
 nes, quæ aquas maris sorbeant, & aliorum præcipitent, par-
 tim ratiocinatione, partim observationibus, contendit. Affir-
 mat, experientia docente, ingentem quotannis aquæ co- §. 78 seq.
 piam a fluviis in maria clausa, & tam a fluviis, quam a maribus
 particularibus apertis, in vicinum Oceanum, advehi, nec tamen
 superficiem marium & Oceani hac adventitia aqua attolli; hinc
 necesse esse, ut maria clausa, Oceanus, nec non maria aper-
 ta, paulo angustioribus fretis instructa, quam receperunt,
 aquam aut evaporatione, aut per subterranea emissaria, vel
 voragines sorbentes, perdant; solam evaporationem hanc ad 19 seq.
 rem fere nihil valere, cum ob magnam maris profunditatem,
 tum ob fundam ejus mollem & obscurioris coloris, tum ob
 calorem aeris ambientis super vasto mari non satis intensum;
 canalibus ergo subterraneis satis declivibus opus esse, in quos
 superflua aqua irruant. Sed, hæc ita se vere habere, quæ ra-
 tiorum assecutus est, experientiam testem excitat, & ad vor- 118.
 ticem prope Norvegiam in Oceano Deucaledonio, ad Euri-
 pum prope insulam Eubœam, ad Scyllam & Charybdim, ad
 Euripos denique, in freto Babelmandel, sinu Persico, fretoque
 Magellicano, repertos, provocat. Addit, præter has voragi-
 nes

- nes sine dubio plures esse, propterea non observatas, quod forsitan minori cum impetu, ob lumina horizontaliter sita, vel angustiora, sorbeant aquas, vel quod ora habeant, inter fyrtes, scopulos, cautesque, navibus inaccessas, latentia. Aquam autem, ab his Euripis absorptam, in loca subterranea Terræ firmæ, vel insulæ vicinæ, deferri, inde videri, quod omnes
- §. 120. Euripi, hætenus cogniti, prope littora continentis aut insulæ, & præcipue in angustis fretorum, locati sint. Deinde sumit, canales harum voraginum dispergi in ramos & ramusculos;
125. quod quidem non observationibus probat, sed argumento ab analogia fluminum petito, quæ natura viis tortuosis circumducit, ut pluribus locis utilia esse queant. Calorem, sub terra dispersum, & nonnullis in locis satis vehementem, thermæ & montes ignivomi produunt. Multis in locis, præcipue montosis, cavernas dari subterraneas, sæpe admodum spatiosas, quarum tam fornices, quam parietes, ex vivo durissimoque saxo
112. constant, & in quas fissuræ, durissimis rupibus incisæ, hiant, & aquam invehunt, exemplis cavernæ Baumannianæ, Podoliensis, & aliarum in Alpibus & Carniolæ montibus, ab Autore probatur. Strata autem pinguis argillæ, cum proxime incumbentibus stratis glareosis, aquam vivam continentibus, plurimis in locis terræ continentis reperiri, non solum vulgaris eorum experientia, qui puteos sodiunt, docuit, sed & *Varenii, Ferraltii, & Ramazzini*, (in libro de Fontibus Mutinensibus,) observationibus comprobatum est, & ab iis ipsis, quæ contrarium de origine fontium Systema amplexi sunt, concessum. Enimvero id præcipue Autori agendum erat, ut ostenderet, strata illa, quam continent aquam, nec fluviis debere intumescere, nec pluvie nivibusve liquefactis, terram penetrantibus. Bene hoc intellexit doctissimus Autor pro ea, quam per totum hoc Opus demonstravit, ingenii sagacitate.
97. 100. Quare, ne huic dubio locum relinqueret, copiose ostendit, strata illa aquosa profundius sub terra latere, quam ut aquæ pluviales ad ea penetrare possint, eorum partes plurimas versus fluviis declives esse, & in ipsos aquas suas deponeere, raro autem canales ex fluminibus in strata aquosa declives

ves deprehendi, denique hæc eadem strata ab aquis, ex locis admodum altis defluentibus, ali. In universum experientie contrarium esse illorum Systema, qui solam aquam pluvie ad alendos fontes trahunt, inde existimat, quod, anno quantumvis sicco existente, fontes perennes, præcipue eorum altissimi, nihilo minorem aquæ quantitatem fundere pergunt, in fontibus autem minus editis quantitas aquæ effluentis non nihil decrescit. Si enim verum esset illud Systema, necesse fore, ut fontes altissimi in anno sicco omnium primi, minus autem editi tardius, languescerent. At vero, quanquam huic argumento non omne robur negare possumus, tamen non satis valere nobis videtur ad eorum, qui ad fontes alendos aquas ex aere delapsas arcessunt, opinionem funditus evertendam. Nam, cum hi fere omnes in pluvie auxilium nivem & glaciem vocent, & cum constet, in altissimorum montium fastigiis magnam semper nivis & glaciei copiam suppetere, in annis autem siccis aerem majori solito calore ut plurimum fervere, verendum sane est, ne isti, defectum aquarum pluvialium in annis siccis majori copia nivis & glaciei, majori calore in altioribus montibus liquefactæ, compensari, dicant, & sic Cel. Autoris rationes eludant; præsertim cum experientia se edoctos esse perhibeant, plurium montium cacumina e terra arenosa, sabulosa, & lapidibus diversæ molis intermixta, constare, per cujus rimas & canales aquæ glaciales & nix liquefacta stillare, & ad hydrophylacia, in montium visceribus a natura elaborata, desluere, possint; de quibus videantur *Vallisneri Opus de Origine Fontium*, ejusdemque *Observationes Physico-Medicae*. Pervenimus nunc ad ultimam partem Systematis, a Cel. Kühnio propositi, quæ ad regressum aquæ superfuitis salæ ad mare per Euripos vomentes pertinet. Talium Euriporum pauci huc usque observati sunt. Tres tantum ab Autore nominantur, unus in Oceano Deucaliedonio prope Norvegiam, alter prope insulam Eubœam, tertius, cui nomen est Charybdis; & hi singuli non tantum vomentes sunt voragines, sed alternatim aquas eruclant sorbentque. At, longe plures dari, Autor ratio-
 128-132.
 nibus evincit. Quoniam enim, concessis voraginibus sorbentibus

§. 104.

tibus in omnibus maribus, ingens copia aquarum marinarum jugiter in loca subterranea Terræ firmæ deducitur, quæ tamen ibi nec manere omnis, nec evaporatione consumi, potest, quoniam, utrumvis ponas, aditus ad subterraneas cavernas aut ipsa aqua, aut sale post evaporationem dulcis aquæ relicto, obstrueretur; necesse est, ut aqua, ad subterraneas cavernas advecta, aut directe per plures ramos, in plures canales hiantes, in mare iterum omnis effundatur, aut pars ejus evaporatione aliorsum abeat, & reliqua pars, multo falsior & gravior facta, per proprias vias in mare iterum sive impetuose, sive lente, erumpat. Horum prius poni posse, negat Autor, partim quod aquæ, longissimam viam subterraneam declivem emensæ, ad ostium nimis depressum deferrentur, unde vix ac ne vix quidem in mare, ostio incumbens, per leges hydrostaticas, iterum erumpere possent, partim quod in hac hypothesi aquæ marinæ tantum iter subterraneum plane frustra conficerent; restat ergo posterius, quo posito, res omnis salva est. Addit huic ratiocinationi non exiguum pondus, dum demonstrat, ea, quæ huic suæ de voraginibus vomentibus hypothesi consequentia sunt, cum experientia apprime conspirare. Huc pertinet primo

§. 138-
162. hoc, quod sal in mari perpetuo conservatur, deinde quod unum idemque mare non ubique locorum eundem salsedinis gradum habet, sed prope Euripum vomentem, ut verisimile est, majorem, item quod aqua fundo maris propior, reliqua falsior deprehenditur & gravior, porro quod in mari existunt rapidi torrentes aquarum subterlabentium, quarum gravitas specifica haud parum major est gravitate specifica aquæ marinæ superficialis, & quod in nonnullis maribus, per freta quas secum invicem communicantibus, aqua fundo propior in oppositam plagam ruit illi, in quam aqua superficialis fertur, & quæ sunt hujus generis alia, quorum enarrationem & explanationem in ipsius Autoris elegantissima Dissertatione majori cum voluptate, quam in hac nostra breviuscula descriptione, lectum iri, persuasum nobis habemus.

Jam, quot quantasque difficultates, quibus *Systema Carthesii* de fontium origine premebatur, *Cel. Leibnizius* sustulerit, ex

ex iis, quæ hætenus exposuimus, facile, nec nobis monentibus, intelligent hi, quibus *Cartesianum* Systema perspectum est. Equidem fatemur, inter ea, quibus Autoris Systema tanquam fundamentis innititur, esse adhuc precaria quædam, & circa ea, quæ ipse de usu voraginum sorbentium vomentiumque habet, varia dubia nobis, hanc Dissertationem prima vice legentibus, suborta esse. Sed, quod ad primum attinet, hæc omnium hypothesium philosophicarum indoles est, ut incerti habeant aliquid, & ut iis non ex evidentia principiorum, sed partim ex convenientia earum cum legibus & viis naturæ, dudum satis cognitæ, partim ex multitudine phænomenorum, quæ per eas feliciter explicantur, statuendum sit pretium; & ad alterum quod attinet, fatemur, dubia ista Nostrum iis ipsis, quæ ad doctissimi cujusdam Galli objectiones nuper respondit, satis disjecisse. Unum tamen nobis superest, quod pace Cel. Autoris monere nobis liceat. Scilicet, cum ita comparatum sit cum hypothesibus philosophicis, de eadem questione excogitatis, ut una earum, nisi ceteris dirutis, stare nequeat, rem profecto fecisset Autor, quæ ipsius sententiæ magnam auctoritatem conciliasset, si eorum opinionem, qui a pluvia, nive, & glacie, liquefactis aquas fontanas cum *Vallifnero* repetunt, idoneis argumentis refutasset. Atqui, hoc Autorem neglexisse, videmus; & veremur sane, ne is operam omnem sit perditurus, qui contra illorum hominum multis argumentis munitam sententiam demonstrare suscipiat, aquam per aerias vias, ad montium fastigia reductas, non sufficere ad fontes quosdam perennes quibusdam saltem in locis alendos. Quid ergo? Num sic retro trahimus laudes, quas doctissimi Autoris systemati paulo ante dedimus? Neutiquam; id solum nobis volumus, in quæstione de origine fontium tractanda forte felicissime omnium versaturum esse eum, qui hypothesin viarum subterranearum, prout ea a Cel. *Kühnio* proposita est, cum altera viarum aeriarum hypothesi combinaret, quippe quæ hypotheses minime secum pugnabunt, si ambæ certis fuerint limitibus incluse.

Ceterum non possumus ante filum nostrum abrumpere, quam de aliquot locis, ab Autore in transitu tractatis, legentes

monuerimus. In §. 96 redditur ratio, cur, fluviis intumescen-
 tibus, substructiones ædium aqua replentur. In §. 98 explica-
 tur tristis illa Plurii, oppidi Rhetia, submersio. In §. 109 fon-
 tium periodicorum causæ ingeniose demonstrantur. Unde
 arenæ errantes ad litora marium, & unde fossilia figurata ex
 regno animali & vegetabili, prope superficiem terræ toties re-
 perta, in §. 93 & 148 magna cum veri specie explicatur.

*ELEMENTA JURIS CANONICO-PONTIFICIO-
 Ecclesiastici, tum veteris, tum hodierni, ex genuinis
 principiis eruit, & apta connexaque ratione adornavit,*

LUDOVICUS MARTINUS KAHLE, P. P.

Ord. in Academia Gottingensi.

Tomus I.

Halæ, impensis Rengerianis, 1743, 4.

Alph. 3.

Operam sane collocant in re præclaris utilitatibus suis com-
 mendatissima, si qui ex fontibus ipsis immensam le-
 gum multitudinem in unum colligere fasciculum & *αυτίχρη-
 στου* laborant, apta connexaque ratione adornatam. Facere
 igitur non possumus, quin Opus, cujus inscriptionem mo-
 do posuimus ob oculos Lectorum, creta notemus, explane-
 musque generatim a Cel. Autore nostro in medium prolata.
 Canonici & Pontificii Juris placita ita certe comparata sunt,
 ut præ ceteris legitimæ scientiæ disciplinis turbata, inordi-
 nata, atque a propriis sedibus dimota, in iis videantur omnia;
 quin etiam haud raro repugnantia hic animadvertantur, si-
 ve Decretalium seriem interruptam, sive Decreti vagantes
 & passim peregrinantes oberrantesque species doctrinas, sive
 reliqua Ecclesiasticæ Jurisprudentiæ spicilegia, sive Commen-
 tatorum atque interpretum ingens agmen, respicias, vel Ro-
 manæ, vel Evangelicæ, communioni addictorum. Horrida ista,
 hiulca, & balbutiens, Canonistarum (barbara hac voce uti liceat,
 dicendi scribendique ratio diu viguit, & quod inprimis dolen-
 dum, opposita fuit armataque quasi manu restitit iis, qui bo-
 na

nae mentis praesidiis ad distinctam solidamque legum ecclesiasticarum notitiam aspirare conati sunt. Ita enim est, confusam methodum, seu sine praecipitis rationis farraginem congestam, adhaerent Commentatorum Juris plurimi, impense delectantes libertate sua cogitandi & docendi, abeunte in licentiam effrenatam. Insolentius se mores hac in re Decretistarum antiquiorum jactant, fallacissime venditantium casuum singularium series, secundum Canones & Decretales Epistolas enucleatas; vel certissimorum principiorum loco enuntiationes dubias supponentium, relictis plane ideis distinctis, axiomatibus, demonstrationibus, iisque Jurisprudentiae praenotionibus, quibus stabilis perfectaue nititur legum notitia. Hinc nihil frequentius apud scriptores Juris Canonico-Pontificio-Ecclesiastici observatur, quam ratiocinandi genera plumbea, conclusionumculae pertenues, vel minutae, essentialium atque modorum commixtio, & idearum contorta comparatio. Nihilominus severissime hi repudiant & rejiciunt veritatis satellites, ordinem adhibentes in Commentationibus suis, jure divino & humano dignum. Hi omnes tamen impedimento non fuerunt, quo minus *Cel. Kablius* ea lege, seu connexa ratione, quam religiose olim publici privatique Juris exercitationibus adhibuit, Jus Canonico-Pontificio-Ecclesiasticum enodaret, concinnaretque. Probe gnarus Noster, justum ordinem negligentes Doctores ad optatos minime eventus provehi, operam navavit, ut firmanda firmaret, polienda poliret, & summa in eis mixta redigeret in statum convenientem atque idoneum. Evulgavit igitur perpetuam legum seriem tam Pontificiae Ecclesiae, quam Evangelicae, methodi Philosophorum & Mathematicorum more contextam, utilissimamque lectu. Ut enim laevarum laciniarum legum istarum cohaerent omnium, praecipua quaedam industria, eas vim suam repetere vel ex propriis, vel ex communibus stabilitisque, normis, sanctionibusque, declaravit. Itaque ex principiis generalibus, & legitimis notionibus, ad alias res concludendas in omni *Libro* Autor progreditur; vel ex iis, quae semel percepta sunt, adhibitis notionibus, quae Canonibus vel Capitulis insunt, & enuntiationibus antea cognitis, quid juris sit, colligit atque demonstrat dilucide. Facere igitur non potuit,

potuit, quin, Canonici Juris corpore iterum & sæpius perleto, simulque Augustanæ Confessioni addictorum legibus præcipuis probe expensis, inde efficeret principia, unde fluunt tanquam rivuli reliquæ leges prorsus omnes, tali concinnitate & firmitudine erutz, qualem Logica præfinire solet. Prævidit Cel. Autor, nonnullos, qui, quid sit proba methodus, non noverunt, objectare posse, certi & assensionis firmitatem ejusmodi repugnare Pontificii Juris nævis, erroribusque, quibus jura Pontificiorum agitari dicuntur; sed vere & graviter respondet Noster, se nunquam pronuntiasse, sumtiones falsas, quæ veluti in quibusdam Pontificum plumbo bullatis literis occurrunt, veras esse, vel τὰς τῶν οὐκοῦν πάντων ἀδικίας ex certis principiis a se esse demonstratas, demonstrandasve; sed se re ipsa potius evicisse, copulari omnis Juris Ecclesiastici enuntiationes posse, ac, præstructis generum formarumque notionibus, (quamvis positæ sint in fallaci ac lubrico juris architectorum arbitrio, seu fictione.) idoneam & necessariam connexionem ita effectam a se esse, ut, quomodo sumtum conclusumque cohæreant, satis intelligeretur. Et sine id ipsum exposuit Autor luculenter, sique dicendum, quod res est, perpetuam analysin notionum instituit præmissarum, arque ita digitum ad fontes limpidos semper intendens, conclusiones expedit, quæ iis tanquam partes, aut proprietates, aut modi, insunt. Quemadmodum igitur Philolophi ex principio, quod argumentis non eget, sed statim vel invitis assensum extorquet, cum sensum ejus perceperunt, libant & colligunt, si sine rationibus connexis intelligi nequeunt, placita, vel etiam ratiocinia, componunt, ut ex iis, quæ antecedunt, lucem accipiant, & ordine lumen afferant; ita Autor noster primo ex fontibus Juris Canonico-Pontificio Ecclesiastici, *Sectione IV* Dissertationis præliminaris adumbratis, summatimque descriptis, deinde ex doctorum sententiis receptis, tum ex Ethicæ, Politicæ, Jurisque naturalis ac gentium, præceptionibus, tum ex ratione, quæ ex perceptis, hoc est, certo cognitis, ad id, quod non intelligebatur, adducit, repetit alte & a capite, quæ, num veræ falsæve sint assertiones, sine argumentis cognosci non possunt. Ad primum fundamenti genus retulit Autor præ-

præcipue, & quidem iustis de causis, leges imperii Romano-Germanici, ac, ubi e re visum fuit, civilis Juris convenientiam vel dissensum, neque minus analogicam Jurisprudentiam, seu scientiam actiones comparandi, ad rationem Juris utriusque applicavit. His usus præsidii, iisque genuinis, in adyta penetravit veræ Jurisprudentiæ, & adornavit, quod in aliis frustra requirimus operibus, systema, iusto, concinno, aptoque modo compositum, & adhuc nullius tritum vestigiis. Ne tamen a distributione Jurisprudentiæ generali, jam pridem constructa, prorsus recessisse videretur, viam, a *Justiniano* munitam, de qua §. ult. *Inst. de Jure naturali, gentium, & civili*, agitur, aliqua ex parte ingressus est, quamvis latebrosus, acclives, arduus, ac difficiles, semitas Imperatoris illius evitaverit. Etenim statim sub initium *primi Tomi*, quem jam manibus versamus, conspicua est *Dissertatio præliminaris*, quæ in universum sunt Juris Canonico-Pontificio-Ecclesiastici capita prima, complectens, cujus *Sectio I* de Ecclesia, & jure Principis circa sacra generatim, *Sectio II* de Ecclesia Pontificiorum, hujusque juribus, *Sectio III* de Ecclesiæ Protestantium præcipuis doctrinis, commentatur; uti *Sectio IV* naturam atque originem Juris Canonico-Pontificio-Ecclesiastici adumbrat. His nixus fundamentis atque initiis, Cel. Autor in *Libro I* jus personarum, *Libro II* autem jus rerum, solide eruit. Quibus in *Tomo II*, quamprimum publicæ luci committendo, *Librum III* de applicatione Juris Canonici, & ordine causarum atque judiciorum, nec non *Librum IV* de jure criminali ecclesiastico, jungere constituit. Quod ad *primum Volumen* attinet, præter evidentiam, & curatam probationem rite connexarum propositionum, laudanda nobis est Autoris industria, qua confusionem eorum e medio sustulit, qui quidem haud raro, quid juris sit in Ecclesia Pontificia, vel Evangelica, tradunt, sed prorsus negligunt principiorum subordinationem & convenientiam, vel discrimen atque abhorrens intervallum, seu rationem genuinam hujus illiusve legis. Adscriptis igitur & citatis Paragraphi, Autor noster vim ac potestatem conclusionum corroboravit, & indicem rationum suppeditavit; præterea vero conclusiones, ex principiis declaratis effectas, firmavit vel Canonibus, vel Capitulis, vel aliis Constitutionibus

tionibus ecclesiasticis, testimoniisque gravissimis. Porro, ne sterilis & sicca esset legum ista disquisition, atque conjunctio, monstravit Autor vel rectitudinem, vel falsitatem notionum, pro arbitrio legislatorum præscriptarum, solidisque argumentis eas explicuit, adeoque luce meridiana clariori modo probatum dedit, hac vel illa definitione præstructa, in hac ecclesia hanc, in alia autem, ob diversitatem notionis, aliam esse sectandam enuntiationem. Quo facto, hierarchiam Pontificiorum æque ac rerum jura eorum Autor noster ita copulavit & colligavit, ut concedi deberent pro veris & demonstratis omnia, si prima illa principia, in quibus posita sunt reliqua, convenirent cum indubiis veritatis initiis. Speramus igitur, fore, ut nexus iste Pontificiis ipsis gratus sit, quin etiam gratissimus, nisi Autor principia primæ Ecclesiæ Romanæ repudiasset, Evangelicæ communionis firmans doctrinas; qua in re tamen modestiæ haud videtur fines transisse; quod eo magis affirmandum nobis est, quo magis in omni ejus Opere alienum a partium studio se sistit, & ingenuæ veritatis confessioni ubique indulget. Proin probe sejungit leges ecclesiasticas, quæ rationem habent in Scriptura sacra, ab iis, quæ recta ratio absque revelatione, vel jus naturæ, ad ecclesiam applicatum, præcipit; nec non discernit ex rationibus politicis spuris, vel obliquis artibus, profectas normas ab iis, quæ prudentiæ veræ & statui civili suam debent originem, ordinationibus. Hanc ob causam mutationes juris sacri probe perpendens Noster, ex historiarum monumentis fide dignis, & Codicum manuscriptorum, non autem doctorum exigui moduli, testimoniis, stabilit, firmat, atque illustrat disputata; adeo, ut vel has ob animadversiones notulasque probandum nobis sit doctissimi Viri institutum; idque huc magis, quod allegationibus nec visis, nec lectis, se ostentare, adeo religioni sibi duxit, ut saltem semel in Opere indicare locum impressionis cujusdam libri, a se excitati, necesse haberet, ut quisque sciret, qua editione usus sit, nec quisquam errare posset ratione paginarum, cum, typis diversis exscriptos libros infinitis inter se intervallis distare, dissimilesque esse, experientia duce cognoscatur. De Cel. *Kablii* Opere hæc generatim habeto; speciatim

tim vero en tibi indicem Titulorum utriusque *Libri Voluminis primi*: *Titulus I* de jure personarum generatim; *II* de Clericorum ordinibus generatim; *III* de vita atque honestate Clericorum; *IV* de privilegiis Clericorum; *V* de tonsura; *VI* de iis, qui sunt in minoribus ordinibus constituti; *VII* de Subdiaconis & Diaconis; *VIII* de Presbyteris; *IX* de Curatis, seu Parochis, & juribus parochianorum; *X* de Episcopis; *XI* de variis Episcoporum ordinibus; *XII* de Pontifice Romano; *XIII* de Cardinalibus; *XIV* de Episcopis nomine talibus & Coadjutoribus; *XV* de Chorepiscopis; *XVI* de Archidiaconis; *XVII* de Archipresbyteris; *XVIII* de Cancellariis, vicariis generalibus atque officialibus Episcoporum; *XIX* de Legatis; *XX* de Monachis & Abbatibus; *XXI* de Monialibus & Abbatissis; *XXII* de Canonicis; *XXIII* de sacris Ordinibus equestribus; *XXIV* de ordinatione; *XXV* de Episcoporum & Prælatorum electione; *XXVI* de postulatione Episcoporum; *XXVII* de confirmatione; *XXVIII* de consecratione Episcoporum; *XXIX* de pallio; *XXX* de sede vacante & impedita; *XXXI* de translatione; *XXXII* de renuntiatione & resignatione; *XXXIII* de majoritate & obedientia. *Libri II, de jure rerum* inscripti, *Titulus I* est de rerum divisione; *II* de ecclesiis ædificandis & consecrandis; *III* de vasis sacris, reliquiis, & aliis hujus generis rebus; *IV* de Liturgia; *V* de Sacramentis in genere; *VI* de Baptismo; *VII* de confirmatione; *VIII* de eucharistia; *IX* de missa; *X* de poenitentia & remissionibus; *XI* de indulgentiis; *XII* de jejniis; *XIII* de ordine; *XIV* de extrema unctione; *XV* de sponsalibus; *XVI* de nuptiis; *XVII* de cognatione & affinitate; *XVIII* de divortiis; *XIX* de bonis ecclesiasticis; *XX* de decimis; *XXI* de primitiis & oblationibus; *XXII* de beneficiis generatim; *XXIII* de pensionibus; *XXIV* de beneficiorum collatione & devolutione; *XXV* de jure patronatus; *XXVI* de institutione; *XXVII* de beneficiorum pluralitate; *XXVIII* de unione ecclesiarum & beneficiorum; *XXIX* de commendis; *XXX* de precariis; *XXXI* de beneficiorum oneribus; *XXXII* de provisionibus; *XXXIII* de feudis ecclesiasticis; *XXXIV* de Clericorum bonis; *XXXV* de testamentis; *XXXVI* de sepulturis; *XXXVII* de domibus religiosis.

giosis. Supra a nobis memorata satis condocent, quasi catenis enuntiationes in Titulis hisce omnibus esse colligatas; facile igitur intelligitur, in compendium redactam quandam doctrinam, quam Autor demonstrativa ratione conscripsit, multum firmitudinis amittere, præterea vero sine lectione eorum, quæ antecedunt, assensum apud omnes producere haud posse particulam, ex nexu propositionum direptam. Nihilo minus, missis fontibus & allegationibus selectis Autoris nostri, afferre exempli causâ liceat, quæ in Dissertatione præliminari pag. 17 de Ecclesia Pontificiorum est commentatus. §. 2 Vox *ecclesia* apud Pontificios generatim denotat societatem imperantium Clericorum, & subjectorum laicorum, fidei Christianæ addictorum, a republica civili plane independentem. (Hanc notionem refellit Autor in *Sect. I Dissert. prat.*) §. 3 Ecclesia Romana est respublica in aliis rebus publicis, seu omnes respublicas pervadens, (§. 2) omniumque Principum catholicorum majestatem minuens, (repugnat Autor huic doctrinæ in Notis,) ab ipso Deo Petro & successoribus hujus tradita. (Hæc placita etiam refutantur ab Autore.) §. 4 In ecclesia Romana summam majestatem habet Papa, cujus officio etiam funguntur Episcopi, quamvis horum potestas subordinata sit supremæ Romani Pontificis potestati. §. 5 Imperantes & subjecti sunt personæ inæquales; ergo in ecclesia Romana diversitas jurium & obligationum, in qua inæqualitas moralis consistit, ratione Clericorum & laicorum locum habet. (Abhorrere hæc a dictis & probatis, *Sect. I §. 2* ostenditur.) Ergo laici debent esse obedientes, ac facere credereque omnia in rebus fidei, quæ Pontifex & delegati ejus, horumque administri, præcipiunt (§. 4). §. 6 Majestas non potest dispesci in partes (*Sect. I §. 21*); ergo una tantum majestas existit in quavis republica, quæ, si in arbitrio unius personæ posita est, monarchia vocatur. Ergo Ecclesia Romana est monarchia universalis. §. 7 Ecclesia est respublica sacra (§. 2), in qua Pontifex summæ rerum præest (§. 4); itaque ad personas & res sacras potestas Pontificis proprie spectat; ergo ad ea omnia, quæ ad doctrinam & fidem Christianam pertinent. Ergo 1) credenda præscribit, statuit, & decedit controversias; 2) agenda, quæ salutem æternam respiciunt, præci-

præcipit; 3) infideles vel atheos pœnis afficit; 4) hæreticos damnat, & in eos animadvertit; 5) privat ecclesiæ membra omnibus juribus, non ecclesiasticis solum, sed & humanis, si iis indigni videntur; 6) negotia civilia confirmat, vel corrigat, vel rejicit, si aliqua ratione religioni Pontificiæ sunt impedimento (*Cap. 13 X. de Judiciis*); atque hac sub specie leges innumeras promulgat, quarum ratio in his verbis continetur: Salus ecclesiæ, seu, quod idem est, Pontificis & Cleri, suprema lex esto (*Causa 25 Qu. 1*). §. 8 Pontifici est obediendum (§. 7); errori vero non est dandus locus, ob mala inde resultantia; ergo Pontifex esse debet infallibilis. Ergo Principes omnes regium sacerdotium Papæ venerari, & imperata ab eo & Episcopis facere, tenentur (§. 4 & 7). Ergo etiam debent agnoscere judicium, a Pontifice atque Episcopis institutum, seque ei permittere. Ipse Pontifex autem, quoniam caput est & princeps ecclesiæ independens, nemini est subiectus, nec judicari ab alio potest (§. 4). §. 9 Res & personæ sacræ pendunt ex Pontifice unice (§. 6 & 7). Ergo Clerici plane non sunt subiecti Principibus secularibus, nec jurisdictionem eorum admittunt; unde infinita alia Clericorum jura oriuntur, adeo, ut Principes, tanquam oves, pastoribus, seu Clero, se subijcere debeant, ac plane in omnibus obedire, uti reliqui laici (§. 5). Nulla igitur ratione mutare possunt ecclesiasticas Ordinationes Principes seculares, sed obligati sunt, ut se seve- eos executores voluntatis Cleri, seu spiritualis justitiæ, præbeant. Ergo brachium seculare persequi debet, quæ a spirituali imperantur. §. 10 Dantur duo gladii, spiritualis nimirum & temporalis, cum duplex locum habeat respublica, sacra scilicet in omni civili (§. 3 & 9). Spiritualis autem præstat temporali, ob dignitatem objecti, ac prerogativam rerum divinarum; itaque hujus potestas illam antecellit (§. 9). Uti igitur plane independens est Pontifex; ita etiam gladius spiritualis non dependet ab alio, sed solummodo a Pontifice (§. 8), Rege Regum, domino dominantium. §. 11 Infinitum prope est corpus illud morale, quod Ecclesiæ Pontificiæ nomine insignitur (§. 6); fieri igitur non potuit, quin in partes per plures divideretur jurisdictio ejus, ac a Pontifice fidei committeretur

cur Episcoporum; & ab his iterum mandarentur inferioribus particulares ecclesiæ, tanquam membra totius; unde exorti sunt Episcopatus (§. 4), qui dici merentur respublicæ particulares (*Cap. 3 Extr. Comm. de elect.*), pendentes ex generali illa, quam adhuc descripsimus, una & sic dicta catholica ecclesia (§. 6). Unde ratio concipi etiam potest, cur Episcopo diocesanos cujusdam omnes & singuli, ipsique Imperatores, subiecti sint (§. 9), nec non cur Papa & Episcopi ecclesiam representent (§. 4). Perpaucula hæc principia, quæ Romanam Ecclesiam attingunt, & luculentis testimoniis ubique firmata sunt, ita in sequentibus amplificata & dilatata deprehendimus, ut Pontificii Juris Systema integrum inde sit conflatum. Re ipsa itaque probavit Noster, posse rationalis methodi leges cum fructu insigni Juri Canonico applicari.

**MONUMENTA VETUSTIORA ARABIÆ, SI-
ve Specimina quedam illustria antiquæ Historiæ &
Lingue. Ex variis Manuscriptis Arabicis ex-
cerptis & edidit ALBERTUS
SCHULTENS.**

Lugduni Batavorum, apud Jo. Luzac, 1740, 4.

Plag. 10.

Tanto ardore linguam Hebræam Biblicam ex Arabica, sive filia, sive sorore, porro illustrare studet Cel. *Schultens*, ut eam in finem vetusta hæc Monumenta ex MStis Codicibus Bibliothecæ Leidensis *Nurweirii, Mesudii, Abulfede, Hamasa, &c.* collegerit, ex quibus & antiquam Historiam, & Linguam, eruere ac vestigare conatus est. Et paucula quidem nunc specimina se exprimere ait, ut gustulum præbeat, & si pote, salivam moveat. Sunt autem XV Carmina, & singula non adeo proluxa. Igitur 1) exhibetur Carmen Principis *Giorbamida, Salomonis* aut *Davidis* ætatem attingentis, qui illud composuit, a Mecca cum suis eiectus. Qua occasione de *Giorbamidis, Joltanidis, & Ismaelitis*, ac simul de æde Meccana sacra, disserit. *Nurweirii* quoque mentionem facit, e quo Carmen hoc excerptum est, cujus opus magnum & magnificentum vocat, quo *Antiquitates*

tiquitates & Historias Arabum complexus est. 2) Aliud fragmentum exhibetur Carminis, ab eodem *Giorhamida* conscripti, & hanc laciniam Cel. Editor *Tomo IV Nuweirii* existare ait. 3) Versus multo antiquissimus, ex *Abulfeda* desumptus, quem dixit *decimus Regum Jochanidarum*, in Arabia felice, cui nomen *Noomano Almonaphiro* inditum fuit. Hoc versu artem sciencie augenda ac retinenda in perpetuum dominationis. Aetas ejus *Mose* non inferior est, vel & superior aliquanto. 4) Fragmentum Carminis, ab *Afaad Tobbaa*, sive Rege magno *Homeiritarum*, editi, septingentis ante *Mohammedem* annis, cura vestivisset *Caabam* prænobilem, seu templum Meccanum, pretiosis aulæis, ac foribus aureis ornasset. Excerptum e libro *Kotboddini, Naharwaliensis*, quo *historiam templi Meccani* breviter complectitur. 5) Specimen *Homeiriticæ* linguæ & venæ, quod in *Hamasa* exstat, in prælium aliquod, versus *Homeiritas* factum. 6) Aliud Carmen ejusdem temporis in idem prælium. 7) Aliud adhuc ejusdem Autoris in eundem conflictum, ex *Hamasa*. Cum in Notis, de quibus infra breviter dicemus, nullibi explicet Editor, qualis liber *Hamasa* sit, Præfatio ad *Haririi Confessus* legenda est, ubi, Anthologiam veterum Poetarum esse, ait, quæ *Hamasa* inscribitur, id est, *bellica virtus*, quod in fortium virorum facinoribus potissimum celebrandis versetur. Conf. de hoc libro *Pucok. Spec. Arab. in Appendice*. 8) Aliud adhuc ejusdem temporis in eundem casum, quod ex Scholiaste *Hamasa, Taurizio*, illustrat Editor, & nobilis Arabum ductoris, *Al-Adbati*, specimen sententiosum ex *Tomo III Nuweirii* subjungit. 9) Versiculi, dicti a secundo *Hirensum* Rege, *Giodaima El-Abrasch*, quibus sororem *Rikasch*, furtim compressam, perstringit. 10) Versiculi, dicti ab *Azzebbaa*, Regina, quæ *Giodaimam El-Abrasch* e medio sustulit. 11) Fragmentum Carminis, ad *Nooman El-Awari* seu Lusci, decimi *Hirensum* Regis, ætatem pertinens, quod in suam baculi pulsationem, quam explicat, dixit, ex *Taurizio*, Scholiaste *Hamasa*, illustratum. 12) Insignes versus, quos panxit Arabice *Behram Giaur*, Rex Persiæ. Fragmentum primum, cum vicisset *Chakanum*, eumque occidisset. Fragmentum secundum, cum accessiuncula, illustrandis *num. XI & XII* subserviente. 13) Carmen, dictum

ab *Abu Adina*, cum *Alaswadum*, *Mondari* filium, duodecimum *Hirensium* Regem, incitaret ad captivos Principes *Gassanidas* interficiendos, ubi de *Gassanidis* nonnulla observat Editor.

14) Carmina antiquissima, in Arabia Felice inventa, super marmoribus arcium dirutarum, in tractu litoris Hadramuteni, prope Emporium *Aden*. Carmen primum & secundum, ex opere *Geographico-historico*, quod allegat, excerptum, quo vitæ genus hanc arcem inhabitantium describitur. His singulis Notas adjecit *Cel. Schultens*, ex quibus nonnulla breviter excerptemus. Sic pag. 6 de duobus montibus prope Meccam, *Hagioun* & *Tzapha*, agit; pag. 7 de *Nebajoth* & *Kedar*, Gen. XXV dictis, Arabice *Nabit* & *Keidar*; pag. 8 de *Himjaritis*, vel *Homeiritis*, Arabiæ Felicis fessoribus, vulgo *Sabeis*; ibidem de territorio *Meccano* sacro, & securitate ejus inviolabili; pag. 12 vocem *Muaphir* rariorem, *Noomani* cognomentum, & *Kajila*, dictatorem sive regem apud *Homeritas* significantem, illustrat; pag. 17 de *dzu Jazan*, Rege *Homeritarum*, & *Jazaniticis* *baslis*, exponit, & illustre hic specimen antiquæ linguæ *Homeiriticæ*, super stirpe sua primæva se conservantis, allegatum esse, docet. Passim etiam voces ac phrasas cum *Hebraicis*, in Codice S. usitatis, confert, ut pag. 25 *קָדַשׁ* cum *קָדַשׁ* *redemit*, *lytro* vel *sacrificio* interveniente. Sic pag. 55 *שָׂשׂוֹן* eum *Hebr.* *שָׂשׂוֹן* confert, *limis oculis intueri*, præ *letitia* vel *ferocia*; pag. 28 *nubis*, *imbris*, *grandinis*, usum bellicum, in Scriptura S. obvium etiam esse monstrat. Proverbia etiam varia, quibus Arabes abundant, explicat, & subinde illustrat. In Præfatione, huic Opusculo præmissa, de triplici Arabum gloria, cujus studiosi erant, ex *Gladio*, *Hospite*, & *Eloquentia*, tam per *Poemata*, quam per *Orationes*, obtinenda, differit. Quod superest, optamus, ut Opusculum, pag. 8 promissum, de *Colonia* & *Regno Jochanidarum*, luci publicæ brevi exponatur, quo sine *Cel. Autori* vires atque otium sufficiens precamur.

NOVA LITERARIA.

Venetiis in eo nunc esse doctissimum & de literis tam sacris, quam humanioribus, optime merentem Virum, *Blasium Ugolinum*, ut, exemplo *Grævii* & *Gronovii*, qui *Græcas Romanasque Antiquitates* magnis olim multisque *Voluminibus* collegerunt, sacra-

sacrarum etiam *Antiquitatum* locupletissimum *Theaurum* instruat, & in uno tanquam theatro, quicquid unquam doctorum operum in hoc genere politioris eruditionis prodiit, spectandum legendumve sistat. Proditurum est Opus magnum hac inscriptione: *Antiquitatum sacrarum Theaurus, comprehendens selectissima doctissimorum Virorum Opuscula, in quibus veterum Ebraeorum mores, leges, instituta, ritus sacri & civiles, illustrantur. Opus ad illustrationem utriusque Testamenti, & ad Philologiam sacram & profanam, utilissimum maximeque necessarium, studio & cura Blasii Ugolini.* Hujus instituti sui ipse haud ita pridem *Ugolinus* eleganti hac, quam repetendam hic duximus, *scripitione* rationem reddidit:

Tandem aliquando post decennalem operam & studium, quod per totam Europam colligendis illustrandisque Philologis sacris impendimus, Theaurum Antiquitatum sacrarum, omnibus jam pridem expectatum, toties a tot clarissimis Viris promissum, tibi damus absolutissimum. Difficile dictu est, quot nobis in hoc Opere perficiendo labores exantlandi fuerint, ut saepe suscepti consilii pariteret. Dolebamus aliquando, nobis doctissimorum Virorum subeundam esse fortunam, qui, hoc idem opus aggressi, tantis difficultatibus obruti, promissa prestare non potuerunt. Abjecissemus profecto spem omnem editionis, nisi amicorum hortatu, literis, consiliis, fuisset excitati, quorum ope & industria Opuscula multa comparavimus. Multa tamen, frustra diu apud omnes Europa Bibliopolas conquisita, immani sumtu ex publicis Bibliothecis describenda curavimus; plura, nobis missa, perlecta rejecimus, utpote quae nulla alia re, quam Operum titulis, & Autorum fama, commendarentur; Scriptores vero, qui Antiquitates vel dogmaticae, vel allegorice, explicandas suscipere, praetereundos censuimus, cum unius Philologiae colligenda illustrandaque una & praecipua nobis cura esset. Perlectis itaque & diligentissime excussis omnibus, ex octingentis Voluminibus & Opusculis, quae maxima pecuniae vi comparavimus, quingenta circiter rarissima eruditissimaque selegimus; plura tamen, si mittantur, inedita clarissimorum Virorum opera, quae in Bibliothecis tanto rei literariae detrimento latere certo scimus, additari. Catalogum omnium hoc loco tibi non damus, cum singu-

la in Praefationibus, singulis Voluminibus praemittendis, recensenda susceperimus; multa tamen indicabimus, ut ex his de reliquis conjecturam facere possis. Ea vero, quae nunc primum vel ex Hebraico Latine reddita, vel Notis perpetuis philologicis illustrata sunt, commemoranda omnia censuimus, ut intelligeres, me non tam colligendis Philologis sacris, quam illustrandis, hoc decennio fuisse distentum. Prodebunt nunc primum in publicam lucem ex Hebraico Latine, & Notis perpetuis philologicis illustrata, pleraque Additamenta, quae Hebraice Tosafota nuncupantur, cum Mischna ipsa utilitate atque antiquitate comparanda, notitia vero multarum rerum, quae in Mischna desiderantur, etiam praeferenda. Prodebit etiam nunc primum ex Hebraico Latine, & Notis perpetuis philologicis illustratus, Philologorum omnium amor & deliciae, & Antiquitatum sacrarum promptuarium, liber Siphra. Prodebit praeterea Siphri, autoritate atque utilitate cum Siphra conferendus, nunc primum ex Hebraico Latine, & Notis perpetuis philologicis illustratus. Prodebunt insuper octo & viginti celeberrimi Maimonidis Tractatus, nunc primum ex Hebraico Latine, & Notis perpetuis philologicis illustrati. Prodebunt nunc primum perpetuo Commentario philologico illustrati quinque & viginti ejusdem Maimonidis Tractatus, a Ludovico Compiegne de Veil, aliisque doctissimis Viris, jam pridem Latine redditi. Prodebunt etiam nunc primum ex Hebraico Latine, & Notis perpetuis philologicis illustrati, Tractatus tres eruditissimi, de Templo, de Vestitu Pontificis Maximi, de Musica Hebraeorum, Abrahami ben David Arie, ex Schilte ghibborim excerpti. Alia etiam (ut praeteream Tractatus & Dissertationes nostras) clarissimorum Virorum Opera Notis illustravimus. Haec, quae polliciti sumus, quamvis incredibile plerisque videretur, a nobis haec tanta promissa praestari posse, jam pridem omnia perfecimus, eo praesertim adducti consilio, ne quid detrimenti, si quid nobis humanitus acciderit, ex interitu nostro editio patiatur; quae, dabimus operam, efficiemusque diligentia, chartae & characterum, praesertim orientalium, nitore, aenearum Tabularum & forma & elegantia, ut emendatissima prodeat ornatissimaque. Si quis consilium nostrum improbarit, quod una cum clarissimis Scriptoribus, qui nostro & superiori Seculo florere,
Hebraeos

*Hebræos etiam, qui futilitatis quotidie ab indoctis arguuntur, colligendos illustrandosque curaverimus, improbet & reprehendat, necesse est, judicium & auctoritatem Philologorum omnium, multorumque Patrum, præsertim Eusebii, & Hieronymi, in hoc literarum genere facile principis; quorum alter Præparat. Evangel. Lib. IX Cap. 8, res Hebræorum, inquit, non ex aliis, quam ex Hebræorum, libris discendas esse; alter vero in multis locis, præcipue in Præfatione in libros Paralip., in Jerem. XVII, 22, Sophon. III, 18, Habac. III, Zach. VIII, contra Helvid. ad Marcellam, omnia se a Judæis didicisse, testatur, & in Cap. II Nahum, Testis est mihi, inquit, Dominus, me omnia, quæ secundum Hebræicam didicero, non de proprio sensu loqui, (quod arguitur in Pseudoprophetais,) sed Hebræorum sequi expositionem, a quibus non modico tempore eruditus, debeo meis simpliciter indicare, quæ didici. Et in Apolog. I in Ruffin. Ipse Origenes, & Clemens, & Eusebius, atque alii complures, quando de Scripturis aliqua disputant, & volunt approbare, quod dicunt, sic solent scribere: Referebat mihi Hebræus, & Audivi ab Hebræo, & Hebræorum ista sententia est. Certe etiam Origenes Patriarcham Huillum, qui temporibus ejus fuit, nominat; & tricesimum Tomum in Elaïam, in cujus fine edisserit: *Vae tibi, Ariel, quam expugnavit David*, illius expositionem concludit, ut, eum aliter prius sensisse se, dicat, doctum ab illo, id quod verius est, confitetur. Octogesimum quoque nonum Psalmum, qui inscribitur *Oratio Moysis, hominis Dei*, & reliquos XI, qui non habent titulos, secundum Huilli expositionem ejusdem Mosis putat; nec dedignatur, Hebræam Scripturam interpretans, per singula loca, quod Hebræis videatur, inferere. Et in Epistola ad Oceanum scribit, se Hebræo etiam doctore in explicandis sacris Scripturis fuisse usum: *Veni rursus Hierosolymam & Bethlehem, ubi labore pretii Bartheniam, Judæum, habui præceptorem; timebat enim Judæos, & exhibebat se mihi alium Nicodemum. Quis erit tam iniquus rerum estimator, qui Misnæ, Additamentis, Siphæ, Maimonidi, in Antiquitatibus sacris, in quibus mentiri neque licuit, neque profuit, eam fidem denegandam putet, quam plerique omnes Græcis & Latinis, Scriptoribus plerumque nugacissimis,**

mis, in rebus patriis habendam censuere? Sed de hoc plura alibi. De præstantia tanti Operis id unum hoc loco dixisse satis erit, cum multa mihi in Præfatione primi Voluminis dicenda erunt, reliquis omnibus esse præferendum, etiam si gentis antiquitatem spectes, omnium fuit antiquissima; si leges, a Deo latæ jussæque sunt; si templum & sacra, omnium augustissima sanctissimaque; si rem militarem & bella, Jehovah auspice & imperatore indicta gesta. De utilitate vero nemo dubitabit, nisi qui existimavit, nihil Christiani interesse, ea scire, quæ sint maximam utrique Testamento lucem allatura. Quantum in Veteri, quantum in Novo, Testamento offendes, si fueris ab his Philologie sacræ præsiidiis imparatus! Quin etiam Christianarum Antiquitatum origines ignorabis, nisi Hebræos consulueris. Quis enim nesciat, ab Apostolis, viris Hebræis, Ecclesiam Christianam in plurimis ritibus ad Hebræicæ similitudinem fuisse efformatam atque constitutam? In Græcis vero & Romanis, quæ tantopere a nonnullis celebrantur, ut Hebræicis etiam præferenda esse censeant, (si modo sacris profana, si recentia antiquis, præferenda sunt,) quam multa tibi occurrent obscura, nisi adieris eos fontes, a quibus Græci Romanique rivulos suos derivarunt! Non enim ignoras, Græcorum sapientissimos, atque Homerum ipsum, Theologiæ Græcæ parentem, sæpe in Ægyptum, sæpe in Palestinam, peregrinatos, omnem sibi ab his gentibus sapientiam comparasse. Videbis, mihi crede, in hoc Thesaurò non solum Græcorum & Romanorum, verum etiam Phœnicum, Syrarum, Ægyptiorum, Babyloniorum, cæterarumque gentium orientalium, antiquitates, Hebræica luce fere passim illustratas. Totum Opus, in quinque & viginti circiter Tomos distributum in Folio maximo, juxta formam editionis Venetæ Thesauri Græviani & Gronoviani, plurimis æneis Tabulis, affabre factis, adornatum, quinquennio typis mandabitur. Exemplaria solummodo 300 edentur. Primus Tomus mense Julio prodibit. Qui nomina profitebuntur, quibus mensis Majus profitendi tempus præfinitur, libras Venetas quatuor & quadraginta ad Gabrielem Hertz, Venetum Bibliopolam, apud quem vendenda prostabunt, suis sumptibus mittendas, in singulis Volumina persolvent; reliqui, quinque & quinquaginta.

* * *

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Junii Anno MDCCXLIII.

Pars II.

BIBLIA PARENTHETICA, das ist, die heilige Schrift
Altes und Neues Testaments, &c.
hoc est,

*UNIVERSA SCRIPTURA SACRA, SECUNDUM
fontes authenticos per parentheses, ipsi textui sacro in-
sertas, declarata, seu Epitome majoris Operis Biblici,
in usum quotidianum concinnata, præmissa isagoge hi-
storica & dogmatica de divinitate Scripturæ & reli-
gionis, in ea revelatæ, Autore D. JOACHIMO
LANGIO.*

Lipsiæ, sumptibus Jo. Frid. Gleditschii, 1743, fol.

Alph. 23.

Celeberrimi nominis Theologus Halensis, D. Joachimus
Langius, Ordinis sui Senior, a bibliophilis rogatus,
Operis sui Biblici majoris, quod sub titulo, *Bibliſches
Licht und Recht*, Germanice proliit, ac, *ſeptem Tomis* constans,
præcipue verbi ministris destinatum, & secundum editionis se-
riem a nobis recensitum est, Epitomen hanc in usum familia-
rum quotidianum adornavit. Quæ quomodo sese habent, cum
vel ex titulo satis constare possit, hic sufficiet recensio eorum,
quæ eidem uberius sunt præmissa, & ita comparata, ut inde
etiam de hujus novi Operis præstantia haud exigua possit judi-
cari. Exhibebimus vero eam ipsis Ven. Autoris verbis conce-
ptam.

U u

ptam.

ptam. Dedicatio directa est ad Serenissimum & Potentissimum Regem Daniæ, *Christianum VI*; qua Auctor ei demissus agit gratias pro insigni gratia, qua is motus, ipsi, etsi jam leni, cognito animi & corporis vigore in ipso adhuc integro, e singulari fiducia, in borealis ecclesiæ usus, Professoris Theologiæ munus, in Academia Hafniensi vacans, quam clementissime obtulerit, aliaque clementiæ documenta, etsi submississime renuenti, exhibuerit. Præfatio inter alia præcipue occupata est in asserendis rationibus, quibus *mysterium ultimerum temporum*, per Codicem utriusque Testamenti integrum, textus locis passim exigentibus, ab ipso deductum, innitatur. Per *mysterium* vero illud, secundum ipsius *Pauli & Joannis* vocem *Rom. XI, 25, Apoc. X, 7, XI, 15*, intelligit eam regni Christi œconomiam, qua, post destructum regnum Babylonis mysticæ & antichristianismi, ecclesia, inter omnes gentes ad Christum converfas, sabbaticam temporum periodum nacta, interne & externe ad Dei gloriam erit florentissima. De qua materia primum monetur, eam non pertinere ad doctrinas, quæ salutis fundamentum & ordinem constituunt, cum nec agnita per se sine inito salutis ordine salutem præstet, nec ignorata eandem adimat ulli; porismate inde hoc derivato, quod, pro diversa cognitionis mensura, hic pateat amica dissentendi libertas. Ne vero proprietas hæc problematica doctrinæ istius pretio & dignitati possit obverti, pro hoc & isto in medium rationes afferuntur gravissimæ. Earum prima desumpta est e frequentissima Scripturæ prophetiæ, partim etiam typicæ, tractatione, inde a Pentateucho *Mosaico* per utriusque Testamenti libros obvia, si ista in interpretatione clavem accipiat apocalypticam. Hæc vero exhibetur in hoc rerum apocalypticarum systemate, quod ab historia præteritorum Seculorum ecclesiastica, *λεγογλυφικῆς* talis, plane alienum, ad ultima & adhuc futura tempora referendum, positumque sit in modo dicta plane singulari œconomia regni Christi, post regnum tenebrarum destructum per universum orbem dilatati. Cui rationi subserviens secunda, una cum tertia desumpta est a necessitate hujus systematis hermenevtica; siquidem simpliciter est *ἐκ τῶν ἀδύνατον* gemi-

na

na sexcentorum amplius Scripturæ locorum, immo integrorum Psalmorum, & in Prophetis Caputum, interpretatio genuina, ista vero inde lucem accipit clarissimam. Succedit ratio quarta una cum quinta in usu hujus doctrinæ, uti *dogmatico* in gloria Christi, ratione divinæ ejus naturæ longe uberius, quam vulgo agnosci soleat, inde demonstrabili ac demonstrata, sic etiam *elenchtico*, seu Antijudaico & Antisoëiniano, ad Judæos & Socinianos eo facilius & validius de erroribus suis convincendos. Cum quo usu utroque conjungitur *antiscepticus*, adversus eos, qui, tot Scripturarum locis in sensum plane alienum detortis offensi, ipsam istarum divinitatem in dubium vocant. Atque ita existimat Autor, virum de sacris literis meritissimum, *Sebastianum Castellionem*, in versionis suæ Latinæ Dedicatione, Angliæ Regi *Eduardo VI* inscripta, post allegata Prophetarum de ultimis temporibus oracula magnifica, recte scripsisse: *Aut, hæc futura esse, fatendum est, aut jam fuisse*, (quod demonstrari nequeat) *aut Deus accusandus est mendacii*. Istis autem argumentis nihil, addit ille, obtare, præter dissensum multorum interpretum; quem vero qui veritati, secundum leges hermeneuticas indagandæ, præferat, illum non Dei revelantis, sed hominum, auctoritatem non sine credulitatis nævo sequi. Præfationem excipit *isagoge*, eaque partim *historica*, partim *dogmatica*, & utraque seorsim in æconomiam Veteris ac Novi Testamenti de scripturariæ revelationis & religionis, in ea contentæ, divinitate. *Isagoge historica* in æconomiam Ver. Test. *duobus* constat *Sectionibus*, quarum *prior* agit de integritate librorum sacrorum, nec non de veritate & *ἀξιοπιστία* factorum, in istis contentorum. Inter quæ cum eminuerint tabernaculum *Mosaicum*, & deinde successive templum utrumque, inde evincitur, factis istis historicis religionem Messianam non minus fuisse innexam, quam auri argentique fila vestis fulgenti a teo intexta deprehendantur, ut inde, ea integra manente, divelli nequeant. *Sectionis posterior* exhibet primum *predictiones*, cum impletionibus suis per singulas hystoriæ sacre periodos deductas; deinde exempla *δαμαρτυρίας*, ex iisdem periculis collecta. *Predictiones* vero, rerum historicarum veritate, jam

antea evicta, teste, certo impletæ, & miracula, cum omniscientiam ac omnipotentiam divinam quam luculentissime demonstrent; inde eruitur conclusio de scripturariæ revelationis & religionis, in ea contentæ, divinitate ea, quam ipsa historia sacra declarat, aditu ad translationem *dogmaticam* sic jam in antecessum parato. Quæ cum *quinque* constet *Sectionibus*; *prima*, præmissio dogmate de immortalitate animæ, ex ipso lumine naturæ facile agnoscendo, & vim isagogicam ad Theologiam habente, secundum verissimum principium, quod Deus sit autor regni naturæ & gratiæ, & in utraque sibi egregie constet, religionis revelatæ divinitatem demonstrat partim ex harmonia, quam ea cum Theologia naturali ratione existentiæ, attributorum, ac operum Dei, nec non cultus divini, habeat, partim ex ingenti ejus prærogativa, secundum quam eadem Theologiæ naturalis defectus historicos, dogmaticos, & morales, suppleat. *Secunda Sectione* deducitur argumentum divinitatis a dogmatum revelatorum sublimitate ea, quæ omnem ingenii humani inventionem transcendat, patefacta autem ita comparata sit, ut ratio naturalis eam non possit non demisse admirari. Id quod primum ex dogmate de mysterio trium hypostasium in diviniæ essentiæ unitate, ac de persona, diverso statu, & triplici officio, Christi comprobatur. Cum vero inter doctrinas revelatas hæc ipsa de persona Christi, & in ea divina ejus natura, sit primaria; hujus divitiæ, ratione revelationis uberiores tales, ut eo evidentius agnoscantur, *Sectione secunda* exhibentur regulæ hermenevticæ, secundum quas de illis convinci possumus, singulæ cum suis, inde resultantibus, conclusionibus. *Prima* est: In singulis Vet. Test. locis, in quibus de Angelo Domini sermo est, intelligitur Filius Dei, tunc adhuc futurus Messias. *Conclusio*: Ergo Filius Dei est verus Deus; siquidem Angelus ille, in futurum diviniæ missionis, *ἰστορησάμενος*, & manifestationis, opus adumbrandum sic dictus, divinis nominibus, attributis, ac operibus, divinoque cultu, insignitur, multiplici divinitatis ipsius argumento hinc elucente. *Secunda*: Opus populi Israelitici ex Ægypto educi, & per desertum deducti, fuit opus Filii Dei, uti constat e collatione locorum *Exod. III & XIX,*

XX, XX seq. de νομοθεσίᾳ, speciatim secundum verba **XX**, 2: *Ego sum Jehova, Deus tuus, qui te ex Aegypto, domo servorum, seu servitutis, eduxi.* Unde resultat hæc *Conclusio*: In singulis Pentateuchi *Mosaici*, & in reliquis historicis & propheticis, libris, in quibus Deo tribuitur opus educti populi Israelitici ex Aegypto, deductique per deserta, & introducti in Canaanam, singulari modo respicitur ad Filium Dei, divinitate ejus in eorundem contextu divinis nominibus, attributis, & operibus, sæpe etiam simul divino cultu, declarata. *Tertia*: Columna nubis & ignis fuit visibile Filii Dei invisibilis vehiculum; uti inter alia constat ex *Exod. XIV, 19.* Ergo in singulis *Vet. Test.* locis, in quibus columna ista ad Deum refertur, Dei nomine intelligitur Filius, divinitate ejus itidem variatis modis & argumentis declarata. *Quarta*: *Νομοθεσίᾳ* Sinaitica secundum peculiarem *ἰδιοποιήσιν* fuit opus Filii Dei; uti constat 1) e collatis locis *Exod. III & XX*; 2) e verbis *Stephani Act. VII. 30, 36,* & *Pauli Hebr. XII, 25, 26*; 3) e legis latae executione, quæ ipsi, tanquam futuro judici, competit, *2 Cor. V, 10,* &c. *Conclusio*: In singulis *Scripturæ Vet. Test.* locis, in quibus vel a Deo, vel a Prophetis Dei nomine, legislationis fit mentio, singularis respectus habetur ad Filium Dei, divinitatis ejus demonstratione sic itidem variis modis pro ratione contextus insinuata. *Quinta*: Quandoquidem Filius Dei suam in populum Israeliticum *ἑκταρχίαν*, seu supremum regimen, per *ἑκταρχίας*, Patriarchis factas, & per suam populi educationem, & deductionem per desertum, nec non per legislationem Sinaiticam, exercuit; idem in istum per sequentes temporum periodos omnes retinuit. *Conclusio*: Ergo loca singula, quæ inde a temporibus & libro *Josue* in reliquis historicis, moralibus, & propheticis, libris de *ἑκταρχίᾳ* in gentem Judaicam agunt, singulari respectu ad Filium Dei referenda sunt, divinitate ejusdem rursus diversis divinatorum nominum, attributorum, operum, ac divini cultus, argumentis pro ratione contextus in apricum producta. *Sexta*: Filius Dei suam in populum Judaicum *ἑκταρχίαν*, præter ministerium summi sacerdotis typicum, oraculorum per *Urim & Thummim* editione, summa

cum auctoritate facta, illustrarum, progressu temporis exercuit per judices populi extraordinarios, ac deinceps per Reges, officii sui regii typos, præcipue *Davidem* ac *Salomonem*, ab eorum tempore a *Davide* in *Psalmis*, & in Prophetarum scriptis, solenniori & frequentiori *Regis* nomine insignitus, regio isto axiomate e Veteri Testamento inde in Novum translato, & inter alia etiam per locutiones de regno cœlorum indicato. Ergo in singulis *Psalmis* & Prophetarum *Capitibus*, in quibus *Deo* *regis* sub nomine *Regis* perhibetur, sensu ad Filium Dei relato, divina ejus natura itidem pro ratione contextus multiplicatis argumentis declaratur. *Septima*: Filio Dei secundum officium ipsius regium competit judicium extremum & universale; quemadmodum liquet 1) e confessione *Abrahami Gen. XVIII, 25*; 2) e *νομοθεσία* Sinaitica, cui legis executio respondet; 3) e *Danielis* visione *VII, 14, 15*; 4) ex ipsius Christi asserto *Jo. V, 22-27*, & frequentioribus Apostolorum testimoniis *Matth. XXIV & XXV, Act. XVII, 31, Rom. XIV, 10, 11, 2 Cor. V, 10*, &c. Ergo in locis Vet. Test. singulis, in quibus Deo futurum mundi judicium tribuitur, singularis respectus habetur ad Filium, divinitate ejus ex opere hoc mere divino, divinisque nominibus & attributis, sic pariter adstruata. *Ostava*: Quando in Vet. Test. præcipue in *Davidis Psalmis*, & in Prophetarum scriptis, Deo opus redemptionis ac salvationis, & non raro ipsum redemptoris ac salvatoris nomen, tribuitur, respicitur ad Filium Dei, officio ejus mediatorio nobis insinuato, & denominatione hac deinceps e Vetere in Novum Testamentum, pro summa utriusque harmonia, translata. *Conclusio*: Ergo etiam singula ista loca luculenta nobis argumenta exhibent pro vera Christi divinitate, & eo quidem clariora, quo expressius opus redemptionis ac salvationis mere divinum una cum nomine *Jebova*, aut *Deus*, nec non cum divinis attributis, ac divino cultu, conjunctim prædicatur. *Nona*: *Psalmi Davidis* & Prophetarum scripta abundant oraculis de regno Christi, cum nova & gloriosa œconomia per universum terrarum orbem inter omnes gentes, cum Judaica ad ipsum convertendas, dilatando. *Conclusio*: Ergo illa etiam divinam Christi naturam ac majestatem variatis

variatis modis & argumentis nobis ob oculos ponunt. Ex hisce vero regulis hermenevticis, ad gloriam Christi applicatis, per satis pronam consecutionis evidentiam hæc derivantur consecutaria: 1) Quicumque secundum regulas has novem hermenevticas, quas, analogia fidei salva, in dubium vocare potest nemo, Scripturam Ver. Test. attente legit, illi, præter loca, quæ de Deo Patre & Spiritu Sancto agunt, & pariter non pauca sunt, in ea est Christus omnia in omnibus secundum personam, ut *Θεός Θεωπος*, & secundum triplex officium mediatorium in utroque statu exinanitionis & exaltationis quam iuculentissime & frequentissime descriptus. 2) In lectione Ver. Testamenti, secundum modo dictas regulas hermenevticas instituta, non opus est sollicita inquisitione, quænam loca de Filio Dei agant, quasi sint infrequentia & rariora, sed potius quænam de illo non agant, sed de Patre & Spiritu Sancto, & generatim de Deo. 3) Cum nomen Dei, יהוה, *Jehova*, sit essentielle, essentiam ejus æternam & infinitam designans, & de Filio Dei usurpatum, naturam ejus divinam insinuet, id, secundum regulas istas hermenevticas consideratum, nobis aliquot locorum millia pro vera ejus divinitate in Ver. Test. exhibet. 4) Quando quidem nomen *Jehova* a LXX interpretibus redditum est per vocem *κύριος*, usû ejus de Christo in phraseologiam Nov. Test. translato, ejus divinitas eodem vel quingenties secundum singularem plane *ἰδιοπροσηγορίαν* insignitur. 5) Cum vox אלהים, *Deus*, in locis Ver. Testamenti, secundum easdem regulas consideratis, quam sæpissime de Filio Dei usurpatur, usus ejus in libros Nov. Test. translatus, vel in triginta locis recte consideratis Dei vocem nobis de Christo exhibet. Hæc hæcenus de *Sectione tertia*, ad *secundam*, quæ de mysterio sacrosanctæ Trinitatis agit, illustrationem referenda. *Settio quarta* exhibet doctrinam Ver. Test. de *lege & evangelio*, in momentis ac recessibus suis singulis ita comparatam, ut utriusque sublimitas rationis humanæ acumen & inveniendi seu fingendi facultatem quam longissime superet, atque ita nos ad Deum revelantem remittat. Quæ materia, secundum partes suas præcipuas deducta, imprimis consideratæ est dignissima, ita se habens, ut
etiam

etiam ratio eam revelatam a posteriori non possit non demisse admirari & habere pro ἀξιολογῶ. Nec minoris momenti est materia *Sectionis quinta* de *Sacramentis* Vet. Test. circumcissione & agno paschali, nec non de universo cultu *Levitico*, & *Hebræorum festis*. De istis enim omnibus ostenditur, omnia ita se habere, ut, sine scopo typico considerata, nec Dei, nec hominum, naturæ ad cultum Deo dignum conveniant, sed majori ex parte absurda videantur, at, cum revelatis doctrinis collata, & ad scopum antitypicum relata, sapientissima naturæque divinæ & humanæ convenientissima deprehendantur. Unde elicitur confectarium evidentissimæ consecutionis, istorum rituum constitutionem non esse humanæ inventionis, sed omnino divinæ institutionis; & hanc non parum confirmari ex aptissima istorum harmonia cum doctrinis veteris œconomiz, nec non e veritate rerum Judaicarum, quarum partes haud exiguas constituant, historica, quæ supra est evicta. Ceterum, cum Theologiæ Vet. Test. duo obstare videantur, seu eidem obverti soleant, primum a Socinianis defectus doctrinarum, ad spiritualia & æterna relatarum, deinde ab illis, quibus providentia Dei in negata dispensatione mediorem salutis est παροῦδοξος, hi efficii offensionis lapides ab eadem remonentur. Et quidem Socinianis, qui modo dictas doctrinas tantum pro reservatis ad novam œconomiam habent, hæc opponuntur argumenta: 1) *Creatio ad Dei imaginem*, utpote quæ sine istis doctrinis plane nullius sit sensus, per earum vero applicationem denuo sit instauranda; 2) *Promissio de Messia Gen. III, 16*, deinceps subinde luculentius illustrata, qua stante istarum doctrinarum fundamentum sit positum; 3) *Henochi ac Elie translatio*, per corporis immutationem ad coelestia ita facta, ut utraque instar publici fuerit præconii de rerum æternarum expectatione. Quid? quod idem declaret *Henochi* ambulatio coram Deo, *Gen. V, 22, 24*, cui deinceps ea *Noachi* ac *Abrahami* fuit conformis, utpote iisdem verbis notata *VI, 9, XVII, 1*. Huc etiam pertinet *Henochi* prophetia de extremo iudicio *Jud. v. 14, 15*, & *Abrahami* de eodem edita, & ad Filium Dei relata, confessio *Gen. XVIII, 24*. 4) *Promissio de Messia Patriarchis*

triarchis subinde confirmata, & ab illis fide, bonis spiritualibus ac æternis propria, firmiter recepta. Et huic respondebat patriæ terrestris prompta abnegatio per cœlestis expectationem, quæ in *Jacobo* plane fuit singularis, *Gen. XLVIII, 18*, promota. Huc etiam pertinet exemplum *Mosis*, qui sub spe beatæ remunerationis commoda aulæ Ægyptiacæ amplissima abnegabat *Hebr. XI, 25*, una cum exemplis reliquorum fidelium, quorum fides spiritualibus ac æternis bonis inhians *Hebr. XI* prædicatur. 5) *Cultus Leviticus universus*, cujus centrum erat in expiatione & remissione peccatorum, cultum spirituales in finuantibus, a fidelibus utique agnitum, & a *Davide* declaratum *Pf. LI, 8, 9*. 6) Inculcata *spiritualis circumcisio* *Deut. X, 16, XXX, 6, Jer. IV, 4, VI, 6*. 7) *Promissio vitæ, & comminatio mortis*, utriusque ad liberam electionem propositæ *Deut. XI, 26 seq. per Ezechielem Cap. III, XVIII, & XXXIII*, uberrime declarata. Neutram vero ad hanc vitam fuisse relatam, vel inde constabat, quod fidei justitia ac vitæ pietas nec temporalem vitam facere perennem, nec mortem avertere, poterat. 8) *Psalmodum Davidis & Prophetarum loca* quamplurima, & inter alia ea de *judicio extremo*, ex eodem bonorum spiritualium & æternorum principio deducta, speciatim ea de *resurrectione mortuorum*, traditæ *Exod. III, 6*, coll. *Matth. XXII, 22, 23, 32, 33, Deut. XXXII, 39, 1 Sam. II, 6, Job. XIX, 25, 26, Pf. XC, 3, Jesh. XXVI, 19, Dan. XII, 2*. Quod dogma ad rudimenta Judaicæ ecclesiæ catechetica pertinuisse, liquet e locis *Sap. II, 3, III, 1 seq. IV, 7, V, 7-16, XVI, 13, Sir. XV, 17, XVII, 19, Tob. II, 17, III, 6, IV, 30, XIII, 2, 2 Macc. VII, 9 seq.* Quæ multiplex & luculenta demonstratio religionem veteris œconomiae a præstantia & divinitate sua non parum commendat. Nec minus luculenta est ea de *gratiæ universalitate* præter Judaicam gentem per singulas periodos etiam ad reliquas gentes ita extensa, ut etiam his ad salutem aditus omnino patuerit. Sed brevitatis causa integra hæc tractatio ipsi Lectorum studio relinquatur.

Recensio Isagoges in œconomiam Novi Testamenti hic eo esse potest brevior, quo magis ea œconomia Ver. Test. est superstructa; unde in aditu ad novam recte monetur, per hanc

hanc veteris defectus eo excellentius suppleri, quo major sit præstantia impletionis, cum vaticiniis, promissionibus, & typis, iisque ceremonialibus & historicis, comparatæ. Ad *Isagogen* in Nov. Test. *historicam* quod attinet, eadem servata methodo *Sectione I* demonstratur rerum Christianarum veritas & ἀξιοπιστία, nec non incorrupta librorum sacrorum integritas, subjuncto axioma hoc notabili, quod religio Christiana veritati isti historicæ non minus ἀσφαλὲς sit innexa intextaque, quam Judaica suæ peripheriæ historicæ. *Secunda Sectione* recensentur *prædictiones*, ad historiam Nov. Test. pertinentes, & mox ipso eventu comprobatæ, subjuncta mentione *Ἰουδαϊσμοῦ* generaliori, & inde derivato axioma de religionis Christianæ veritate, jam tum per ipsam quoque historiam, ad quam prædictiones impletæ cum miraculæ pertineant, in antecessum quam luculentissime comprobata. *Isagoge* in Novum Testamentum *dogmatica* tribus constat *Sectionibus*; quarum *prima* agit de doctrinis, quas œconomia nova cum veteri habeat communes, adeo sublimes, ut inventio seu fictio humana eo minus hic locum habeat, quo luculentior hic facta sit earum illustratio, ideo omnino ad Deum revelantem referenda. *Secunda Sectione* exhibentur longa serie ex una parte e Vet. Test. *vaticinia* & promissiones de Messie persona, duplici statu, & triplici officio; ex altera e Nov. Test. istarum *impletiones*, veritate dogmatica Vet. Test. a priori eam Novi, & hac Novi a posteriori eam Vet. Testamenti comprobante. *Sectione tertia* exhibetur harmonia typorum in cultu Levitico, & antityporum in Christo & Christianismo secundum cultum evangelicum. Succedit *Sectio quarta* & ultima, exhibens reliquos divinitatis characteres, quibus religio Christiana constans, se amabilem reddit ac commendabilem. Inter quos elucet libertas conscientiæ, quam Apostolica ejus forma, ab apostatica & antichristiana abhorrens, confessoribus ejus relinquit. Ceterum *Isagoga* utrique finis imponitur ostensione insignis differentiæ inter *convictionem rationalem* & *divinam* de veritate religionis revelatæ; ubi rationalis ponitur in cognitione ἀξιοπιστίας historicæ & dogmaticæ, in quantum utraque viribus mere

natura-

naturalibus ex characterum & argumentorum evidentia ad assensum, satis quidem certum, sed tamen tantum naturalem, seu mere rationalem, admissa est. Divina vero, qua assensus iste habitum vivæ fidei supernaturalem judicat, ad eum gratiæ statum refertur, qui in ordine veræ conversionis obtineatur, ac in renovationis cursu per experientiam auctus corroboretur. Et hæc tribuitur κατ' ἐξοχήν martyribus, reliquis tamen fidelibus, etsi diverso gradu, genuino tamen modo, omnibus sine exceptione; nec immerito asseritur, in hac convictione pro veritate Scripturæ Sacræ, & religionis, in ea revelatæ, solidissimum residere argumentum, quod vel solum sufficiat, certe apud quamplurimos rationalis convictionis, cujus multi ne capaces quidem sint, defectus suppleat. Hæc de Ilagoge in contractum Opus Biblicum; cui cum finis imponatur per *Apocalypsin*, hujus interpretationem succinctam S. Rev. Autor præ reliquis libris sacris singulariter exornavit; & quidem ab initio per genuini *Systematis apocalyplici & prophetici* delineationem diversis *Sectionibus*, a fine vero per subjunctam demonstrationem doctrinæ, quæ totius Scripturæ Sacræ est primaria, *de gratia Dei universali in Christo*, adornatam. Quandoquidem enim istius tractatio in singulare nostrorum temporum *Œion* Autori a Serenissimo Borussiae Rege, *Fridrico Wilhelmo*, immortalis memoriæ, per privatas literas quam clementissime est demandata, & ejusdem nutu, ut ætatem ferret, Operi Biblico subjuncta; ab hac ejus Epitome ejus representatio non plane potuit sejungi, sed quam brevissime, evidenter tamen, concinnata. Qui laboriosissimi Senis labor publicus, quem ipse pro ultimo habet, ut ecclesiæ sit *πολύκαρπος*, hoc est, quod æqui rerum sacrarum æstimatores cum ipso procul dubio exoptabunt.

Johann David Köhlers, P. P. im Jahr 1732 wöchentlich
herausgegebener Historischer Münzbelustigung
vierdter Theil, 2c.

hoc est,

JOANNIS DAVIDIS KOELERI, P. P. HISTORICÆ

X x 2

Numisma-

Numismatum Amœnitatis, Anno 1732 per hebdomadam curricula editæ, in qua varii memorabiles ac rari uncialis Numi, Ducati, & Numismata majoris moduli, ac ea quidem singularia, ex auro argentoque conflata, numero LXIII, accurate in æs incisa, descripta, & ex Historia debite exposita, representantur, Pars quarta. Accedit continuatio secunda Sciagraphiæ de pleniori uncialium Numorum collectione, vicem Præfationis sustinens.

Noribergæ, impensis Christophori Weigeli senioris viduæ, 1732, 4.

Alph. 2 plag. 2.

Cel. Autor, promissis se liberaturus, Præfationis loco secundam exposuit continuationem Sciagraphiæ de collectione Uncialium plenius instituenda. Ad Thaleros, Principum jussu curaque cusos, cursum promovet, exorsus ab uncialibus Principum ecclesiasticorum, Archiepiscoporum Vesonionensium, Bremensium, Cameracensium, Magdeburgensium, ac Salisburgensium, licet ipse dubitet, an Archiepiscopus Vesonionis unquam unciales feriri jussit, vel alios numos percuti curaverit, quod quidem posterius enuntiatum videtur mentioni, quæ sit media ætate, *Bisantinorum* obstare. Bremensium Archiepiscoporum septem inde a *Joanne III Rhodio* cuedendos curarunt utique unciales, *Joannes* ipse, electus A. 1496, † 1511, *Christophorus*, Dux Brunsvico-Luneburgensis, el. 1511, † 1558, *Georgius*, Dux Brunsvicensis 1558-1566, *Henricus IV*, Dux Saxo-Lauenburgicus, 1567-1584, *Joannes Adolphus*, Dux Holfatiæ, 1585-1596, *Joannes Fridericus*, prioris frater, *Fridericus*, filius natu minimus *Christiani IV*, Regis Daniæ, 1635-1645. Unciales *Maximiliani de Berghes & Ludovici de Borlaymont*, Archiepiscoporum Cameracensium, Autor vidit, ceterorum haud item. Sequuntur Episcopi & reliquorum Principum series. Ex sex Numophylaciis, quæ Thaleris

loris fuerunt probe instructa, annotavit Autor unciales, quos vidit, cujusque Principis. Ita refert, sese unicum duntaxat Episcopalem vidisse uncialem Basileensem. Episcoporum Brixiensium vidit ne quidem numulum. Episcopales Curientes Thalers deprehendit duos. Aichstadenfes conspexit quatuor. Frisingenses nullos Numos videntur percuti jussisse Episcopi. Episcopi Halberstadenfes singularibus Numis feriendis haud amplius vacarunt, ex quo ad annum 1363 Capitulo cathedrali, senarui, ac oppido, ibidem jus feriendi numos penitus tradiderunt. Hildesienfes inter Episcopos *Jodoci Edmundi* ad A. 1690 unus exstat uncialis & alter, ex fodina argentea *S. Antonii* elaboratus. Capituli exstant duo Thaleri, sede vacante percussi, unus ad A. 1688, alter ad A. 1724. Inter Episcopos Lubecenses percusserunt unciales *Joannes Adolphus* A. 1599, *Augustus Fridericus* A. 1687, & Capitulum, sede vacante, A. 1720. Plures Cel. Autor non vidit. Non pauci sunt, qui Episcopis Leodiensibus debent originem. Episcopi Metensis, *Roberti de Lenoncourt*, duos Cel. Autor produxit unciales *Parte III n. 12, 13*. Capitulum Reverendissimum Moguntinum A. 1732, sede vacante, unciales trium generum feriri curavit. Ac hæc sunt potiora, quæ e Præfatione nobis videbantur delibanda. Amoenitatibus ipsis nunc oculos mentemque juvat pascere & oblectare. Sequemur vero rationem nostri instituti. Comparet 1) Numisma majus ex argento & auro, quod Elector Palatinus ad Rhenum *Carolus Ludovicus* A. 1677 in lapidem fundamentalem templi, *Fridrichsburgi* constructi, & in Concordiæ honorem consecrati, deposuit. Nobis non licet biographias, ceteraque venustates, in compendium mittere. Quare id semel monuisse suffecerit. 2) Numisma majoris moduli in honorem magni ducis hellici, *Jacobi Hannibalis*, Comitis in *Hohen-Embs*, ad A. 1575. Amisum, seu *Atrbohenembs*, in valle Rheni supra Bregrentium est situm. Comites Imperiales, inde denominatos, genealogice descripsit *Jacobus Mantius* in *Chronico Constantiensi pag. 698*, in *Pistorii Script. Rev. Germ. Tom. III*, ac diligentissimus *Bucelinus* in *Rætia Stemmograph. pag. 385 seq.* & in *Germania Stemmograph. Tom. IV pag. 69*

Pag. 10.

pag. 69 seq. *Wilhelmus de Hobenembs* A. 1295 autoritate floruit, ejusque frater *Arnoldus* existit Canonicus Curienſis. Ex Diplomatiſ ſide dignis hæc certo conſtant. 3) Aureus Nummus, donis ſacer, *Marci Sittici*, Comitſ de *Hobenembs*, & Archiepiſcopi Salisburgenſis, ad A. 1612. 4) Thalerus duplex Cardinalis & Archiepiſcopi Salisburgenſis, *Matthæi*, cum S. *Radianæ* imagine in poſtica, ad A. 1521. 5) Rarior Uncialis Archiepiſcopi & Eleſtoris Trevirenſis, Epſcopi Spirenſis, *Philippi Chriſtophori de Sætern*, ad A. 1625. 6) Numiſma Pontificis Romani *Innocentii XI*, referens memoriam victoriæ, a Turcis ad Barkan A. 1683 reportatæ. 7) Rarus Florenus aureus Ducis Bavarix, qua Comitſ Hollandiæ, *Wilhelmi*, ad A. 1351. In antica loricatus & gladius apparet ipſe Comes, ſiniſtra tenens clypeum, inſignibus Bavarix conſpicuum. Ad dextram proſiſit arreſtus leo, Hollandiæ index. Perigraphen hanc habe: GVILHELMUS. DVX. COMES. HOLLANDIÆ. In poſtica per vices poſita ſunt inſignia Bavarix & Hollandiæ. Ad oram eſt perigraphæ: FLORINI. DE. HOLLANDIA. Item. ZELANDIA. Ejusdem celebrantur Numi argentei, gaudentes perigraphæ: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. 8) Rarus Numiſma Archiepiſcopi & Eleſtoris Colonienſis, infelicis reformatoris, *Hermann* Comitſ de *Wied*, ad A. 1532. 9) Rarus Numiſma, referens ſponſalia, publice contracta, & benedictioni juncta, inter *Maximilianum I*, Archiducem, & Imperatorem poſtea, ac *Mariam*, Burgundiæ Ducem, ad A. 1477. 10) Numus rarior argenteus, oſtendens Imperatorem *Maximilianum I*, ac uxorem ejus alteram, *Blancam Mariam*, ad A. 1494. 11) Rarus Numiſma, referens ſponſalia regiæ Hungariæ Bohemicæque Principis, *Anna*, cum *Maximiliano I*, cuſum nomine ſuorum nepotum A. 1515. 12) Rarus Numiſma Baronis de *Dietrichſtein*, *Sigifmundi*, ac ejus conjugis, *Barbaræ de Roſal*, Baroneſſæ *Talbergi*. Ipſe obiit A. 1533, *Maximiliano I* egregiis navatis muniis. 13) Pulcher Uncialis, ad A. 1694 & *Rupertum*, Abbatem Principem Campiduni, referendus. 14) Rarus Uncialis *Wiedmanni*, Cardinalis, qua Joſeſpho mitis *Ortenburgi* in Carinthia, ad A. 1656. 15) Thalerus Joſeſpho ſeq. *Chriſtopheri*, Baronis *Freybergi*, & Epſcopi *Auguſtani*, ad A. 1681.

TAB. V. ad. Nov. Act. Erud. A. 1743. Mens. Jun. P. II

pag. 330. 331. 332. 333. 334.

Fig. I.



Fig. II.



Fig. III.




Fig. IV.



Fig. V.





Fig. VI.



A. 1681. 16) Thalerus pulcher *Francisci Antonii*, Archiepiscopi Salisburgensis, ac Principis *de Harrach*, ad A. 1723. 17) Rarior Thalerus *Wilhelmi IV*, Comitis *de Berg*, ob turbas Belgicas notissimi. Genealogia ipsius affertur inde ab *Henrico I* ad A. 1107. *Teschennacherus & Schlichtenborstius* eam texuerunt. Pag. 130
Joannes Hübnereus Gen. Tab. Tom. II n. 441 male omisit uxores. seq.
 Dominum *Oswaldum I de Berg Fridericus III* A. 1486 Comitem Imperii creavit. Confirmat deinde Autor ea, quæ pag. 134 seq. 26 de legitimo Cardinalis *Langii* ortu attulerat. *Matthias Raderus* in *Bavaria sanctæ P. II pag. 257* exstitit primus, qui falso creditur, *Langium* Imperatoris fuisse filium, ex *Dialogo Maximiliani Cæsaris & Cardinalis Gurcensis*, qui inter Epicedia & Epitaphia hujus Imperatoris in lucem prodit, insertus *Freberi Tom. II Script. Rer. Germ. pag. 442 rec. edit. pag. 768*, in errorem deductus. Ipse vero *Raderus* posthæc errorem suum agnovit in *Animadversionibus ad duos priores Libros Bavaria sanctæ pag. 206*, meliora edoctus ab *Ussingio*, Patricio Augustano.
 18) Numismata rarum, inclyto *Julio Pflugio* sacratum, ad A. 1540, TAB. IV. postea Episcopo Numburgi. Ipse fuit vir acutus, perspicax, Fig. 2. & Latine eloquentiæ peritissimus, ratus, ecclesiæ opus esse reformatione, non extirpatione, obiitque A. 1564, 3 Sept. anno Pag. 144. ætatis 65, sepultus Cizæ in templo cathedrali. 19) Tria pulchra Numismata, facta in *Philippum* Liberum Baronem *de Stofsch*, antiquitatum Græcarum & Romanarum peritissimum, ad A. 1728. Extraordinariam viri inclytissimi peritiam prædicat & loquitur Opus ejus: *Gemma antiqua celata, sculptorum nominibus insignita*, A. 1724 Amstelodami editum. Genuinas collegit Gemmas 147. Ill. Baro, in quibus sculptores nomina sua, quorum 49 conquistavit, inciderunt. Incidebant veteres artifices non una ratione gemmas; eas enim vel excavabant, ut imaginem infoderent, vel imaginem in prominenti ac alta parte locabant. Illa ratio 148. vocabatur ars *γλυπτική & διαγλυφική*, hæc vero *ἀναγλυπτική* seu *ἀνεργλυφική*. Illa vocabatur sculptura, hæc celatura, recentioribus dicta vulgo *Camée*. Gemmæ hisce sculpturis destinabantur hæc potissimum: achates, carneola, quam veteres *sardum rubrum* vocabant, chalycedon, & onyx, quæ ceram haud

haud contrahunt. Posthæc amethystus, beryllus, smaragdus, & adamas etiam, scalpi cælarique sunt cœpti. Veteres etiam norant artem ex vitro faciendi gemmam, quam vocabant smaragdum factitium, teste *Seneca Epist. 90. Plinius* vero vitrum obsidianum *Hist. Nat. Lib. XXXVI Cap. 26*, nostri vocant *Fluss*, fluorem vitri induratum. In Numo *Stofchiano* primo *Diogenes* prospicit ex dolio suo, quod ei erat domicilii loco. *Diogenem* in dolio habitasse, negarunt *Bailius & Cel. Christophorus Augustus Heumannus*, contra quos Autor solide disserit, ac *Diogeni* avitum illud pro habitaculo restituit dolium. Ex *Luciani* descriptione hujus dolii desumpsit *Jonathan Swift*, quod nobis liceat addere, suam *de Dolio Satyram, Conte du Tonneau*.

20) Uncialis Numus, referens *Philippum* Baronem *de Montmorency*, Comitem *ab Horn*, Dominum *de Wiert*, qui inter initia tumultus Belgici A. 1568 obruncatus obiit. In postica *S. Martinus* equo insidet, ac partem pallii abscindit sui, in usum mendici, infra sedentis, addita perigraphæ: *Sauctus Martinus, patronus Wiertensis*. Comites *Hornenses* descenderunt ex Comitibus *de Loos*, si quidem *Wilhelmus I*, dominus *Horne* ac *Wiertha*, qui A. 1090 vixit, existit frater Comitis *Arnoldi de Loos*. 21) Numisma majus, memoriam *Wittiorum*, A. 1672 a furiosa plebe misere interemptorum, representans. 22) Numisma, referens Imperatorium ac Hispanicum aulae administrum status, *Antonium Perrenotum de Granvelle*, Episcopum *Atrebatensem*. 23) Numisma protuberantis figuræ, quod ab Academia *Altorfina* sub discessum *Adolphi Joannis & Gustavi Samuelis*, Comitum *Palatinorum ad Rhenum*, Professoribus singulis A. 1678 distributum. Fuerunt isti *Adolphi Joannis*, *Bipontini Cleburgensis*, ex altera conjuge, *Elsa Elisabetha*, filii. 24) Unciale Numus *Electoris Colonienfis Salentini*, ac unitorum *Rhevanorum Electorum ac Principum*, ad A. 1572. Fuit hic *Salentinus Comes Isenburgensis*, qui deinde *Archiepiscopatu* sese abdicavit, ac uxorem duxit. 25) Numus mnemonicus in initiationem recens *struæ ædis cathedralis, Labaci Carniolæ* percussus A. 1707, in cuius antica exhibetur imago cubitalis *Episcopi*, qui vocatur *Ferdinandus I D. G. Episcopus Labacensis S. R. I.*

Pag. 154.

178.

S. R. I. Princeps. 26) Pucherrimum Numisma in *Carolus V*, Cæsarem, ad A. 1537, in cujus postica legitur perigraphæ: *Aquila. Electa. Iuste. Omnia. Vincit.* 27) Numisma *Wilhelmi Friderici*, Marchionis Brandenburgi - Onolsbacensis, cum lemmate: *Recte faciendo neminem timeas.* 28) Uncialis rarus *Joannis Jacobi Blarerii de Wartensee*, Præpositi Elwangenensis, ad A. 1624. 29) Numisma, referens infelicem conatum Ducis *de Monmouth*, cum perigraphæ in postica: *Supra visere. Julii 6 A. 1685.* 30) Rarus Thalerus mnemonicus in liberationem urbis Stralsundæ ab obsidione *Wallensteinii*, ad A. 1628. 31) Rarus Florenus aureus gemini pretii, A. 1615 cuius iussu *Philippi II*, Ducis Pomeraniæ. In postica exhibetur candela ardens super candelabro, addita epigraphæ: *Officio mihi officio.* 32) Rarus Florenus aureus *Hermanii*, Archiepiscopi Colonienensis, nati ex Landgravo Hassorum, *Ludovico Pacifico*, Episcopi simul Paderbornensis, in lucem editi A. 1436, ac defuncti A. 1508. 33) Nummus quadratus, index calamitatis, quam pertulit A. 1572 urbs Middelburgum in Selandia. 34) Numisma in Eminentiſſimum Cardinalem *de Schrattenbach*, ad A. 1721. 35) Thalerus *Catharinae* Belgicæ, tutricis filiorum Comitum Hanoviensium. 36) Rarum Numisma Comitum Palatini, *Philippi Fortis*, ad A. 1528. 37) Solidus, seu *Schillingus*, ex *schallen*, sonando, dictus, admodum vetus, *Gebhardi*, Episcopi Wirceburgensis, ad A. 1151. Dolendum sane est, quod adhuc caremus descriptione Solidorum methodica, quippe qui Bracteatis sunt pulchriores, & ob utrumque latus apertum plura capere potuerunt. 38) Numisma fufum, in honorem *Melchioris Zobel*, Episcopi Wirceburgensis, A. 1558 instinctu *Grumbachii* in sede sua interempti. 39) Numisma majus *Francisci Ludovici*, Magistri Ordinis equestris Teutonici, Comitum Palatini ad Rhenum, ad A. 1699. 40) Uncialis rarus & antiquus *Friderici II*, Comitum Palatini ad Rhenum, ad A. 1538. 41) Uncialis rarus *Friderici II*, Electoris Palatini, ad A. 1547. 42) Rarissimus Thalerus *Bernhardi Magni*, Ducis Vindobonensis, conspicuus insigni Ducatus Wirceburgici Francorum, a Suecis ipsi donato, ad A. 1634. 43) Ducatus rarior *Joannis II*, Archiepiscopi & Electoris Moguntini, ad A. 1399. 44) Numisma

TAB. IV

Fig. 5

Fig. 6

- misma illustrissimi supremi militiæ ducis Suecici, *Joannis Banneri*. 45) Ducatus rarior *Conradi II*, Archiepiscopi & Electoris Moguntini, A. 1391 nati ex *Dominis de Winsperg* in Suevia. *Wolframus de Weinsperg* jam A. 1148 inter testes nobiles *Cosnobiai Maulbrunnensis* occurrit. De uxoribus *Weinsperga* exportantibus maritos A. 1140 retulit fabulam primus *Joannes Trithemius* in *Chronico Hirsaugiensi ad hunc annum*. *Thiepertus de Weinsperch* A. 1150 Camerarius exstitit aulæ Cæsareæ, non imperii. Comitibus *Falckensteinensibus* extinctis, Domini *Winspergenses* obtinuerunt hereditarium Imperialis Camerarii munus, hisque porro intercidentibus, Domini *de Absperg* dicti. 46) Rarum Numisma *Alberti IV Sapientis*, Ducis Bavarix, ad A. 1507. 47) Numus quadratus Principum Ordinumque Silesiæ, ad A. 1621. 48) Numus sepulchralis in *Joachimum Fridericum*, Ducem Lignicensem, ad A. 1602. 49) Numus funestus ultimi Magistri Ordinis Ensisiferorum Livoniæ, *Gottardi de Kettler*, ad A. 1559. In biographia omissa sunt ejus *Agenda ecclesiastica*, impressa *Rostochii* A. 1572, 4. 50) Numus *Catharina*, uxoris Regis Angliæ, *Caroli II*, ad A. 1662. 51) Duo rari Floreni aurei, cusi jussu *Werneri*, Archiepiscopi *Trevirensis*, A. 1389. 52) Numus quadratus *Caroli Ferdinandi*, Episcopi *Vratislaviensis*, ad A. 1627. 53) Numus sepulchralis in *Antonium Guntherum*, ultimum Comitem *Odenburgicum*, ad A. 1667. Numi reliqui pertinent ad accessiones & supplementa. Nostrum erat, catalogum plerorumque texere, ut Lectores, ubicunque habitantes, eum augere, vel inde discere, que .nt, quinam Numi videantur rariores, & quid accessionum passim sperare debeamus. Prædicamus denuo Auctoris *Cel. eruditionem, diligentiam, acumen, & festivum ingenium.*

BARNABÆ BRISSONII, JCTI, REGII CONF-
essorii Consiliiarii, Amplissimique Senatus Parisiensis
Præsidis, Antiquitatum ex Jure civili selectarum L libri
quatuor. In gratiam cupidæ Legum juventutis Opus
recensuit, emendavit, variis annotationibus, Indice,
atque

atque Præfatione, instruxit ALBERTUS DIETERI-
CUS TREKELL, JCrus.

Lipsiæ, apud Caspar. Fritsch, 1741, 4.

Alph. 1 plag. 2.

Jam pridem in tabernis librariis disparuerant scripta *Barnabæ Briffonii*, summi Seculo XVI JCræ, & inter eos jure quodam suo referendi, qui Jurisprudentiam, Glossatorum ineptiis male habitam, pristino suo nitore restituerunt. Inde factum est decennio abhinc, & quod excurrit, ut Celeberrimus *Conradi*, Academix Juhæ nobilior portio, tanti viri opus, stupenda industria confectum, *de Formulæ populi Romani sôlemnibus*, novis, iisque elegantioribus, typis in lucem proferret, eorumque prætermitteret nihil, quæ ad illud ipsum eruditis commodius reddendum conducere videbantur. Eadem ratione & de *Briffonio*, & de republica literaria universa, præclare meritus est *B. Heineccius*, dum ad aliud ejusdem Opus, *de Verborum, quæ ad Jus pertinent, significatione*, poliendum illustrandumque se converteret, editionemque longe auctiorem & splendidiorem moliretur, quæ, post fata optimi Viri nuper ex voto absoluta, præpediem a nobis uberiore sermone laudabitur. Elisce Duumviris addendus nunc est doctissimus Vir, *Albertus Dietericus Trekellius*, JCrus Hamburgensis, qui jam polita *de Testamenti fâctione apud Romanos* Commentatione aliquam nominis celebritatem consecutus est. Ille enim, bono publico inserviturus, humanioris Themidos cultoribus in manus iterum dedit *Briffonii* primum ingenii partem, *Antiquitates* scilicet *Juris civilis selectas*; quod susceptum olim consilium quomodo perfecit, paucis significandum est. Quæ primo loco oculis se nostris offert Præfatio, potissimum evincit, hos, qui, Philosophiæ cognitione destituti, elegantiorum tantum literarum præsidio nituntur, & Jurisprudentiam non nisi ex Historia & Antiquitatibus illustrandam esse, putant, æque peccare, ac eos, qui, mansuetioribus Musis plane neglectis, solius Philosophiæ ope Jus interpretari se posse, contendunt. Aperit hac occasione animi sui sensû de arte demonstrandi, Jurisprudentiæ aliquot abhinc lustris appli-

cata, & affirmare non dubitat, esse hoc opus quam maxime arduum, quodque vires humanas propemodum excedat. Rationes, quas hanc in rem attulit, haud indignæ, ni fallimur, sunt, quæ ab omnibus accuratè perpendantur. Hæc nostra enim ætate certatur quotidie minutis conclusanculis. Gliscit morbus, & omnem jam pæne eruditum orbem occupavit. Omnia theatra & tonforum umbræ ista methodo personant, ut verbis utamur *Cunæi in Satyra Menippea*. In ipso *Briffoniano* Opusculo recensendo quid præstiterit Clarissimus Editor, paucis docebimus. Primus ejusdem labor fuit, ut illud quam emendatissimum prodiret. Adhibuit igitur varias editiones, ut univèrsa menda, quantum fieri posset, tollerentur. Ubi vero in exemplaribus collatis propagati fuerunt errores, arte critica in partes vocata, suis conjecturis indulgè, quod tamen rarissime factum profitetur, & non nisi in manifestissimis erratis. Cum deinde animadverteret, *Briffonium*, more seculi sui, Autorum veterum verba, imò ipsas leges, non adjectis rite locis, produxisse; operam dedit *Cl. Treckellius*, ut omnia, ad quæ provocaverat Autor, facili evolvi negotio possent. Græcorum scriptorum locis interpretationem subjunxit Latinam, ne illos statim a lectione Opusculi deterreret, quibus non adeo familiaris Græca esse lingua solet. Denique observationes quasdam adjecit *Briffonio* suo, in quibus partim ea, quæ perperam ab Autore scripta videbantur, emendare, partim, quæ nimis breviter exposita fuerant, illustrare, studuit. Sunt quidem inter has, quod nec ipse doctissimus Editor diffitetur, nonnulla vulgaria, adeo sane, ut, illa hic repetere, vix operæ pretium videatur; sed nemo hoc ei crimini dabit, qui sibi revocaverit in memoriam, quod cupidæ potissimum legum juventuti labore suo succurrere voluerit *Treckellius*. En! quædam inde specimina. *Pag. 20 ad Caput Briffonii: Quales olim emerentur venderenturque nummi*, notatur, omnia hæc, more suo, exscripsisse *Dionys. Gothofredum* ad *l. 9 §. 2 D. ad L. Corn. de Falsis*, imò eundem totum fere hoc Opusculum in compendium redegisse, & sic transtulisse in *Notas suas ad Corpus Juris Romani. Pag. 42, ubi Capite 20 Briffonius* scribit, *Jus Civile per multa Secula solis Pontificibus no-*
tum

rum fuisse, monet Cl. *Trekellius*, fuisse illud potius repositum in penetralibus Pontificum, teste *Livio Lib. IX Cap. 46*. Quamvis enim ad Pontifices proprie Jus Civile non pertineret, nisi quatenus cum religione esset conjunctum, ut loquitur *Cicero de Leg. Lib. II Cap. 19*; videtur tamen antiquitus hæc scientia apud solos Pontifices delituisse. Pontifices ergo soli tunc temporis simul fuerunt Jcti; unde etiam posterioribus temporibus, evulgatis jam hisce mysteriis, permansit principium illud, Pontificem neminem bonum esse, nisi qui Jus Civile cognosset. Patere insuper, ait, ex Historia Juris, maximos semper Romanorum Jctos fuisse simul Pontifices. *Pag. 49* ad verba *Brissonii: interdum autem ipsi reo inquisitio mittebatur*, hæc addidit Clarissimus Editor: *Quid sit inquisitionem reo permittere, ego quidem non intelligo. Autor sine dubio vitiosus Taciti exemplaribus usus est; nam in emendatioribus (Annal. Lib. XIII Cap. 43) ita legitur: mox, quia inquisitionem annuam impetraverant, accusatores scilicet. Id tamen ex loco Plinii allato (Lib. VI Epist. 5) patet, & reo aliquando non n. nus, quam accusatori, permissum fuisse, ut testes ad suam defensionem produceret. Adde Plinii Lib. V Epist. 20. Pag. 59 persuasum sibi met habet Cl. *Trekellius*, ex *Livii Lib. XXII Cap. 38*, aliisque locis, intellectu facillimum esse, quod & olim sacramentum fuerit sine jurejurando, postea vero illud cum hoc Romani conjunxerint. Discrimen tamen inter utrumque, in veterum silentio, non exacte definiri posse credit, a multis licet sæpiuscule hoc sit tentatum. Ex nota, *pag. 62 Brissonio* subjuncta, discimus, incertum esse, quando primum instituti fuerint Triumviri nocturni in urbe Roma. Antiquissimum eorundem, qui a veteribus memorantur, videri *Cn. Flavium* apud *Livium Lib. IX Cap. 46*. Et hæc quidem de observationibus *Trekellii*, qui non solum in Præfatione, justum aliquando *Systema Antiquitatum Romanarum* se exhibiturum, indicat, sed *Antiquitates etiam selectas*, proxime prodituras, pollicetur. Qui labores ut ei feliciter, & ex rei-publicæ literariæ sententia, succedant, optamus. Ceterum vero Consultissimum Virum, supra jam laudatum, *Franc. Carolus Couradi*, etiam atque etiam rogamus, ut, quæ prelo sub-*

submittere rursus voluit omnia *Briffonii* minora scripta, ea, uno juncta *Volumine*, ne diutius expectari patiatur. Qua in re si precibus nostris locum reliquerit Vir humanissimus, ab ejus insigni industria novum *Briffoniano* nomini decus accedet, quamplurimis autem eorum, qui Themidos & Musarum sacris addicti sunt, uberrima plaudendi occasio subnascetur.

C. H. TROTZ ORATIO INAUGURALIS DE Libertate sentiendi dicendique, Fctis propria. Publice dicta in templo Academico IX Oct. MDCCXLI, cum ordinariam Juris Professionem in illustri Frisorum Academia solenniter auspicaretur.

Franequeræ, excudit Guil. Coulon, 1741, 4 maj.

Alph. 1 plag. 5.

Grave est Orationis argumentum, dignumque, quod a Celebrissimo *Trotzio* pertractaretur, quem egregia in Jurisprudentiam merita ad nūnus nuper Academicum, honestum profecto lautumque, evexerunt. Studuit Vir ille, ingenii maxime liberalis, suis efficere cohortationibus, ut Juris cultores mature discant præjudicatarum opinionum evitare scopulos, & a fervili illo *αὐτὸς ἔφη* prudenter abstinere. Qua de re cum non solum rationes conquisiverit idoneas, sed eleganti etiam floridoque dicendi genere, ad persuadendum necessario, differuerit; non dubitamus ullo modo, quin futuri sint multi, qui, hac Oratione lecta, album Autori calculum adjiciant, & dicta illius in saccum, quod ajunt, sanguinemque convertant. Id saltem vehementer dolemus, quod raro in Germania nostra minoris molis scriptorum copia sit, quæ ab exterarum regionum viris præcipuis in lucem publicam proferuntur. Quam vellemus nos, ut huic malo nostro vel per bibliopolas, vel per Autores ipsos, commoda in posterum afferri medicina posset! Sed hæc in transitu. Redeamus ad Consultissimi *Trotzii* Orationem, visuri, quo modo partes suas in hocce, quod suscepit, negotio peregerit. Libertate dicendi, quam Græci una voce *καθ' ἑαυτὸν* vocare solebant, intelligit facultatem vivam, perspi-

perspicuam, figuratam, & liberam, lingua animi sui sententiam in apicum proferendi, & cum aliis, quorum interest, lubenter communicandi. Quo divino & incomparabili dono qui gaudere voluerint, illos a præjudiciis (sit venia verbo) vacuos, alienos a turba, & ab assentantis vulgi imperitia procul remotos, scienter appositeque cogitare oportet. Affert tum Clarissimus Autor, proœmii loco, multa notatu digniora de libertate theologica, philosophica, atque historica, hisque peractis, ad argumentum ipsum, quod pertractandum sibi sumserat, propius accedit. Libertatem juridicam hisce describit verbis, quod nimirum sit facultas, in veritatem, nullo prohibente, inquirendi, errores obvios, abusus inveteratos, quocunque nomine, justive colore, introductos, accurate refellendi, a quovis, ab ipso etiam legislatore, bene ponderatis rationibus, dissentendi, medelam denique & cautiones legitimas excogitandi, præscribendi, verumque, ut lubet, profitendi, ac enuntiandi. Abominatur ergo Consultissimus *Trotzius* vagam illam contradicendi libidinem, ac disputandi perversum prurium, eum saltem in finem conceptum, ut legis circumveniantur sententia, & id, quod explorati juris est, penitus subvertatur. Ille mos non JCti probi atque honesti est, sed rabularum potius, qui in rebus seriis, maximique momenti, inertè petulantia immodeste scurriliterque ludunt. Libertatis juridicæ si quis nosse originem voluerit, ille historiam Græcorum sibi reddat familiarem, necesse est. Ab his ad Romanos transit, & per temporum intervalla a JCtis ad summum evecta est fastigium. In statu certe Romanæ reipublicæ libertatis testimonium præbet ipsa legum ferendarum formula: *Velitis, jubeatis, Quirites*. In SCtis solennia Consulibus verba, discessionem suadentis, ista fuerunt: *Qui hoc censeatis, illuc transite, qui alia omnia, in hanc partem, cum qua sentitis*. Non enim Consulibus erat, sententiam dicere in Senatu, sed rogare tantum, quod recto vocabulo exprimebatur *consultere*; unde & successu temporis, *Tullio* teste, formula alloquendi JCtos invaluit, de jure responsuros: *Licetne consultere?* Eandem sibi libertatem Prætor, Plebiscita, & Ædilium Edicta, vindicabant, quæ, licet mul-

tum detraherent auctoritati Senatus, nihil tamen a libertate, vel legum condendarum maiestate, recessisse videntur. Nec alia via incidere solebant Prudentes, qui, majorum suorum libertate muniti, interpretationibus, forique disputationibus, novi juris auctores fuerunt, per excellentiam *Jus Civile* appellati. Varia hujus rei exempla, ex antiquorum Jurisconsultorum reliquiis petita, in medium producit Orator noster, & deinceps ab hac juridica libertate sectarum natales derivat, quarum parentes fuerunt *Atejus Capito* & *Antifilius Labeo*, Sabinianorum ac Proculejanorum antesignani. Hæc libertatis juridicæ conditio fuit, florente republica; ea vero ad occasum vergente, atque in principatum inclinante, magna illa ingenia, priscae libertatis assertores, sensim sensimque deficere cœperunt. Sub uno fere *Augusto* dicendi libertas Jurisconsultis illibata mansit. Ejus morte hæc etiam animam egit, & mox irreparabili damno sublata est. Loquantur annales tristissimam turpissimamque hujus mutationis formam sub Imperatoribus sequentibus, qui tamen non omnibus libertatem dicendi eripere potuerunt. Illustria prostant ac memoranda, quanquam rariora, priscae virtutis exempla in *Pisone*, *Cassio Longino*, ac *Procuro*, & cum primis in *Papiniano*, qui pro libertate mortem subire maluit, quam nefandum *Caracalla* fratricidium impie defendere. Latior paululum effulsit libertati juridicæ lux sub *Vespasiano*, *Tito*, *Nerva*, *Trajano*, *Antoninis*, *Alexandro Severo*, aliisque Principibus, quod Auctor facundissimus multis speciminibus eleganter ostendit. Quod si recentiora spectemus tempora, occurrunt *Azo*, *Thomas Morus*, *Jac. Cujacius*, *Barn. Brissonus*, *Jo. Seldenus*, alique summi Jurisconsulti, qui, vel in gravissima perducti pericula, posthabitis vitæ ac fortunarum rationibus, masculi libertatis dicendi vindicæ exstiterunt. Hæc summa est Orationis, quæ sine dubio non paucos Lectorum nostrorum ad comparandam eam, diligenterque legendam, invitabit.

Gründliche Ausführung, u.

hoc est,

S. R. I. LIBERÆ CIVITATIS NORIBERGÆ SOLIDA

lida Deductio ex Commissione perpetua Augustissimi Imperatoris & Imperii competentis, & per aliquot Se- cula quiete & sine ulla contradictione habitæ, custodiæ Insignium Imperii, & exinde profuens, optime funda- ta, reprobatio, protestationi, nuper sine fundamento & jure ab Aquisgranensibus interpositæ, eorumque prætensionibus non fundatis, in Insignia modo no- minata factis, opposita.

Altorfii, apud Jo. Adamum Hesselium, 1742, fol.

Plag. 18.

Prodiit quidem sine nomine Autoris scriptum hoc, & argu- mento & probationum gravitate satis illustre; ex ungue tamen quilibet leonem facile cognoscet latitantem, Amplissi- mum Academiæ Altorfinae Antecessorem, *Christ. Gottl. Schwarz- zium*, causæ Noribergensium bonæ strenuum defensorem. Impu- lerat periculum, e continuis Bohemorum motibus, & Turcorum in Ungariam irruptionibus, obortum, *Sigismundum* Imperato- rem, ut insignia Imperii, seu Clenodia, cum reliquiis quibus- dam religiosis, quæ alias ipse & Antecessores ejus custodierant, A. 1424 Noribergam, quam solam inter tot claras Germaniæ Pag. 4. urbes munere hoc dignam censebat, perpetuæ custodiæ offer- ret, & re ipsa traderet. Confirmarunt custodiam illam Pon- tifices, *Martinus V* A. 1425, *Nicolaus V* A. 1452, & *Pius II* A. 1462, pro more istius temporis. Ipse vero *Sigismun- dus* Imperator in Constitutione de perpetua custodia insi- gnium, quæ ipse *Caroli M.* fuisse asserit, & reliquiarum, re- ligioso cultu, secundum principia Ecclesiæ Catholicæ, profe- quendarum, solennium nundinarum privilegium Noriber- gensibus concessit. Quæ omnia & a sequentibus Imperatori- bus gratiosè repetita & renovata fuerunt. Hisce ergo præmis- 8. 15. sis, ponderosè satis urget Amplissimus Autor contra Aquisgra- nenses, eandem custodiendorum Imperii insignium & reliquia- rum prærogativam sibi vindicantes, quodsi ullum antiquius illis competeret jus, cur tacuerint illi, cur non prosecuti sint jus, quod

quod quærent, contra factum diu antea a *Carolo IV* deliberatum, & a Pontificibus ratihabitu. Sed mox prosequitur contentio- nis historiam, & ulterius probat, quod *Innocentius VI*, P. M. in Bulla, quam de instituto A. 1354 festo armorum Christi promulgavit, ipse asserat, Imperatorem *Carolus IV* reliquias in sua custodia habere, prout, qui cum antecesserant, Reges Romanorum, seu Imperatores, etiam habuerunt. *Carolus IV* A. 1356 in curia Noribergensi in folio Majestatis Cæsareæ, imperialibus insulis, insignibus, & diademate, decoratum, sedisse, ipsum testatur Aureæ Bullæ proœmium. Eundem *Carolus* A. 1361 eadem Imperii Clenodia ad solennem curiam, propter lantos *Wenceslai* natales Noribergæ institutam, de Bohemia deduci iussisse, & solenni apparatu ibidem ea ostendisse, ipsum quoque, curia ista finita, cum uxore & filio & insignibus in Bohemiam rediisse, *Henr. Rebdorffius* scribit. Ab hoc ergo tempore, quo custodia perpetuæ tradita fuerunt, Norimbergenses insignia, cum reliquiis adjectis, ad locum coronationis semper deportarunt, & post coronationem peractam quiete receperunt & reportarunt. Magis adhuc firmatur longæva Norimbergensium possessio per agnitionem Imperii, dum Electores quavis data occasione evocarunt & evocant eos hodiernum, ut mature insignia ad locum coronationi destinatum advehant; quod eorum Deputati adui coronationis intersint, & ipsi quodammodo assistant Imperatori vestibus induendo; reliqui vero Status, per quorum provincias Deputati migrant, accedentes & redeuntes solenniter adhuc conducant. Concludit ergo Excellentissimus Autor ex hæcenus dictis & probatis, justum inclytæ Norimbergensium Reipublicæ competere titulum, & præscriptionem adesse longissimam, ad servanda Imperii Clenodia, cum reliquiis, religioso cultu venerandis, custodia ejus demandata. Præter omnium tamen spem & opinionem protestati sunt Deputati Aquisgranenses A. 1711 d. 24 Dec. coram Notario & testibus contra receptionem insignium & reliquiarum, asserentes atque urgentes, *Richardum*, Romanorum Regem, eandem ipsis custodiam anno jam 1262 demandasse. Regerebant Norimbergen-

bergenſes: Diplomata *Richardi*, quæ hodie producuntur, dubiæ plane fidei eſſe, dum electus ille quidem fuerit, nunquam tamen quiete regnum adminiſtraverit, nec ab omnibus fuerit agnitus. Cui accedit, quod *Rudolphus* Habsburgicus A. 1281 donationes aliasque *Richardi* conſeſſiones in Comitibus, eodem anno Noribergæ habitis, ſolemni & communi Statuum conſenſu revocaverit. Maxime vero ob id in dubium vocatur fides ac veritas totius Diplomatis, quod eidem *Rudolpho* inſignia hæc Aquisgrani neque oblata fuerint, neque is, peracta coronatione, cuſtodienda illa repoſuerit. In arce enim Triesfeld, prope Rhenum ſita, durante interregno cuſtodita, & Moguntia ei exhibita, ab eo autem in caſtrum Kyburgum translata fuerunt. Quomodo ergo *Richardus* Aquisgranenſibus concedere potuit, quod ipſe non habuit? Mortuo *Rudolpho*, *Albertus* filius ea *Adolpho Naſſovio* exhibuit, eoque occiſo iterum recipiens, Kyburgum illa retulit. Tenuit ea poſtea *Friedericus Auſtriacus*, filius *Alberti I.* & frater hujus, *Leopoldus*, *Ludovico Bawaro* ea exhibuit tandem, ut fratrem eo citius e captivitate liberaret. Nullus ergo Imperatorum utique ad A. 1423 Aquisgrani reliquit inſignia. Quodſi tamen Diploma *Richardinum* aliquam meretur fidem, hoc unum probari inde poterit, quod proprium ornatum regium, quem ipſe ex Anglia ſecum apportaverat, Cœnobio B. V. M. Argentorati donaverit, quod & luculenter aſſerit *Noppius* in *Chron. Aquisgranenſi*. Sed ipſum, quod produxerunt Aquisgranenſes, Diploma, ex quo ipſi manus injicere Clenodiis & reliquiis, a Noribergenſibus hæcenus cuſtoditis & poſſeſſis, conantur, omnibus plane authentici criteriis deſtituitur, imo ex privato ſcripto quoddam decerprum viderur. Scilus enim, Diplomatiſus alias ſolitus, hic exulat totus. *Richardus* non in prima, ſed in tertia, perſona, & modo tantum hiſtorico, loquitur, ſe non Regem Romanorum ſemper *Auguſtum*, ſed Regem *Alemannorum*, inſtituto plane aliis ejuſdem *Richardi* Diplomatiſus modo, nominat.

Sed, licet & omnia Aquisgranenſium, hæcenus prolata, ſubtiliter & ſolide ſatis diſcuſſa & diſputata fuerint, tamen A. 1742,

d. 24 Febr. denuo coram Notario & testibus protestationem interposuerunt illi, custodiam insignium dictorum ex donatione *Caroli Magni*, novo quasi contentiois fundamento, deducentes & aucupantes. Non sine causa miratur Amplissimus Autor malum vulneratæ causæ indicium, dum admodum variant illud jus Aquisgranenses, contendentes jam 1) ex donatione quadam *Caroli M.*; 2) afferentes longævam custodiam insignium istorum; 3) provocantes ad anteriores pro conservatione jurium contra detentionem Noribergensium A. 1658, 1690, & 1711, interpositas protestationes. Sed, quod ad primum, donationis assertæ nullum ullibi exstat documentum aliave probatio, quam tamen in rebus facti nunquam non adesse oportet. *Carolus M.* Aquisgrani sepultum esse in Basilica sanctæ Dei genitricis, inter omnes constat. Corpus ejus in sede aurea sedens positum esse, ense aureo cinctum, Evangelium aureum tenens in manibus & genibus, reclinatis humeris in cathedra, & capite honeste erecto, ligato aurea catena ad diadema; vestitum esse corpus ejus vestimentis imperialibus; cilicium ad carnem ejus positum esse, quod secreto semper induebatur, & super vestimentis imperialibus peram peregrinalem auream positam esse; sceptrum aureum & scutum aureum ante eum posita fuisse dependentia, refert *Monachus Engolismensis*. Sed quis ullum ex omnibus his ad hodierna Imperii Clenodia argumentum ducet? aut quis credet, hodierna Imperii insignia eadem esse, quibus *Carolus M.* tumulatus est, excepto forsitan acinace & Libro Evangeliorum, *Ottonis III* tempore e tumulo isto cum corpore *Caroli M.* effosso. Ulterius urgent Aquisgranenses, civitatem suam semper Archisolum totius Imperii habitam fuisse. Sed regerit Autor, ad necessitatem insignia Imperii custodiendi exinde non valere consequentiam. Nec ex eo, quod aliquot Clenodia Aquisgrani afferuntur, certo concludi potest, etiam reliqua hic esse deposita. Quin potius hoc modo meliori probabilitate inverti posset argumentum: Ubicunque insignia principalia servantur, ibi etiam minus principalia debent custodiri; atqui Noribergæ &c. E. A qua tamen conclusione modeste abstinent Noribergenses. Secundum Aquisgranensium argumen-
tum

tum ad continuam Insignium custodiam provocat. At per seriem Imperatorum contrarium omni fidei historicæ certitudine probat Cel. Autor, ipsos Imperatores *Carolingicæ* stirpis ea secum custodivisse, eorumve custodiam uxoribus & Camerariis demandasse, ex *Hincmaro de ordine palatii* ostendens. Quin imo vix satis tutum eis receptaculum fuisset Aquisgranum, A. 851 & 881 a Normannis misere devastatum, cædibus, rapinis, incendiis, adeo destructum, ut secundum *Annalistam Saxonem* palatium Aquisgranense ad tempora *Ottonis* Imperatoris usque per 80 annos vastatum permanerit. *Conradum* moribundum fratrem *Everhardum* cum sacra lancea, armillis aureis, cum chlamyde & veterum gladio Regum ac diademate ad *Henricum* misisse, narrat quidem *Wittechindus* in *Annalibus*, sed, ea Aquisgrano evocata fuisse, totus silet. Idem & de *Ottonibus* probatur. *Otto* enim *III*, agens in extremis, *Heriberto*, Colonienſi Archiepiscopo, qui tum aderat, insignia Imperii commendavit. Et hic sceptrum & coronam cum lancea *S. Mauricii* secum in Bojuariam detulit. Imperatricem *Cunegundam* regalia insignia, quæ sibi Imperator *Henricus II* reliquerat, gratanter obtulisse *Conrado II*, asserit *Wippo*. Frevola ergo declarat Amplissimus Autor attentata Aquisgranensia, novissimis tantum temporibus excogitata, & miratur, eo præcipue tempore tacuisse eos, quo insignia ista Noriberga Aquisgranum, ad ipsum coronationis actum, deportata fuerunt, *Alberti* scilicet *II* A. 1438, *Friderici III* A. 1442, *Maximiliani I* A. 1486, *Caroli V* A. 1520, & *Ferdinandi I* A. 1531. Protestationes autem de A. 1658 & 1690, ad quas provocant, nullibi plane deprehenduntur, & Noribergenses ignorant eas. Tacent tandem postulationes has omnes scriptores coævi, & ipsi Chronographi Aquisgranenses, interque eos *Noppius* præcipue, qui, dum coronationem *Caroli V*, & Noribergenses insignia & reliquias apportasse, refert, nihil tamen de Aquisgranensium desideriis moneat, quin potius de *Richardo* Rege doceat, sua hunc corona, quam apportaverat secum, coronatum esse, quam postea A. 1262 templo *S. B. V.* dicaverit.

INSTITUTIONES HISTORICO-PHYSICÆ REGNI VEGETABILIS, in usum Auditorum adornatæ a D. CHRISTIANO GOTTLIEB LUDWIG, Med. P. P. Extraord. & Coll. B. M. V. b. t. Præposito.

Lipsiæ, apud Jo. Fridericum Gleditschium, 1742, 8 maj. Plag. 15 $\frac{1}{2}$.

Cum materiæ medicæ studio Historia naturalis & Physica conjuncta sit oportet, quo ex tanta corporum copia selectus eorum, quæ egregio usu se commendant, institui queat. Doctissimus igitur Autor, quo Lipsia clarissimo doctore gaudet, regno minerali & animali relicto, pro ratione studiorum suorum, vegetabilis regni considerationem historicam æque ac physicam sinit. In Prolegomenis fundamenta divisionis trium naturæ regnorum tangit, & corpora, quæ eandem semper formam obtinent, animalia & vegetabilia dicit, illis facultatem locomotivam adscribens, his denegans, mineralia vero a diversitate formæ, sub qua nobis exhibentur, desiniens. *Pars prima*, quæ considerationem vegetabilium historicam exhibet, in *Capite primo* de methodo in omni Historia naturali in genere agit. Characteres corporum, qui in Historia naturali attenduntur, a figura, situ, nexu, numero, & proportione partium, desumuntur, & his cognitio ac inter se comparatio, individua in species, species in genera, disponuntur. Ita methodus formatur, quæ est ordo corporum naturalium, ex convenientia characterum, in ipsis corporibus inveniendorum, constitutus. *Caput secundum* definitiones partium plantæ proponit, quas quidem non fusius recensere possumus, sed tantum cum Autore monemus, crebram disquisitionem earundem in plantarum studio suscipiendam esse, quo discentes se exerceant, & docentes imperfectas magis perficiant. *Caput tertium* diversas plantarum methodos brevissime indicat, & ostendit, quibusnam characteribus varii Auctores in disponendis plantis, imprimis in generibus summis, usi fuerint. *Caput quartum* generum constitutionem, & nomina generica, exponit. Subordinatione itaque generum instituta, characteres in naturales & factitios, sive artificiales, distinguit,

stinguit, & illos ulterius in essentielles & accidentales dividit. Cum vero Autor omnes characteres, ex planta ipsa petitos, naturales dicat, essentielles a flore & fructu, accidentales a reliquis partibus plantæ, sumi posse monet, ita tamen, ut in plantis disponendis ad priores semper, in cognoscendis vero nonnunquam, maxima tamen cum circumspectione, ad posteriores, respiciantur. Subnectit postea varias regulas, tum circa genera ipsa, tum circa denominationem earundem, observandas. Simili studio *Capite quinto* specierum constitutionem & nomina specifica disquirat, differentiam characterum specificorum exponit, & de nominibus formandis varia addit. *Capite sextum* specimen methodi vegetabilium, ex structura floris desumptæ, proponit, & eandem non profus novam esse, monet, cum ex variis Autorum, imprimis *Rivini* & *Linnei*, methodis conceptus, meliori ordine dispositi, hauriantur. Tabula vero methodi hujus synoptica hæc est :


Flores sunt	Plantæ sunt
I. Involuti.	
A. Perfecti.	
I. Petaloidei.	
1. Monopetali.	
α. Simplices.	
a. Regulares.	1. Monopetalæ regulares.
b. Irregulares.	2. Monopetalæ irregulares.
β. Compositi.	
a. Tubulosi.	3. Compositæ tubulosæ.
b. Lingulati.	4. Compositæ lingulatæ.
c. Mixti.	5. Compositæ mixtæ.
2. Dipetali.	6. Dipetalæ.
3. Tripetali.	7. Tripetalæ.
4. Tetrapetali.	
α. Regulares.	8. Tetrapetalæ regulares.
β. Irregulares.	9. Tetrapetalæ irregulares.
5. Pentapetali.	
α. Regulares.	10. Pentapetalæ regulares.
β. Irregulares.	11. Pentapetalæ irregulares.
	Umbel-

- | | |
|----------------|----------------------------|
| 5. Umbellati. | 12. Pentapetalæ umbellatæ. |
| 6. Hexapetali. | 13. Hexapetalæ. |
| 7. Polypetali. | 14. Polypetalæ. |
| II. Apetali. | 15. Apetalæ. |
| B. Relativi. | |
| I. Monophyti. | 16. Relativæ monophytæ. |
| II. Diphyti. | 17. Relativæ diphytæ. |
| II. Nudi. | 18. Nudæ. |


Vocabula igitur definit, & dispositionem exemplis illustrat; quapropter plantas officinales, culinares, & circa Lipsiam sponte provenientes, in tabulas disponit, plantarum officinalium selectarum nomina specifica ordine alphabetico recenset, & nonnullas varietates annectit.

Pars altera considerationem vegetabilium physicam, & *Caput primum* generalia hujus doctrinæ fundamenta, exponit. Modum, internam vegetabilium structuram indagandi, brevissime attingit. Vegetationem scilicet successivam plantæ mutationem, quatenus a motu fluidorum per solida pendet, illustraturus, in *secundo Capite* de partibus vegetabilium solidis agit. Fibram dicit partem filamentis tenuissimo similem, quæ tensioni successive magis magisque usque ad certum gradum resistit, & in eo constituta tandem ex instanti rumpitur. Differentia igitur fibræ vegetabilis & animalis disquisita, membranæ & canalis simplicioris structuram exponit, & inde definitionem & descriptionem cuticulæ, contextus cellulosi, vasculorum, parenchymatis, corporis lignosi, & medullæ, deducit. *Caput tertium* partes vegetabilium fluidas disquirat, aerem & aquam, tanquam fluida plantarum universalia, considerat, & partes varias terrestres subtilissimas, salinas & oleosas, tanquam accessorias, & nutrimentum plantarum constituentes, exponit. *Caput quartum* motum fluidorum per solida in plantis perpendit, & eundem potissimum ab aere ambiente dependere ostendit, variisque experimentis declarat. Perspiratio succi plantarum, qua motus perficitur, contextu celluloso, in interstitiis vasculorum & in cavis eorundem deprehensio, adjuvatur, quod exemplo gossypii

gossypii declaratur. Circulatio vero succorum in plantis eodem modo, quo in animalibus, haud perficitur. Hac generaliori disquisitione præmissa, Autor *Capite quinto* de partibus vegetabilium compositis, nutritioni inservientibus, & *Sectione prima* de radice, agit. Fibrilla, tanquam pars radice primaria, quoad structuram, directionem, & usum, explicatur, & radicum fibrosarum, tum teneriorum, tum lignosarum, bulbosarum, & tuberosarum, structura ex his deducitur, ususque additur. In *Sectione secunda* caudicis structura tum in annuis, tum in perennibus, describitur, & in utrisque nodorum formatio, & ramorum ortus, declaratur. *Sectio tertia* folia exponit. In his partium nexus cum caudice & petiolorum structura, partim expansiones membranaceæ folii, describuntur. Duplex vero foliorum rete potissimum disquiritur, & eorum usus exinde eruitur. Appendicis loco de claviculis, pilis, & spinis, nonnulla adduntur. *Caput sextum* de partibus vegetabilium compositis, generationi inservientibus, & *Sectio prima* de flore, agit. Qua de causa omnes florum partes, tum in se, tum in nexu suo cum aliis, disquiruntur, & per varia argumenta probabiliter ostenditur, negotium generationis vegetabilis in flore absolvi. *Sectio secunda* fructum sistit, ideoque partim thalami diversam expansionem, & seminum adhesionem, partim integumenta fructuum membranacea, pulposa, & ossæ, exponit, usumque fructus in semine perficiendo ponit. *Sectio tertia* germen considerat. Pars vegetabilium, quæ novæ plantæ delineationem sistit, germen dicitur, & hoc vel in semine, vel in gemma, continetur. Membranas, semen involventes, lobos seminales, sive cotyledones, & plantulam seminalem, sistit, quæ ex radícula & plumula constat. Gemmæ vel ex radice, vel ex alis foliorum, in caudice & ramis oriuntur, & in annuis plantis ramulos laterales, sine squamulis prorumpentes, exhibent, in perennibus vero capitula squamis tecta conspiciuntur. Ut hæc tractatio lectionibus Academicis accommodatissima videtur; sic etiam nulli dubitamus, eandem continuato doctissimi Autoris labore magis magisque posse perfici.



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1743

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 613 L 4⁰

D. Adolph Friedrich Hoffmanns Vernunft-Lehre, u.
hoc est,

D. ADOLPHI FRIDERICI HOFFMANNI LOGI-
ca, in qua criteria veri & falsi ex legibus huma-
ni intellectus deducuntur.

Tomi II.

Lipsiæ, sumptibus Autoris, 1737, 8.

Alph. 3 plag. 8.

Profundioris eruditionis naturam quisquis paulo curatius per-
penderit, facili negotio animadvertet, nulla fere re ad sci-
entiarum incrementa plus conferri posse, quam si intellectus
humani leges quam diligentissime evolvantur, & ex iis veri fal-
sique criteria legitime deducantur. Quonquam enim a natura
ita effici sumus, ut secundum has ipsas leges etiam ante illarum
conscientiam agamus atque meditemur; nullo tamen pacto me-
dela adhiberi potest creberrimæ confusioni ac temerariæ, partim
ex negligentia, partim ex multifario partium studio, oriundæ,
applicationi, aut potius abusu, nisi distincta earum cognitio-
ne imbui, imo prorsus illi assuescieri, laboremus. Cui quidem
scopo cum nondum ex assè respondere viderentur veterum Dia-
lecticorum præcepta; illi sane eruditi laude reliquis non mino-
re, nisi forsàn etiam majore, digni censendi sunt, qui ad rectius
excolendum Logices studium operam suam huc usque contule-
runt. Equidem debitus honor Dialecticis raro habetur; cujus
rei non minimam causam ex ignavia repetendam esse existima-
mus, qua fit, ut plerique ingenio suo a natura agili & veloci
vage in scientiarum campo discurrere, quam laborem molestum
difficilemque, suam ipsorum mentem accuratius indagandi, susci-
pere, malint. Nostra vero ætate multæ præterea accedunt cau-
sæ, quibus effici solet, ut statim tædium capiat legentes, ut
primum novæ Logicæ, in publicum emissæ, nomen auditur.
Ut enim jam de iis nihil dicamus, qui, hedera logica su-
spensa, inutiles vendunt subtilitates; neque etiam ventosam eo-
rum jactantiam commemoremus, qui, cum in librorum capitum-
que

que inscriptione mirum quantum promittant, reapse tamen, præter vulgaria quædam monita, lippis quoque & tonsoribus non incognita, vix quidquam laudatu dignum confarcinant; nonne ipsa librorum dialecticorum multitudine premi & plane obrui videntur? Permultas hodie novas Logicas evolere licet, in quibus novi nihil præstitum est, præterquam quod quisque, expilatis aliorum scriniis, crambæ sexcenties recoctæ novum jus affuderit. Quapropter, cum ita assuefacti simus, ut ex libris logicis raro singulare quiddam expectemus, consultum duximus, ab initio statim Lectorum fastidio obviam ire, neque sine præfatione aliqua nos ad recensendam Logicam *Hoffmannianam* accingere, quæ non vulgaris est saporis, sed ita comparata, ut utilitatem ejus experientia quisque addiscere possit, utque ad proferendos regni scientiarum fines apprime idonea videatur. Autor est *Adolphus Fridericus Hoffmannus*, Philosophiæ & Medicinæ Doctor, qui Philosophiam & Mathesin in Academia nostra per plures annos in scholis privatis exposuit, sed morte præmatura ante biennium nobis ereptus est, cum nondum annum octavum & tricesimum explevisset. Admiranda plane in hoc Viro elucebat judicii vis & subtilitas, omniumque animi facultatum acritas dexteritasque eximia. Præceptore potissimum usus erat *Andrea Rüdiger*, qui summo cum amore complexus fuit. Tantum vero abest, ut in sui magistri verba juraverit, ut potius, lætatis etiam aliorum scriptis, præcipue vero singulis disciplinis studiosissima meditatione sæpius subactis, non modo systema sibi condiderit, a *Rüdigeriano* multum recedens, & in quo, quicquid ab aliis vere dictum erat, suo loco dispositum invenias, verum etiam inventis novis, novisque disciplinarum augmentis, ita distinctum atque exornatum, ut majorem cujuslibet disciplinæ partem de suo addere haud immerito dici possit. Dubium non est, si magno huic ingenio vita partim longior, partim quietior, & a varia sollicitudine magis immunis, contigisset, cum universæ Philosophiæ & Mathesi permultum fuisse profuturum. Namque non tantum philosophicas disciplinas publicare constituerat, sed, quod ad mathematicas etiam attinet, varia meditabatur non exigui momenti

menti futura. Interim, cum placuerit Deo, eundem rebus humanis in ipso ætatis flore eximere, habet sane respublica literaria, cur sibi de hoc saltem Opere Logico, felici ingenii *Hoffmanniani* foetu, gratuletur. Quod, cum certis de causis, quas enumerari hic nihil attinet, per aliquot annos ita latuerit, ut, si pauca exceperis exemplaria, officinam typographi egressum non sit, Lectoribus nostris jam quoque annuntiandum esse duximus, quia non erat, quod vereremur, ne novitatis gratiam exuisset. Nimis verbum videri poterat hoc Opus, quippe tria alphabeta excedens. Scilicet in scriptis dialecticis, qui nihil præterea norunt, statim reprehendant prolixitatem, non pensitantes, operationes intellectus omnium latissime patere, quas in libello nimis brevi exponere, nihil est aliud, quam rem ipsam parum sufficienter pertractare. Sed & alia supersunt, quæ ad excusandum Autorem nostrum dicere possumus. Potiores enim regulas exemplis elaboratissimis illustravit, quæ non raro dimidiam aut integram plagulam superant, ita ut in hoc libro simul recentissimæ ex variis disciplinis controversiæ disputatæ sint. Opus ipsum in partes duas, theoreticam scilicet & practicam, distinctum est. Prolegomena duplicis generis præmittuntur. In prioribus termini technici explicantur, quibus Philosophi varia cogitationum genera, quæ occurrere possunt in disciplinis, appellare solent. Hæc enim nomina Autor ad melius dirigendam legentium attentionem, ubicunque operæ pretium erat, sollicitè adscripsit. Philosophiæ deinceps naturam, & disciplinarum ejus sciagraphiam, quæque eo pertinent, exponit; ubi notandum saltem censemus; Autorem theoriam voluntatis humanæ, quæ omnium maxime emendatione adhuc egere videtur, peculiari comprehendere disciplina meditatam fuisse, quam *Thelematologiam* appellat, cujusque manuscriptum integrum reliquisse dicitur, in posterum fortassis expectandum. Jam vero *Capite primo* de Logica, *secundo* de viribus intellectus humani, agit. Hæc quidem doctrina plerumque ad Metaphysicam hodie rejicitur, Noster vero, cum, ad Metaphysicam nihil pertinere, existimaret, præterquam veritates necessarias, quæ in quolibet mundo perinde locum fuissent habituræ, quasque ex entis & mundi natura in genere

genere a priori liceret prospicere, Pnevmatologiæ metaphysicæ nihil, nisi necessariam spirituum naturam, reservavit, Thelematologiæ theoriam voluntatis, Physicæ nexum animæ & corporis, dicaturus, ad Logicam vero simul intellectus humani theoriam referens, ne præter necessitatem disciplinarum numerus, quo delectantur aliqui, excreceret. Interim diffiteri non possumus, caput hoc, quanquam multa comprehendat eximia, emendatione adhuc egere. Legum enim imaginationis uberiorem expositionem omnino desideramus; in explicanda vero sententia interna, sive conscientia, multa admiscetur, quæ plane ferri non posse videntur, & de quibus Autorem ipsum sententiam postea mutasse cognovimus. Succedit doctrina de ideis, sive notionibus, quam *septem Capitibus* complexus est, primum de ideis generatim, postea de eorum subordinatione, tunc de diversitate, porro de gradibus subordinationis & diversitatis, deinceps de claritate, præterea de distinctione, denique de idearum in ideas compositione, præcipiens. Reperies hic ubique elegantissimum novarum animadversionum apparatus; quæ vero singulæ utilitate sua in ipsa meditatione se statim commendant, dilucideque ostendunt, quam immensa sit in notionibus nostris varietas, quæ, nisi probe perspiciatur, omnem illam gignit difficultatem, qua impedimur sæpenumero, quo minus ex intricatis quæstionibus nos expedire feliciter possimus, & cui parum medentur, qui, intempestivo facilitatis studio, perpaucis contenti sunt. Malleus vero, Autorem in excogitandis novis nominibus interdum parciosem fuisse. Monemus quoque, in ipso translationis ordine multa disponi commodius & explicari facilius potuisse; quod exinde est derivandum, quod inter elaborandum Logica hæc prelo per partes subjecta est. Sed hoc parum offendet illos, qui animum non tam ad verba, quam ad res propositas, attendunt, spemque non temerariam concipimus, fore, ut, quicumque solertis sitis afferat, ex hoc ipso libro in meditando tantum proficiat, ut, quæ minus videntur expedita, meliori ordine collocare norit. Sequitur nunc doctrina de idearum in propositiones compositione, qua vix ullam aliam majorem sibi molestiam facessere, Autor confessus est. Hanc vero

ita pertractavit, ut, propositionum præcipue compositarum species adæquatis divisionibus comprehendendo, nec non particularitatis, ut loquitur, certæ & incertæ discrimen recte explicando, tum de ratiocinatione qualibet, tum imprimis de interpretatione, optime meritis videatur. *Capite undecimo* de summis ratiocinationum principiis tam profunde & accurate disserit, ut doctrinam hanc ab iis, qui solidiora degustarunt, non sine admiratione, nedum sine voluptate, legi posse existimemus. Ut summam rei paucis saltem attingamus, ostendit Autor, omnia mortalium ratiocinia ultimo ad tria redire principia, quorum primum & princeps est principium contradictionis, secundum asserit, duas res positivas, quarum una non potest cogitari sine altera, ita, ut, remota una, omnis conceptus alterius esset periturus, etiam re ipsa conjunctas esse, v. g. quando, nihil existere sine causa, facultatem non esse sine subiecto, & sic porro, judicamus. Tertium denique docet, res materiales, quæ cogitatione conjungi non possunt, re ipsa etiam conjunctas non esse, quo enuntiatio v. g. nititur iudicium, nullam materiam ab alia penetrari posse ad punctum indivisibile, nullum punctum diversis coloribus simul præditum esse posse. Differunt autem duo posteriora principia a primo in eo, quod de nexu & conjunctione ejusmodi rerum loquantur, ubi inter terminos, si separentur, vel jungantur, per se non potest ostendi contradictio. Hæc vero principia eo magis animadverti merentur, quia pervulgata est opinio, omnem demonstrationem unice fundari in contradictionis principio, quod sine dubio in Geometria est observatum, at vero, si in universum concederetur, nihil de causis & effectibus, aliisque quæstionibus innumeris, sine principii petitione constitui posset. Ex his igitur tribus principiis docet Autor, quomodo ex una parte, si ad propositiones, de idearum relationibus loquentes, applicentur, omnes ratiocinandi regulæ præfluant, ex altera vero parte, si ad illas adhibeantur enuntiationes, in quibus de rebus determinatis sermo est, tum axiomatum, tum experientia, veritas originem trahat. *Claudit Partem primam* doctrina de veritate, *tribus Sectionibus* comprehensa, quarum in *prima* exponitur natura veritatis, ubi Au-

tor,

tor, quanquam recte sentiens, interdum non satis caute locutus videtur. *Secunda Sectio*, dari veritatem in intellectu humano, demonstrat; *tertia* vero veritatis criteria & genesin tradit. Sic suis imponitur *Parti prima*, in qua de iis rebus disputare animus fuit, quæ veritatis in intellectu humano cognitionem possibilem reddunt. Hanc igitur *altera* excipit, quæ practica est, doceatque, quomodo principiis suppeditatis ad melius dirigendas singulas mentis humanæ actiones utendum sit. Hic, ubi *Capite primo* de instituenda experientia solide præceperat, *secundo* ad conficiendas definitiones progreditur; qui quidem tractatus plane elegans & incomparabilis videtur, quia non modo definitionum genera clarissime dispefcit, verum etiam, quod maximum existimamus, relectis regulis vulgaribus, quæ incertam relinquunt applicationem, doctrinam de constituendis notionibus primis & indubitatis ex ipso definitionum scopo, & naturarum, quæ rebus insunt, diversitate, a priori deducit, nec non de demonstrandis definitionibus ita præcipit, ut consuetæ petitiones principii ab iis facile possint evitari, qui non in erroribus jamjam nimis inveterarunt. Postea, cum *Capite tertio* de divisionibus, *quarto* vero de propositionum emendationibus, fuerat commentatus, *quinto* ad ratiocinationem demonstrativam se accingit, quam *Sectioibus tredecim* ita pertractat, ut non possit non iis placere, qui jam dudum observarunt, non omnia ratiocinia syllogistica methodo in mente progenerari, quanquam, ubi confecta sunt, mutato habitu externo, disputationis gratia in syllogisticos transfundi possint. Præcipue vero, quæ de ratiocinatione verbali, oppositionum, conversionis, relativæ, & causali, meditatus est, maximam animi attentionem mereri videntur. Cum vero in hoc *Capite* ratiocinia non nisi synthetice potuisset pertractare; analyticam quoque considerationem subjungit, *Capite sexto*, quod de demonstrationibus agit, non tantum demonstrationum species explicans, verum demonstrans etiam, unde in diversis rebus demonstrationum materia petenda sit. *Septimum Caput* argumentum pertractat utilissimum, & adhuc fere omissum, de demonstrationum collisionibus, quæ in quæstionibus metaphysicis, physicis, & moralibus,

libus, occurrere possunt. Hæc non ita volumus intelligi, ac si hoc loco de paralogisimorum examine diceretur, quod huc non pertinet. Sermo potius de ejusmodi demonstrationibus collis instituitur, quarum unaquæque principio alioquin vero, sed nobilitate aliis inferiori, innititur. Ita v. g. ex principis, supra suppeditatis, principium secundum & tertium primo cedere in collisionis casu necesse habet. Persuasissimum volumus Lectoribus nostris, hoc *Capite* viam non nimis arduam aperiri, quæ ex perplexissimis controversiarum labyrinthis evadere possimus. Jam *duobus Capitibus* doctrina de probabilitate plane nova & vere practica methodo traditur, quam, non dubitamus, eorum desiderio satisfacturam esse, qui de hac Logices parte parum exculta frequenter conquesti sunt. Pauca saltem excerpemus, salivam legentibus moturi. Propositio in se mere possibilis, & cujus neque veritas potest demonstrari, neque falsitas, per id redditur probabilis, si in ejusdem propositione contradictoria plura sumantur sine demonstratione, quam in illa ipsa. Cum enim, alterutram veram esse, necesse sit, rationi sane & perfectioni humanæ magis congruum est, eam pro vera assumi, ubi paucissima sumuntur sine demonstratione. Omnem igitur probabilitatem partim regulæ, quod inter duas propositiones contradictorias alterutra semper vera sit, partim regulis perfectionis naturæ humanæ, superstruit, quæ exigat, ut ea propositio reliquis anteferatur, cujus ratio magis reddi possit, ita, ut, quemadmodum ex impossibilitate propositionis contradictoriæ enascitur demonstratio, ita ex ejus improbabilitate probabilitas oriatur. Postea, discrimine inter probabilitatem veram & apparentem luculenter exposito, regulas ratiocinationis probabilis eundem in modum subministrat, quemadmodum ratiocinationis demonstrativæ normas antea suppeditaverat. Applicari autem possunt hæ regulæ partim ad propositiones singulares, partim ad universales. Posteriores igitur, si probabilitatem exinde nanciscantur, præsumptiones gignunt, ex quibus quamplurimæ propositiones singulares subsumi possunt, similemque sortiri probabilitatem. Dispescit igitur probabilitatem in eam, quæ præsumtionibus nititur, porro in eam, quæ ex convenientia hypotheseos

potheseos cum phænomenis derivatur, nec non in mixtam, ubi utrumque argumentorum genus concurrat, quia phænomena non modo cum hypothese, verum etiam inter se ipsa, multipliciter conveniunt. Classes igitur præsumtionum disponit, utque perperis earum collisionibus occurratur, regulas demonstrat, ex quibus judicari possit, quænam alteri sit præferenda, quod quidem adhuc nondum factum deprehendimus. Difficile est, elegantissimam doctrinam paucis verbis comprehendere; quapropter Lectores potius rogamus, ut ipsum adeant Autorem, fore, sperantes, ut, quæ ex nostra recensione nondum satis luminis accipere potuerunt, operis ipsius lectione eo magis placeant. Unum adjicimus, Autorem simul commonstrasse, quomodo certis conditionibus probabilitas prorsus æquipolleat demonstrationi, quod quidem multis ipso usu observatum est, nec non quomodo, specialioribus collectis præsumtionibus, scientia critica, hermenevtica, politica, aliæque, optime excoli & augeri possint. Quanquam enim non demonstrari potest propositio, quæ duntaxat est probabilis; hoc tamen demonstrari necesse est, eam esse probabilem. Subsequentia duo *Capita* de methodo agunt, tum de analytica, tum de synthetica, quæ vero difficile in epitomen possunt redigi, sed evidentissime commonstrant, quanto acumine in intimam scientiarum naturam penetrare Autori datum fuerit. Præcipue ea legisse juvabit, quæ de methodi geometricæ, algebraicæ, physicæ, & moralis, discrimine commentatus est, quibuscum si aliorum multorum præcepta contenderis, eos *ἰσοτερον* tantummodo philosophari, non immerito asserueris. Colophonem denique Operi *Capite* ultimo succincta de arte disputandi commentatio imponit, de qua, non est, quod moncamus, nisi quod soliditate reliquis *Capitibus* non inferior sit.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD INCREMENTUM scientiarum, ab his, qui sunt in colligendis *Eru-
ditorum* *Novis Actis* occupati, per *Partes* publicata.

Voluminis I Pars III.

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschium, 1742, 8.

Plag. 12.

B b b

Inſiſtæ

- I**nsistit Musa nostra suo instituto. Scenam aperit *Petri Zornii* *Dissertatio de Libro fœderis antiqui, juxta cum altari vitimarum sanguine consperso, ejusque rei mysterio, ad illustrationem loci Ebr. IX, 9.* Autor jam est Gymnasii Thorunensis Rector, Professor primarius, & Bibliothecæ publicæ præfectus. Inquiret merito in librum illum fœderis, cujus injicitur mentio *Exod. XXIV, 7, & Ebr. IX, 19.* Varias de eo conjecturas recensuit *G. P. Morlius*, nec non *J. H. Opitius*, *J. C. Wolfius Biblioth. Hebr. P. II pag. 215*, & *Conv. Ikenius*. *Joannes Braunius*, illum extitisse a Pentateucho diversum, ac intercidisse, autumavit. Quam quidem sententiam Noster minus probat, opinatus potius, indicari per *כְּסֵפֶת* & *βιβλίον libellum*, qui leges, a Deo in monte Sinai acceptas, complexus fuerit, & quas *Moses* conscripserit *Exod. XXIV, 3*, ac libro postea inseruerit *Exod. XIX, 21 seq. & XX, 1-17.* Urit Exegetas scrupulus alius. *Moses* de adspersione libri per sanguinem facta, quam *Paulus* memorat, tacet. Acquiescit Autor in pronuntiato *B. Jo. Franc. Buddei*, qui existimavit in *Meditationibus sacris pag. 22*, *Paulum* verba *Mosis* ita recitasse, ut interpretis simul & explanatoris munere sit functus. Scripsit enim *Moses* ex divino afflatu, & Judaica ex antiquorum Ebræorum libris, sua ante superstitionibus, edoctus.
370. Quæritur denuo, quomodo liber fœderis conspersus sanguine ob crebras ex sanguine adperso lituras prælegi potuerit. Respondet Noster, membranas, convolvi solitas, rarissime in parte
374. aversa seu exteriori literis fuisse consignatas. Mysterium adspersionis determinat in fide, sanguini Jesu innixa, qui vim expiandi
376. miseros mortales habet. Succedit *Joannis Jacobi Bossii*, S. Theol. Bacc. & ad D. Petri Catech. Lipsiensis, *Meletema exegeticum de Ornata sponsæ, conversionis gentium ad ecclesiam Novi Fœderis symbolo, ad illustrandum Jec. XLVIII, 18.* Loci *Esaiæ* analysin is curatam scopumque, quem contra *Grotium* aliosque asseruit, exponit. In subsidium & confirmationem sententiæ suæ insignem *Cyrilli Alexandrini* locum vocat. Emblemata Prophetæ evolvit, significatumque vocum *כֶּלֶב*, *לֵבַשׁ*, & *עֵרִי*, edisserit, ac vocis postremæ vim, quæ *ornatum* denotat, vindicat contra *Vistringam*. Sententiæ prophetiæ explicationem addit exegeticam, ac ad latius temporis spatium, quam quod *Vistringa* defini-
384. niverat,

niverat, vaticinium spectare ostendit. Vocem **NON** deducit Pag. 403, ex transposita voce **ON**, ac ea promissionem, jurejurando confirmatam, declarari arbitratur. Excipit hanc translationem luculentissimam *Jo. Christoph. Harenbergii Dissertatio, qua, hominem, a Deo creatum, esse ad imaginem Dei conditum, & ea maximam partem per libertatis abusum homines carere, ex lumine rationis ostenditur.* Id potissimum agit Autor, ut spectatissima historiae *Mosnica* momenta, inde a condito mundo usque ad inundationem, telluri omni incubantem, porrecta, rationi recte adhibita consentanea esse, demonstrat. Autorem mali sempiternum, nec a Deo pendentem, dari negat, ostendens, eum ne quidem existere posse. Vindicat deinde Deo praescientiam eventuum futurorum, moraliter contingentium. Ostendit, opinionem eorum, qui praescientiam illam Deo haud tribuunt, pugnare cum summa Dei sapientia, ac ejus immutabilitate & infinitate. Dari phaenomena telluris, quae sapientiam Dei summam, ac praescientiam ejus universalem, tollant, inficiatur, revocans illa phaenomena ad luculentam Dei sapientiam, re ipsa demonstratam. Libertatem hominis distribuit in eam, quae consistit in facultate extra usum posita, ac in illam, quae ad res agendas applicatur. Illam vocat indeterminatam, & utrinque patentem; hanc determinatam, ac ratione sufficiente nitentem. *Determinatio seu positio unius actus e duobus actibus aequae sua natura possibilibus, quorum alter alteri repugnat per modum contradictionis, ipso jure, locum invenire non potest citra effectiorem.* Actus porro: *Effectio cogitari nequit citra relationem ad actionis rationem sufficientem.* Inde colligit, actiones, libertate applicata fieri solitas, praecognosci posse, conjecturasque politicas hoc principio niti. Adjungit tandem & hoc: *Quo ipso evidens est, actiones, e libertate applicata orituras, a Deo praesciri posse.* Docet deinde, per libertatem applicatam non inferri mentibus vel rebus necessitatem, aut fatalem, aut physicam. Perfectionis notionem vindicat. Dari moralitatem internam, ostendit. Obligationis moralis vim a Deo derivat. Deum esse legislatorem, esse in essentia & attributis immutabilem, esse infinitum & omnium contingentium praescium, sanctissimum, agere convenienter sibi sapientissime electo, ac esse dominum hominum & sapientissimum

404.

406.

413.

414.

417.

423. *animam & optimum, demonstrat. Immortalitatem animæ docet esse invivamentum, quo Deus nos ad actiones bonas perficiendas obligarit. Ostendit itaque, animas non esse corporeas, nec corpus cogitare posse, argumentis antea non ex omni parte sic evolutis. Monstrat, elementorum simplicium, e quibus corpora constant, totum illum complexum haud posse spectari ut unum subjectum cogitans, neque unam ex diversis illis particulis, per hypothesein, dicis causa assumptam, cogitantibus, cogitationem prodire posse. Tum docet, animam humanam esse individuum, seu simplicem, per sese non interire, nec Deum eam in nihilum velle redigere, animam semper persistere actuosam, & cogitandi appetendique viribus præditam, esse incorruptibilem, immaterialem, & immortalem. Animam & corpora prima divinitus esse creata, hominemque primum a Deo esse creatum, monet, ostendens, generis humani existisse primordium. Ostendit porro, Deum contulisse hominibus primis, creatis a sese, tantum boni & perfectionis, quantum hi per scopum, quem consequi poterant, & naturam suam, capere potuerint. Interjectis nonnullis, docet tandem, hominem primum ad imaginem Dei fuisse conditum. Rationem pronuntiati desumit ex proxima hominis primi cum Deo similitudine, quam in perfectionibus animæ & dominatu telluris generatim ponit, speciatim vero in perfectionibus moralibus, & imprimis sanctitate, collocat, prouti vox imaginis Dei vel late, vel anguste, sumitur. Illam priorem ostendit maximam partem periisse, hanc vero, anguste acceptam, prouti intercidisse, docet, provocans ad indolem & actiones universi generis humani. Rationem, cur posteris primi hominis labes hujus imputari possit, detegit quandam probabiliter.*
440. *Finitudinem virium & labilitatem primi hominis cum perfectionibus operibusque Dei conciliat. Ad quæstionem, cur Deus haud impedierit, quo minus homo primus imagine Dei sese exuerit, respondet, illud, quod omnibus Dei attributis repugnet, si effectum sit sortiturum, per sanctitatem Dei impediri & posse, & ut impediatur, conveniens esse. Negat vero, permissionem mali moralis repugnare universis Dei perfectionibus, ac imprimis ejus sanctitati. Dignoscit permissionem mali pravam*
- a recta.*

a recte. Illam tradit consistere in eo, si quis actionem, cui per se inest peccatum, impedire & potest & debet; hanc consistere in eo, si haud deceat impedire omissionem debitæ obedientiæ ob eventum connexorum salutare & excellens bonum. Ad-
 die tandem: *Ob malum morale sequitur in peccante malum physi-* Pag. 443.
cum, & in peccantis rebus succedit faustitati maledictio. Sancti-
tas Dei legislatoris sic id ipsum exigit. Non itaque est miran-
dum, exstare in ambitu terrarum passim inundationes, famem,
bella, pestem, miseria, incendia, procellas, aeris subitas vicissitu-
dines, grandinem, ac complura alia sanctissimi legislatoris monu-
menta, maledictionis plena. Deploranda sane hominum est cæci-
tas, quos tot monumenta luculentissima haud convertunt in horro-
rem peccati, in mentis emendationem, ac in salutem humani ge-
aeris novam. Et haenus quidem nihil suppetit rationis, cur ea, 444.
qua Moses de conditione hominum duorum primorum tradidit, in
dubitationem ullam revocemus. Hinc progredimur ad Jo. Hen-
rici Leichii, Lipsiensis, Specimen Notarum & Emendationum ad
Græcas Inscriptiones, a Cel. Muratorio editas, postquam de Jo.
Conr. Schwarzii Observatione, ad originem nominis Enthusiastmi
spectante, pauca dixerimus. Hic originationem, ex ἱδνα &
αἰος arcessi vulgo solitam, proscibit, & ei præfert aliam, ratus,
enthusiastmum denominari ex ἱδναίον. Nam, qui apud gentes
priscas pleni videbantur esse Dei alicujus, ii, propter vividam
& agilem Deorum naturam, vi quadam & motu efficacissimo
pollere videbantur. Enthusiastmi hæc notas declaravit Plutar-
chus de Oraculorum defectu pag. 432. Addit Autor loca alia, 448.
quibus eadem significantur. Confirmat deinde originationem
suam ex vocibus ἱδναίον, ἱδνας, & ἱδνα, ac illusionibus ve-
terum Autorum ad hunc significatum. Sed progrediendum est
ad Leichii specimen, & operosum, & lectionis multijugæ plenis-
simum. Cel. Muratorius novum ac splendidum antiquitati lu- 451.
men accendit, dum literatos lapides, partim nondum editos,
partim ab eruditis, aliud agentibus, vulgatos, vel collectos, con-
junctim emisit. In his nonnullos, quorum jam Græverus cete-
rique collectores mentionem fecere, Autor deprehendit. Per-
multis id ipsum indicia ac speciminibus comprobatum reddit.

- Monet, Inscriptiones dari fectas, magnam earum partem recens esse factitatam, licet pro veteribus ipsæ habeantur, ac nonnullas minus castigatè editas. Singula hæc monita exemplis illustrat
509. Pag. 488. luculentis, ac Inscriptionum complures Græcas feliciter emendat, & a nævis repurgat, immo plerumque ex antiquitatis penu exponit. Ad formulam, *σπένδεν δάκρυα*, annotat, vocem *σπένδεν* proprie ad fecta ex aridis libanda spectasse. Omittimus reliqua, apud Autorem legenda. Repetimus ea, quæ ipse orationi subjungit in calce: *Ceterum, sicut has in Cel. Muratorii Thesaurum conjecturas, non carpenti summi Viri, cujus in literis nomen æternum erit, studio, sed ut eximia illa & nulli secunda veterum lapidum collectio paulo emendatior haberetur, conscripsi, ita, si quis parum recte a me exposita, (erunt autem forte non pauca,) ad acriorem limam revocabit, magno me beneficio obstrictum habebit. Accedimus nunc ad Emendationes & Explicationes aliquot locorum Ciceronis Grævianas, sub modestum judicium vocatas a Frid. Ottone Menckenio. Prosequitur Autor summo honore manes Grævianos, ac, eorum, qui eadem sunt pietate imbuti, pace, expromit hic tale quid, unde constare possit, quantaquanta Grævii aut in emendando vis ingenii, aut solertia in explicando, fuerit, caute tamen prudenterque hujus esse opibus utendum, nec injuriam fieri tanti hominis memoriæ, si, illum sui parum interdum fuisse similem, dicamus, aut, quod idem est, Grævium in Grævio desideremus. Ponere est nonnunquam idem ac *subornare*; sed male ad tuendum hunc significatum utitur Grævius loco Ciceronis *Lib. I in Ver. Cap. 29*, ubi & Editores omnes, & ipse Grævius, parum hic memor sui, apponitur legunt. In verbis Orationis pro Domo sua *Cap. 5*: *Nonne providendum Senatui fuit, ne in hanc tantam materiem seditionis ista funesta fax adhaeresceret*, pro *adhaeresceret* legere nos *adolescere* jubet Grævius, sed cujus emendatione haud esse opus, Noster docet. Grævius in *Or. Phil. VI Cap. 3* edidit hæc: *denuntio, ante prædico*. Sensus postulat hanc interpunctionem: *denuntio ante, prædico*, & ipse Grævius in *Att. I in Ver. Cap. 12* in exemplo alio id agnovit. Non potuit ferre Grævius illud *aliumvis* in *Lib. VIII ad Att. Ep. 4*, legens *alium vis*, vocibus duabus separatis. At sensu calla est hæc mutatio,*
- Grævius

Gravius voci *reportare* substituendam esse statuit *deportare* in *Or. II contra Rul. Cap. 23*, sed id præter causam idoneam. Per indignitatem *Gravius* in *Lib. X ad Attic. Ep. 8* putat designari indignationem. At illa indignitatis vox significat gravem injuriam, contumeliam. Notas vocavit Cicero in *Orat. pro L. Mur. Cap. 11* obscuras illas & contortas formulas, quas Jcti veteres ad id composuerant, ne jus & actiones juris cuilibet ex plebe paterent, & ut haberent ipsi jus quoddam quasi sibi proprium, quod dispensare pro arbitrio ipsi soli possent. Respondere alicujus liberalitati, quod legitur *Lib. IV ad Attic. Ep. 3*, nihil cum formula, respondere ad tempus, commune habet, sed idem, quod satisfacere alicujus liberalitati, paria præstare, significat. Exemplum *Lib. IV ad Div. Ep. 4* non est idem, quod apographum, sed quod formula. In *Orat. pro A. Clu. Cap. 5* nihili est, quam *Gravius* posuit, vox convincta, commutanda cum alia conjuncta. Scindere dolorem, vulnus, Latine dici, negat *Gravius*, ideoque *Lib. III ad Attic. Ep. 5* rescindam legit, sed quem meliora docere & natura vocis, & locus *Ovidii Remed. Am. v. 729*, ubi exstat scindere vulnus, potest. Offendere in plurimis *Ciceronis* locis passive usurpari, sibi persuaserat *Gravius*, sed qui non satis intellexerat illa loca. Majestatem pro vi ac numine Deorum usurpari, plurima loca *Ciceronis* docent, ignorata *Gravio*. Commissionem ludorum *Lib. XVI ad Attic. Ep. 5* idem esse, quod initium ludorum, non, quod ludi ipsi, neganti *Gravio* ostenditur. Verbum offundere cum casu quarto recte jungi, idem negat *Gravius*, sed cui non succurrebant loca *Taciti*, *Valerii Maximi*, & ipsius *Tullii*. Conferre idem est, quod convertere, nec in *Or. pro Sulla Cap. 14* convertistis pro contulistis legendum. Derogare etiam cum casu quarto jungi, *Orationis Tullianæ I pro C. Cornelio Fragmentum* docet. Educere idem valere, ac in jus vocare, ignoravit, quod mireris, *Gravius*, in magna copia exemplorum *Tullii*. Nec minus mireris, ignotam huic fuisse verbi ejicere eam vim, qua exhibilare, repudiare, notat, & de rebus quibuscunque ponitur. Formulam, ab aliquo loco fugere, idem negat in Latinis habendam, plurimis licet probatissimis Autoribus, & in his ipsi *Tullio*, usitatam. Eidem, La-

Pag. 522

524.

tii finibus proſcribenti formulam, *judicium facere*, absolute pro
judicare poſitam, unum & alterum ipſius *Tullii* exemplum Noſter
 opponit. In extrema hac Diſſertatione vulgaris loci *Ciceronia-*
ni Lib. XII ad Attic. Ep. 40 lectio: *quia diſceſſus eſt*, adverſus
Grævianam: quia diſceſſimus, modeſte defenditur. Paſſim præti-
 cavit Autor Viri Celeberrimi, *Joannis Auguſti Erneſti*, in linguam
 Latinam merita, nunquam ſatis laudanda. Mentionem præterea
 injicit *Obſervationum lingua Latina*, quibus Muſa ipſius or-
 bem literarum ditabit. Lectorem oramus, ut reliqua apud Au-
 rorem legat & expendat, ac exinde, *Ciceronis* Opera puriorem
 ſtagitare editionem *Græviana*, fateri nobiſcum velit. Ex allatis
 enim exemplis poterit quiſque *judicium facere*, quanti opera
Grævii hinc inde ſit faciendæ, & quam modeſte eam Duumviri
 Pag. 547. notarint. Reſtat, ut de ſumma *Epistoiarum quatuor*, ad *Ottone*
Menckenium a *Guilielmo Caveo* ſcriptarum, aliquid addamus.
Caveus Menckenio, effigiem ipſius petenti, tam ſcite & jocose,
 ſimulque graviter, reſpondet, ut candor & ingenuum pectus
 552. *Cavei* lectori non poſſit non placere. Se alia epiſtola oſtenſu-
 rum ſpondet, *Hiſtoriam Byzantinam Geneſii*, cui tribuitur, eſſe
 foetum verum & geminum. Et eo quidem promiſſo ſeſe ex-
 ſolvit in *Scriptorum Eccl. Hiſt. literaria pag. 499*. Anno 1695
Caveus in integra incidit morborum agmina, ſcribens, ſe nil niſi
 mortis eſſe imaginem. Non poſſunt non ea, quæ Anglus ille
 ubique literaria immiſcet, lectori eſſe multo gratiſſima.

NOVA LITERARIA.

Prodiit hæc ita pridem Lipſiæ *Lexicon Hebraicum Jacobi*
Guffeſii, duobus Voluminibus in forma quarta, ſuntibus bi-
 bliopolæ *Deerii*, impreſſum, & a priori editione Amſtelædamenſi
 differens, quod ex Præfatione *Jo. Chriſt. Clodii*, Profeſſoris
 Publ. Lingu. Oriental. in hac Academia, patet. Non enim ſo-
 lum Notis Mſtis, ab ipſo Autore adjectis, eſt auctum, ſed &
 Supplemento, quod prelum jam ſubiit, & futuris nundinis
 publicabitur, augendum. Reliquas a Batava editione differen-
 tias Præfatio docet.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii Anno MDCCXLIII.

ΜΑΞΙΜΟΥ ΤΥΡΙΟΥ ΛΟΓΟΙ. MAXIMI TYRII
*Dissertationes, ex recensione JO. DAVISII. Editio al-
tera, ad duos Codices MStos locis quamplurimis emen-
data, Notisque locupletioribus aucta. Accessere FER.
MARKLANDI, Coll. D. Petri Cantabrig. Socii,
Annotationes.*

Londini, excudit Guil. Bowyer, sumtibus Societatis, ad
litteras promovendas instituta, 1740, 4 maj.

Alph. 4 plag. 3.

Hic est primus liber, qui sumtibus ejus Societatis pro-
diit, quæ se Londini, literarum bono, conjunxit. Ea
sibi Societas etiam hanc legem dixit, ut, quoniam li-
bri reconditoris doctrinæ haud facile redemptores inter librarios
inveniunt, ipsa sumtus in ejusmodi libris edendis faciendos con-
ferret, hac conditione, ut, venditis tot libri exemplaribus, unde
sumtus facti redirent, reliqua auctori operis cedant. Ceterum,
eum non conveniret, a quo libro potissimum fieret initium, *Rich.
Mead*, Vir Clarissimus, ejusque Societatis non ultima pars, *Ma-
ximum Tyrium* proposuit, a *Davisio* secundis curis expolitum,
frustra illum non semel librariis oblatum. Hoc consilio probato,
idem fuit Societati auctor, ut ejus libri edendi cura *Joanni Ward*,
Viro doctissimo, mandaretur. Qui, cum hac doctrina esset,
ut posset, ea etiam humanitate fuit, ut vellet hunc laborem liben-
ter, etiam *Meadii* auctoritate permotus, suscipere. *Davisius* qui-
dem, etsi opus quatuor ante mortem annis absolverat, ini-
tiumque

tiumque præfandi jam fecerat, tamen, incertum, qua de causa, ineditum reliquit. Erat tamen non indignum, quod ederetur, cum locis quamplurimis vera Autoris sententia restituta esset, multumque ei e Codicibus MStis, & a doctrina *Davifiana*, ornamenti accessisset. Contulerat enim *Maximum* cum duobus Codicibus MStis, altero Parisiensi, altero Comitum Oxoniensis, ex iisque multis locis veram *Maximo* lectionem restituerat. Notas deinde, quæ breviores in prima editione fuerant, locupletarat, & multis rebus luculentiores fecerat. Interpretationem tamen Latinam priorem intactam reliquerat. Ceterum hæc mora, huic secundæ editioni injecta, in bonum literarum vertit. Nam interea, dum *Davifianum* opus ineditum jacet, *Jer. Marklandus*, Vir Clarissimus, in priorem *Davifi* editionem luculente commentatus est. Ad eum igitur cum fama de hac nova editione esset perlata, rogavit, ut sibi ejus inspiciendæ copia fieret, antequam in publicum prodiret, pollicitus, si qua notatu digna in Commentariis suis essent, quæ *Davifi* diligentiam fugissent, ea se una cum *Davifianis* edi passurum. Accepta est conditio. Itaque inde perampla annotationum copia *Davifianis* accessit. Ex tamen ex multo pluribus sunt excerptæ. Id accidit hac de causa, quod *Davifius* in hac editione adeo frequenter a priori discessit, ut *Marklando* non dissensus venia petenda esset, sed rogandi lectores, ne in illo, interdum plane miro, in sententiis consensu (vid. v. c. *V, 9*.) calumniarentur, cum omnia ista ante fuerint scripta, quam quidquam de his *Davifi* secundis curis non modo viderat, sed audiverat. *Marklandus* autem de *Maximi* Dissertationibus ita statuit, ut credat, ipsum *Maximum* eas bis edidisse. Id dudum suspicatus erat e Codicibus Regii & Florentini lectionibus, quæ in priori *Davifiana* sunt; sed, inspecta hac nova, nihil dubitationis relinquebatur. Nam Codex Regius, Harlejanus, & *Cosmi Pacii* Versio, e Codice Mediceo facta, in Lectionibus plerumque tam insignibus conspirant, & tam longe discrepantibus a scriptura vulgatarum antea editionum, quæ tamen ipsæ e MStis Codicibus venere, ut incredibile sit, eas varietates a librariis ortas esse. Nam fere sensum meliorem efficiunt, & argumentationi profunt, & eam interdum subtilita-

tem habent, ut a nemine, nisi autore, vestigia sua quasi relegente, & errata sua emendante, proficisci potuerint. Juvat, e magno exemplorum numero unum & item alterum proponere. *Dissert. l. f. 4* agitur de *instabilitate voluptatis*, & non negare se, dicit *Maximus*, sive alius quis, voluptatem esse bonum. Sed probari vult, esse *stabile*. Id si probari potest, inquit, ἀνέξομαι τὸ λόγῳ, *admittam orationem tuam, & virtutem negligam*, &c. Ita erat in MSs, e quibus vulgatae fluxere. Nec dubitat *Marklandus*, quin ea lectio ab ipso *Maximo* sit. Sed *Regius*, *Harlejanus*, & *Pacii*, Codex habent ἀνέξομαι ἠδόμενος τὸν πάντα χρόνον, *voluptati per totam vitam tempus indulgebo*; quod *Marklandus* multo pressius putat, quam vatum illud τὸ λόγῳ, & ad argumentum accommodatius. Certe pro aberratione aut interpolatione librarii haberi non potest. Porro *Dissert. XXXI, 3*, pro ἐλέγξαι τὸν ἄνδρα, hi Codices habent ἐλέγξαι τὸ τὸ λέγοντος ἦχος, pro quo *Davisius* optime restituit λέγοντος ἦθος, *indolem loquentis monstrare*. Haec lectio praestat, cum sensu, melius enim τὸ ἦθος τὸ λέγοντες opponitur τῇ βίωμῃ *ferarum*, tum elegantia: praecessit enim paulo ante ἀνδρός, neque adeo veniente tam parvo intervallo eadem vox repeti potest. Sed non minus luculentum duplicis editionis, ab ipso *Maximo* profectae, argumentum librarii praebent. Hi enim commiserunt, ut utriusque editionis lectiones in contextu multis locis adhuc conspiciantur. *Dissert. XXII, 5*: τριῶν δὲ πολιτειῶν τρία τ' αὖ μιμήματα βίων ἰδοὺς αὖ ἐν ἀνδρώπῃ ψυχῇ. Hic vox βίων abundat, neque est, quorsum eam referas. Videtur ergo *Marklando* *Maximus* primum edidisse τριῶν δὲ βίων &c. postea rescriptisse in secunda editione πολιτειῶν, quod verbum contextui multo est accommodatius. Porro *Dissert. XIX, 5*, ex *Euripidis Phoenissis v. 18* *Maximus* citaverat in prima editione oraculum, *Lajo* datum:

μη σπαίρε τέκνων ἄλοκα δαιμόνων ἄτερ,

errore memoriae, pro, δαιμόνων βία, *Diis invidis*, ut est apud *Euripidem*. Hunc errorem deprehensum in secunda editione correxit, & reposuit δαιμόνων βία, rejeclaque post erat in marginem lectio ἄτερ. Sed librarii eam ibi haud reliquerunt.

Nam Harlejanus habet *δαμόνων βιβλία*, quod omnes vident esse ex *βία* & *ἄτρε*: unde magnam speciem accipit sententia *Marklandi*. In universum Cl. *Marklandus* has Dissertationes festinanter & parum accurate scriptas esse judicat. Ejus rei duo argumenta sunt. Primum, quod pleræque citationes ex vetustis scriptoribus, & historiæ multæ adeo negligenter ab eo productæ sunt, ut facile appareat, eas non ex ipsis scriptoribus, sed e memoria, petitas fuisse. Ejus generis exempla quamplurima in *Davifianis* Notis reperiuntur. Ex quo intelligitur, has Dissertationes scriptas esse non ab homine in museo inter libros suos posito, sed angustiis temporis incluso, extemporali celeritate. Philosophi hi, e quorum genere Noster fuit, magnam vitæ partem peregrinando per celeberrimas terræ regiones consumere. Jam, cum in splendidam aliquam urbem venissent, sive rogati, sive sua sponte, diem promittebant, quo ingenii sui specimen publica aliqua recitatione darent. Hujus generis sunt *Apuleji Florida*, *Luciani Scytha*, *Aristidis Cyzicena*, & alia. Ejusdem modi videntur pleræque harum *Maximi* Dissertationum fuisse. Itaque fieri non potuit, quin interdum quædam non satis accurate efferrentur, non solum in factis commemorandis, sed etiam in argumentando. Injuriam Vir Clariss. arbitratur *Maximi* ingenio atque doctrinæ fieri, si ulli alii causæ, quam festinationi isti, tot errores attribuantur, qui in his Dissertationibus reperiuntur. Hisque adeo permotus putat *Maximum*, ut alteram editionem curaret. Et eæ quidem emendationes, quas e secunda editione putat esse in Codice Regio, Harlejano, & *Pavii* Versione, pleræque pertinent ad restituendam partem argumentativam; historicorum autem erratorum vix unum sublatum reperias: quod est sane mirandum, si *Maximus* secundas curas his Dissertationibus adhibuit, quibus ille ejusmodi peccata vel maxime tollere & potuit & debuit. Quodsi Philosopho plus dicamus argumenta curæ, quam historiolas, fuisse; tamen etiam in illo genere ipse *Marklandus* fatetur multa superesse tollenda, quæ ille non viderit, certe non sustulerit: eaque diligenter sunt ab ipso in animadversionibus notata. Neque tamen propter ea contemni has Dissertationes vult Vir Clarissimus, sed potius propter rerum

rerum & quaestionum gravitatem, propter ingenii acumen & a-
mcenitatem, inventionem felicem, & eruditionem diffusam, dili-
genter legendas censet. Ceterum, ratione Operis cognita, &
Marklandina de Maximi Dissertationibus sententia prolata, age,
ad Notas, cum *Davifianas*, tum *Marklandinas*, veniamus, & de
iis, quantum instituti nostri ratio fert, dicamus. Atque illud qui-
dem jam vidimus, *Davifium*, a prioris editionis lectionibus, au-
toritate MStorum Codicum commotum, recessisse, interpretatio-
nem autem Latinam intactam reliquisse; quod cum aliquid non
modo incommodi, sed etiam deformitatis, habeat, miramur sane,
qui commiserit Cl. *Ward*, ut, ista Graeci textus & interpretatio-
nis discrepantia hujus editionis splendorem obscurari, pateretur.
Non hoc probet auctor Aesles. Nos quidem non dubitamus,
quin *Davifius*, si ei licuisset, aut si voluisset, ultimam secundae
editioni adhibere manum, eamque in lucem edere, hanc macu-
lam ei absterfurus fuerit. Adeo autem cessit horum Codicum au-
toritati, ut etiam ordinem Dissertationum vulgatum mutaret,
& eas digereret ad eorum formulam, quam ille jam in editio-
nis primae Praefatione proposuerat. Sed, ut eo facilius Lecto-
res nostri judicare possint, primo, quantum primis *Davifii* No-
tis adjecerint secundae ejus curae, deinde, quid *Davifianis* ob-
servationibus a *Marklandi* ingenio & doctrina accesserit, spe-
ciminis causa observationes utriusque ad Dissertationem X, vul-
go *XXIX*, excutiemus, quae consilium istud capientibus pri-
ma oculos pepulit. Ac primum comparantibus utramque edi-
tionem hoc apparuit, *Davifium* Notas 1, 2, 4, 5, 7, 9, 15, 21,
23, 25, 27, sustulisse. Recte. Res enim vulgares & in omni-
bus Historiae philosophicae libellis & Lexicis historicis obvias ha-
bebant, quarum explicationem, qui *Maximum* legunt, non
profecto desiderant, neque hujusmodi Notis oneranda sunt edi-
tiones veterum Auctorum; quippe nullus Notarum scribenda-
rum finis foret. Eas autem Notas, quae ad constituendum con-
textum, aut illustrandas res locutionesve non ubivis obvias, per-
tinent, non modo reliquit, sed etiam egregie auxit. Atque,
hoc instituto eum in toto Opere usum esse, reperimus. Porro
lectiones variantes, e Codicibus Regio & Florentino in Notis ante

commemoratas, probatasque plerumque, in contextum *Maximi*, id quod supra jam retulimus, intulit, & pluribus aliis locis contextum, Codicum, postea collatorum, ope, sanavit; quas omnes emendationes commemorare, non est necesse. Aliquot igitur illustrati emendatique *Maximi* specimina attulisse, sat erit. *Maximus* bis in hac Dissertatione τῶ ἥττον jungit comparativum pro positivo, ἥττόντι δεξιωτέρας, ἥττόντι σοφώτερον. Id in prima editione monitum erat. Nihil præterea. Nunc vero etiam ostenditur, *Aristotelem* ita locutum esse *Nicom. VI, 5*: ἥττον αἰρετώτερος; idque imitatum *Arnobium Lib. VII pag. 282*: minus gratior & jucundior sanguis. In vulgatis *Maximi* editionibus erat: ἐκ ἀνερχομένη τῶν ἀνιγμάτων, ἐξεκόλαψέ τε καὶ ἀπέδυσσε Φιλοσοφίαν. *Davisius* notaverat, *Heinsium* legi velle: ἐξεκάλυψε. Id nunc repertum in Reg. & Harlej. Codicibus restituit *Maximo*, subreprehendens *Heinsium*, qui eam lectionem ingenio potius, quam Codicibus, tribuat, idque passim faciat. In quo ei profecto injuriam facit. Neque enim magni ingenii est, videre, ἐξεκόλαψε locum non habere, & ex altero verbo ἀπέδυσσε colligere, ἐξεκάλυψε legendum esse; nec, *Heinsium*, aliis majoribus decoribus insignem, ejusmodi emendatione, e Codice sublesta, ingenio suo vindicando gloriolam quasivisse, credibile est. Porro in vulgatis & prima editione hæc legebantur: Πλὴν εἰ μὴ νομίσεις Ὀμηρον ἐντετυχηκέναι τοῖς θεοῖς τεθύσσειν, ἢ διαλεγομένοις ἢ ΘΥΟΥΣΙΝ, ἢ ἄλλο τι δρῶσιν - - εἰδὲ γὰρ Πλάτωνα ἠγχιτέον ἐντετυχηκέναι τὸ Διὶ ἠνιοχῆντι καὶ φερομένῳ ἐπὶ ΠΥΘΙΝΟΥ ἈΡΜΑΤΟΣ - - εἰδὲ γὰρ δαιτυμένοις τοῖς θεοῖς, ΟΥ ΔΙὸς ΚΑΙ ΤΗΣ ΑΦροδίτης ΓΑΜΟΙΣ. Primo monet, illud θύσσειν alienum esse; neque enim unquam Deos legi sacrificasse. *Heinsium* deinde legisse μεθύσει; sed id quoque nunquam fingere *Homerum*. Ipse ergo conjicit legendum πίνεσιν, quod sæpe est apud *Homerum*, & ipse *Maximus* in hac Oratione dicit: πίνει μὲν καὶ παρ' Ὀμήρω ὁ Ζεὺς. In quo tamen reliqua est illa dubitatio, quomodo in verbo noto πίνεσιν librariis in mentem venerit scribere θύσσειν, & an non μεθύσειν possit poni sic, ut non ebrium fieri, sed se largius invitare, significet, etiam citra ebrietatem. *Marklandus* quidem verbo as-

sentitur

sentitur *Heinsio*. Deinde affert locum *Platonis e Phaedro*, ad quem *Maximus*, πτηνὸν ἄρμα memorans, respexit; locum item *Philostrati in Vit. Apollon. II, 22*, in quo ad eundem *Platonis* locum respicitur; idque non animadvertentem *Godofr. Olearium*, miras in Notis ad eum locum turbas dedisse, monet, recteque *Jac. Gronovium* apud *Origenem* in *Philosophumen. Cap. 19* pro Ζεὺς TENON ἄρμα ἐλάωνων conjecisse πτηνὸν ἄρμα, quod spernens *Wolffius*, ignorato, ut faterur, *Platonis* loco, male suspicatus est ἕτερον. Denique in prima editione scripserat, pro ἢ Διὸς καὶ τῆς Ἀφροδίτης γάμοις recte MStos habere ἐν Διὸς καὶ τῆς Α. γ. Nunc autem e *Regio & Harlejano* reposuit δαινομένοις τοῖς Θεοῖς ἐν Διὸς τῆς Ἀφροδίτης γάμοις, *epulantibus Diis in audibus Jovis ob Veneris nuptias*, illustratque loco *Homeri Odysf. Δ. 3*: τὸν δ' ἔυρον δαινύντα γάμον, aliisque aliorum scriptorum locis. Jam illud in priori editione jam monitum erat, memoria lapsum *Maximum*, ad *Veneris* nuptias retulisse, quæ in ejus natalitiis contingere, idque nunc novis locis veterum *Davifius* confirmat; sed etiam dubitat, an non *Maximus* scripserit: δ. τ. θ. ἐν Διὸς τοῖς Ἀφροδίτης γοναῖς. *Lucianus* quidem similiter dixit: Τοῖς Διὸς γοναῖς ἀρχόμενος. Conf. *Pollux II, 7*. Ex his conjecturam arbitramur *Lectores* facere posse, quantum intersit inter primam secundamque editionem. Ad *Marklandum* veniamus. Is ad hanc unam *Dissertationem* prope viginti emendationes de conjectura proposuit, si non necessarias aut certas, ingenium tamen, ἀκριβῶς in excutiendo contextu, & doctrinam, spirantes. Ex quo, quantus numerus in totum *Opus Maximii* expleatur, intelligi potest. Ceterum ejus *Notæ* sæpe etiam in erroribus *Maximi* notandis, in rebus reconditis, locutionibusque, illustrandis, versantur, & sunt, ut omnia ejus *Viri*, bonæ frugis plene. Unam ejus emendationem ad extremam *Dissertationem X* proponemus. Disputat contra *Epicureos Maximus*, in quo genere disputationis, ut *Marklandus* ait, imprimis ille est acutus & elegans, & contra illud placitum: Deos nihil curare. In eo loco hæc verba in vulgatis & omnibus MStis Codicibus leguntur: βυλεύεται περὶ νεῶς κυβερνήτης, καὶ περὶ στρατοπέδου στρατηγός, καὶ περὶ πόλεως νομοθέτης. Καὶ ἵνα σωθῆ

συνῆ ναῦς καὶ στρατόπεδον, καὶ γῆ καὶ οἶκος, πράγματα μὲν ὁ κυβερνήτης ἔχει, πράγματα δὲ ἔχει ὁ στρατηγός, πράγματα δὲ ὁ νομοθέτης, ὑπερὸ δὲ ἕραν καὶ γῆς καὶ θαλάσσης, καὶ τῶν ἄλλων μέρων, τίς, ὡς Ἐπίκουρος, βελύσσεται; τίς κυβερνήτης; τίς στρατηγός; τίς νομοθέτης; τίς γεωργός; τίς οἰκονόμος; Ac recte illud quidem monet Cel. *Marklandus*, extrema primis non satis respondere. Nam in prima hujus loci parte tria subiecta & totidem objecta ponuntur. In altera numerus subiectorum manet, pro tertio objecto πόλις, ponitur γῆ καὶ οἶκος. In tertia denique parte ponuntur quinque personæ; quæ tamen respondere superioribus debebat. Quid ergo? Si *Maximus* ita scripsit, non dubium est, quin ea parum digna sint *Sophista Maximo*. Cl. *Marklandus* igitur putat, *Maximum* aliter scripsisse. In prima igitur parte post νομοθέτης addit: Καὶ περὶ γῆς γεωργός, καὶ περὶ οἴκου οἰκονόμος: in altera post στρατόπεδον, καὶ πόλις, & post νομοθέτης, καὶ ὁ γεωργός καὶ ὁ οἰκονόμος. Ita omnia sibi respondent. Fatemur, *Maximum* ita scribere debuisse. An ita scripserit, quoniam nullum ejus rei vestigium in Codicibus MSis exstat, in medio relinquimus. Neque enim ignoramus, multas esse tales in Scripturis antiquis βήσεις, in quibus non omnia sibi satis accurate respondent; cujusmodi locus e *Xenophontis Mem. Socr. III, 1, 4*, huic *Marklandina* conjecturæ nuper oppositus est a Collega nostro, *Jo. Aug. Ernesti*, in Prolusione de *grata negligentia orationis*. Ceterum vellemus, huic editioni etiam *Stephani Castigationes* & *Heinsii Notas* adjectas esse, ut uno loco omnia haberemus, quæ in *Maximum* scripta exstant.

RECUEIL DE DIVERS ECRITS POUR SERVIR D'
eclaircissens à l'histoire de France & de Supple-
ment a la Notice des Gaules, &c.

hoc est,

COLLECTIO VARIARUM DISSERTA-
tionum, facientium ad illustrandam historiam Gal-
liæ, & ad supplendam Notitiam Galliarum, Autore
Abbate

Abbate **LEBEUF**, Canonico & Sub-Cantore Ecclesie Antiffiodorensis.

Tomus II.

Parisiis, 1738, 12 maj.

Alph. 3 plag. 3, cum Tab. un. 3.

Antiquitatibus præcipue Galliarum, eisque geographicis, collectio hæc fuit attemperata. *Tomus prior* continentur hæc Dissertationes: *prima* de loco inter Pithuricenses, quo copiæ Regis *Chilperici* A. 583 prælium commiserunt, nunc dicta *Château-Meilan*; *secunda* de regione Avogorum, cujus meminit *Fortunatus* in Vita S. *Germani* Parisiensis; *tertia* de loco, ubi prælia fuerunt commissa A. 596 & 600, ac de palatio Merovingico, cui nomen *Mafolæus*; *quarta* de locis nonnullis in antiqua Vita S. *Lupi*, Episcopi Trecentis, inservitura geographicæ dioceseos Trecentis ac Lingonum; *quinta* de vero situ Latiniaci, Vernis ac Litanobrigæ; *sexta* de loco, quo prælium Fontenensè A. 841 fuit inter fratres Reges depugnatum. Apologia pro judicio *Hadriani Bailleti* de historico momento, quod pertinet ad templum Bajocarum, annotato in ejus *Vite Sanctorum ad 16 Maji*, hanc excipit, corollario pag. 247 seq. aucta. *Dissertatione sexta* negatur, *Honorium*, inclytum scriptorem, tribuendum esse *Avantoduno*. *Tomus posterior* complectitur 1) Dissertationem de statu scientiarum apud Gallos, inde ab excessu *Caroli Magni* usque ad obitum Regis *Roberti*, & quidem de scientia linguarum, studio profanis Autoribus impensò, Grammatica, & studiis humanitatis; de opera, impendi solita libris diviniis ac theologiceis argumentis; de statu prudentiæ Juris Canonici, ac Civilis; Historiæ, & artis criticæ; Astronomiæ, Arithmetice, Geometriæ, Geographiæ, & Musice; artis poetice; Dialecticæ, Physiæ, ac Medicinæ; scientiæ numerorum incognitæ, artium, & ante omnia Architecturæ; nec non 2) Observationem de positu Metiosedi prope Parisios, a *Cæsare* memorati; 3) Dissertationem, qua ostenditur, *Vellaunodunum* existisse in confiniis Antiffiodori & Genabum prope locum *Gien* ad *Ligerim*; 4) Annotationes ad dona an-

na, olim Regibus Gallie Carolingicis data; 5) expositiones aliquot Inscriptionum, signatarum in numis ac lapidibus regionum Antissiodorensis, Nivernensis, ac Lingonensis; 6) Dissertationem de *Arcia* veterum *sepulchrali*; 7) *S. Vitricii*, Rotomagensis Episcopi, Tractatum de Laude Sanctorum; 8) Additiones ad Metiodorum. Dissertationem illam de statu scientiarum penes Gallos Autor jam concinnaverat A. 1736, eamque in praesens dedit passim emendatam, in plerisque vero locis auctam, & accessionibus ditatam. Dissertationem, de *Arcia sepulchrali* inscriptam, adornavit doctissimus quidam Jesuita, emeritus Professor Rhetorices ac Theologiae Divione. *Vitricius* Tractatum illum, quem paulo ante attigimus, exeunte Seculo quarto conscripsit, cum reliquias ex Italia receptas suscepisset. Et iste quidem nunc ex manuscripto in lucem prodit. Haec ad varia Sylloges hujus argumenta dicta sunt. Restat, ut selectiores inde decerpamus flores, eosque cum Lectoribus communicemus. *Aimoinus* refert III, 50, incolas Biturici pugnasse adversus *Chilperici* Regis copias, atque occurrisse ad ducem militie *Didericum usque ad castrum Mediolanense, quod nunc Magdunum dicitur*. Scripsit Autor circa Seculi X finem. Videntur verba illa: *quod nunc Magdunum dicitur*, ex glossemate enata. Apud *Gregorium Turonensem*, cujus epitomatores egit *Aimoinus*, legitur nil nisi *Mediolanense castrum*, ac in nonnullis editionibus *Medledonense castrum, Medolonense*. Autor id habet pro loco *Chateau-Meilhan*. Respondet affinitas soni, & compositionis ratio. In *Glossario Cangii Vol. IV pag. 987* haec leguntur: *Margareta Domina castri Meilhan*. In numo apud *Dominum le Blanc pag. 178* legitur *Castro Mediolanno*. In *MSto* quodam *Martyrologio* Bibliothecae *Colbertinae* existant haec: *In territorio Biturico, castro Mediolano, natale S. Genesii Martyris*. In *Martyrologio Usuardi* leguntur eadem, excepto, quod voci *natale* substituta est vox *passio*. In loco *Chateau-Meilhan*, non in exigua urbe *Meun sur Yeuve*, offert sese visentibus templum parochiale, *S. Genesio*, Martyri, sacrum. Et hac quidem ratione demonstratio Ven. Abbatis sua luce fulget. In *Dissertatione secunda* ostendit, in *Notitia Galliarum Valesii* perperam confundi

P. I
pag. 5.

8.

11.

12.

25.

fundi pagum Amonienſem cum Amanſo. Comitatus apud Ammonias complexus fuit tractum fere duarum leucarum inter Nevernense ac Avalonense territorium. Fortunatus sic habet: In pago Amonienſe quod gestum ſit, replicetur. Rotegiaca villa Parisiaca Ecclesia septem ei viri debacchantes oblata sunt. Rotegiacum est Rougy in tractu Nivernensi, alibi Rotajacum, in via eorum, qui Parisiis profecti per diocesin Antiffiodorenſem transeunt, Augustodunum petunt. Acherius & Mabillonius ediderunt Vitam S. Germani, a Fortunato scriptam, & ad pagum Amonienſem in margine notarunt Mosny en Brie, & ad Rotegiacum Rosay en Brie. Locus, in quo A. 596 & 600 praelium fuit commissum, dicitur apud Fredegarium Lucosuo, alibi Lucosuo, Lucosago. Lufaus fuit locus in pago Tullensi, nunc Lifou in diocesi Tullensi. Inveniuntur ibi duae villae Lifou-le-grand & Lifou-le-petit, sex vel septem leucis Gallicis disjunctae ab urbe Joinville versus Orientem. Hic locus fuit theatrum praelii A. 680. Distinguit autem ab eo Autor locum, in quo praelium A. 596 fuit commissum. Hic enim fuit super fluvium Aroannam, non procul a Dorumello vico, secundum Fredegarii Chronicon. Fluvius hic nunc vocatur Orvonne, ad quem in edito loco pagus Dormelle proficiscens sese visendum offert. Tractui Senonum Autor vindicat locum Massolacum, Mansolacum, Mansolagum, Ruinaro ignotum. Villae duae restant, quarum una appellatur Maslay-le-Roi, & olim erat curris dominica; altera simpliciter Maslay, medio aeo Mastiacum, Mastiacus major, Mastejum majus, Maalay. Pergimus ad alia. In Vita S. Lupi mentio injicitur & Olericii & Matisconii, immo Latisconi. Latiscon est, judice Autore, Laincon, leuca una Trevis distans. Matisconium est Macon, villa diocesanos Trecentis, leuca distans a Nogent-sur-Seine. In trajectu ibi occurrit Ouillery, seu Lire à Macon. Refellit praeterea Ven. Autor eos, a quibus dissentit. Differit deinde de Latiniaco, idque existisse geminum, solide negat. Id vero nunc dicitur Lagny, Abbatia S. Dionysii annumerandum in diocesi Meldensi ac antiquo Briegio (ancienne Brie). Latiniacum Dagoberti Siliaco propinquum est, Lagny-le-Sec, villa, cui confinis est ad leucam inter-

Pag. 301

31.

33.

43.

44.

46.

50.

54.

68.

91.

92.

- intervallum villa *Silly*. *Vernum* est villa *Ver*, ad leucam a *Lagny* seu Latiniaco, remota; *Cadotanicus* vero nunc dicitur *Chailly*, seu *Chaak*. Urbs *Chaalons*, in Campania spectabilis, a *Nitardo* vocatur *urbs Cadellonica*, *urbs Cadbellonenfis*. Litanobriga, cujus in *Itinerario Antonini* fit mentio, Autori Ven. est *Laigneville*. Succedit disquisitio de loco, in quo A. 841 *Ludovici Pii* conflixerunt filii prælio satis cruento, cui interfuit ipse *Nitardus*, cujus Historiam adhuc veneramus. Circa Antissiodorum plures occurrunt spectatori villæ, quibus sunt nomina *Fontenay*, *Fontenoy*, *Fontaines*, *Fontenailles*. Ad Fontanetum conflictus ille contigit funestus. *Fontenay* una ad orientem Antissiodori posita est, altera ad meridiem, illa in diocesi Lingonum, Seculo VIII jam memorata, a compluribus pro theatro prælii illius reputata, sita in pago Tornotrinsis (*Tornerrais*) seu Tornedrisus; hæc alibi locanda. Prælium vero fatale illud tribuitur a veteribus pago *Altiodorensi*, seu regioni *Alcedro-nensi*. *Nitardus* loca vicina Fontaneto laudat *Tauriacum*, *Fagit*, *Brittas*, *Solennat*, *Riuda*. Ven. Autor locum prælii determinat, ejusque situm in planitie inter loca *Erest* & *Drupes*, intervallo 7 aut 8 leucarum Gallicarum ab Antissiodoro urbe disjuncta, e regione montis prædii *Fontenaille*, ad parochiam Andriæ referendi. In loco *Nitardi* vox *fontaneum* est adjectivum. En illum: *Lotharius protinus obviam iter arripuit, ac tecum, quo castra poneret, fontaneum petit*. Annales Bertiniani habent: *In loco, qui dicitur Fontanidus*. Annales Metenses: *juxta villam Fontiniacum*. *Ademarus* & *Contractus*: *juxta viliam Fontinatam*. *Ado*: *prælium Fontaneticum*. *Chronicon Ademari*: *in Fontanetico campo, qui est in Burgundia*. *Monachus Floriacensis*: *Apud Fontanidum campum*. *Hariulfus*: *in loco, qui dicitur Fontanetum*. In *Nitardi* manuscripto Vaticano, ex quo *Pithæus Nitardum* curavit typis describendum, non legitur, uti in edito, *Riuda Burgundionum*, sed *Rivolum Burgundionum*. Suspiciatur Autor, legendum esse *Colennat* pro *Solennat*, ac *Riudam* esse locum *Druidam*, seu *Druidam*. Ex MSto edit carmen *Angelberti* trochaicum, quod in Bibliotheca regia

regia Parisiensi existat sub titulo: *Versus de Bella, qua fuit acta* Pag. 165
Fontaneto. Spectant huc versus: seq.

Fontaneto fontem dicunt

Villam quoque rustici,

In qua strages & ruina

Francorum de sanguine.

Horrent campi, horrent fitae,

Horrent ipsi paludes.

Rustici locum dixerunt promiscue nunc *Fontenay-Fontaine*, 169.
 nunc *Fontenay-ville*. Rivulum Burgundionum Ven. Autor
 credit esse rivulum Andriam, profluentem ex palude parva, seu
 fonte prope oppidum Druye. Catalonum, seu civitatem Cade-
 lonicam, *Nisardo* memoratam, habet pro loco *Chaalons-sur-*
Marne, licet P. *Daniel* maluerit exponere per *Chaalons-sur-*
Saone. Vicus Tauriacus, ipso iudice, est *Tury* arx, remota
 versus favonii flatum leucis septem ab Antissiodoro. Scripto- 172.
 res medii ævi norunt *ecclesiam S. Juliani de Tauriaco*. Brit- 174.
 tas existimat esse *Britignelles* ad Andriam. *Fagit* ipsi est *le Fay*
 paulo remotior ad meridiem. *Colennat* ipsi est *Goulenne*, me- 176.
 dio ævo *Coulenne*, haud procul ab Andriæ rivi fonte. *Fonte-*
mailles sur Andrie, haud procul a vico *Britignelles le Bas*, sunt
 ipsi locus prælii funesti, inter oppida *Druye* & *Coulange sur*
Yonne. Reliquias cadaverum indicat ibi & experientia & de-
 nominatio aliquot locorum. Non est, quod reliquis immore-
 mur, tam docte, solide, & copiose, expositis, ut apud Auto-
 rem ipsum sint legenda. In Apologia, pro *Bailletto* suscepta, 197.
 Ven. Vir contendit, S. *Renobertum*, Bajoccarum Episcopum, non
 vixisse tempore Bajocensis ecclesiæ fundatæ, sed floruisse Se-
 culo septimo, atque A. 625 interfuisse Concilio, Remis cele-
 brato, nec non Synodo Mausolacensi A. 658, ni 659. *Renobertus* dicitur homines, a Christiana doctrina alienos, Christo 217.
 adduxisse. Hæc fuit ratio, cur complures crediderint, ipsum
 Seculo vixisse primo, ignorantes videlicet, Seculo quoque se-
 ptimo homines ejusmodi in Gallia passim existisse. In Vita S. 220.
Sulpicii legitur exemplum hujus rei luculentum apud *Mabillo-*
nium Sec. II Bened. pag. 108. *Sulpicius* vero fuit fere æqualis ac

- Pag. 235. suppar ætate *Renoberto*. Historiam translationis reliquiarum S.
Renoberti scripsit *Josephus* Presbyter, Cancellarius *Pipini*, Regis
 Aquitaniæ. Translatio incidit in annum 846. Historiam ejus
 edidit, a *Josepho* scriptam, *Acherius Tomo XII Spicile-*
 240 seq. *gii*. Vitis Sanctorum multa fuisse afficta, quæ silere præstet,
 quam in fuggestu sacro iterare, Ven. Autor salubriter docet.
 Monet ipse, pontem a Celtis vocatum fuisse *briv*, locum palu-
 dosum *bri*. *Renobertus* Ordinibus sacris fuit exornatus in loco
Neustria, seu *Armoricæ*, qui *Briva*, *Brivate*, *Brivera*, vocatur.
 Quo minus vero dubitemus, *Renobertum*, qui, autore *Chaste-*
lano, *Rachnobertus* est appellandus, Seculo septimo floruisse,
 247. efficit consensus *Jo. Mabillonii*, *Papebrachii*, *Dionysii Sammar-*
 249. *thani*, ac *Chastelani*, Canonici b. M. V. Parisiensis, in *Martyro-*
logio universali, *Soltierii*, Jesuitæ Andegavensis, ac aliorum. Suc-
 cedit Apologiæ Dissertatio, qua Ven. Autor *Honorium*, vul-
 254. go dici solitum *Augustodunensem*, Gallis urbiq̃ue Augustoduno
 (*Aucun*) abjudicat, Germanis vero vindicandum credit, ratus,
 illum traxisse nomen vel ab Augusta Vindelicorum, vel ab Au-
 gusta Rauracorum. Idem ostendit, *Wilhelmum*, qui vocari so-
 255. let *Antissiodorensis*, non fuisse Episcopum Antissiodori, sed Ar-
 chidiaconum Belvacensem, *Alberico* Monacho suffragante, ac
 MSto, in cujus fronte hæc leguntur: *Incipit summa Guillelmi*
Antissiodor. Archidiaconi Belvacensis. MStum hoc *Guillelmi*
 ætate fuit concinnatum. Vulgo quidem *Honorius* ille existi-
 matur fuisse Presbyter Augustoduni, immo Canonicus, Theo-
 257. logiæ docendæ destinatus. Addidit *Saulnier* in libro: *Aucun*
Chrétien, *Honorium* ab excessu *Norgaudi* oblato Episcopatu re-
 cufationem objectasse. Error fluxit ex *Trithemio*, qui eum
 primus vocavit *Augustodunensem*. Ven. Autor ex scriptis *Ho-*
 259. *norii*, quæ exhibentur Tomo XX *Bibliotheca Patrum*, ostendit,
 eum fuisse Germanum, eo, quod *Libro tertio de Imagine mun-*
di exponat Imperatores & origines urbium quarundam præ-
 cipuarum Germaniæ, *Bremæ*, *Bambergæ*, *Magdeburgi*, & *Spiræ*;
 eo, quod in *Summa totius de omnimoda historia*, ad A. 1058 per-
 262. ducta, afferat multa præclara ad res Germaniæ; eo, quod in li-
 bro *de Imagine mundi Rabanum*, Archiepiscopum Moguntinum,
 & Ab-

& Abbatem *Rodickerum*, indubie *Rogerium*, Episcopum Leo- Pag. 263.
 diensem, commemoraverit; eo, quod in *Summa Adelbertum*, Au- 264.
 striz Marchionem, vocaverit *suum*; eo, quod ignoraverit, pal-
 lium Episcopo Augustodunensi etiam fuisse datum, idque Ar- 266.
 chiepiscopis vindicaverit solis in libro: *Gemma anime*; eo, quod
 consuetudines tradiderit ecclesiasticas, ab Augustodunensibus
 prorsus discrepantes; eo, quod fuerit Inklusus, seu Eremita. Au-
 gustodunum quoddam prope Basileas fuit situm, Episcopo olim
 florens, qui cum Basileensi dudum fuit conjunctus. *Ætate*
Honorii gentile, ex urbe *Autun* formatum, erat non *Augusto-* 273.
dunensis, sed *Æduensis*. Commentarios in *Epistolas Pauli* & 279.
Apocalypsin, quos vulgo tribuunt *Haymoni Halberstadensi*, vin-
 dicatum it *Rhemigio*, Antissiodorensi Monacho. Unde Episto-
 lam inseruit, in qua disquirat duas veteres figuras Gallicæ & 280.
 voces *Cervulus* ac *Vetula*, res, in Conciliis quibusdam Gallie
 prohibitas. *Figuræ illæ* seu statuz minores inventæ fuerunt ad
 radicem collis, in quo situm est Antissiodorum, ac idololatri- 284.
 cam spirant consuetudinem. Una videtur *Dianam* venatricem
 referre, siquidem canis ejus est comes, lorica eam tegit ad co-
 xendices usque, dextra baculum gestat. Mons planitie, in
 qua statua fuit reperta, vicina dicitur *Mont-Ardoin*. *Ardui-*
nam subesse, credit Auctor, Gallorum *Dianam*. In Concilio An-
 tissiodorensi ad A. 580 hæc leguntur: *Non licet Kalendis Ja-* 294.
nuarii vetula aut cervulo facere. Olim scilicet in festo Jesu na-
 talicio ac diebus proximis homines induebant larvas dæmonum
 & ferarum, ut designarent absurditatem idololatriæ, cui remi-
 serant nuntium. *Isidorus Lib. I de Offic. Cap. 40: Miseri ho-*
mines - - sumentes species monstruosas, in ferarum habitu trans-
formantur. Faustinus apud Bollandum Tom. I Jun.: Alii vesti-
untur pellibus pecudum, alii assumunt capita bestiarum. Sedatus,
 Episcopus: *Quid tam demens est, quam - - - indui ferino ha-*
bitu, & capreæ, aut cervo, simitem fieri. In *Horsationibus S. Eloi* 298.
 hæc habentur: *Nullus in Kalendis Januariis nefanda & ridi-*
culosa, vetulas, aut cervulos, aut Jotticos, faciat. Jottici viden-
 tur fuisse (*joutes*) sciamachiz, a larvatis illis commissæ. *Pe-*
trus Chrysologus Serm. 255 moris illius horridi jam meminit.
 Augu-

- Augustinus in Sermone de Tempore pag. 215: Si adhuc cognoscatis, aliquos illam sordidissimam superstitiorem de hinnula vel cervula exercere, ita durissime castigare, ut eos poeniteat rem sacrilegam*
300. *commisisse.* Addenda nobis videntur hic nonnulla. Inter Saxones in locis bene multis ritus ille horridus superfuit utique ad Reformationis ætatem. In legibus Brunsvicensium, A. 1409 conscriptis, promulgata fuit norma, secundum quam larvati illi homines incedere & agere debuerunt, vocati *Schodurwele*, id est, larvati cacodæmones. En verba ex *Tomo III. Leibnitii Scripior. Brunsvic. pag. 481: Vorthmer is hier ein wonbeit, dat de jungen lude plegen to hebbende eine cumpanie, dat se lopen Schodurvel in den billigen dagento Winachten.* Ex legibus Hildeneshemensibus vetustis pariter nonnihil huc spectat. In loco, quo occisus fuit larvatus ejusmodi homo Palæo-Hildeneshemii, erecta fuit crux lapidea, exhibens ipsam hominis larvati figuram, quam vulgus vocat *Schodurvel*. Nec mos ille jam ubique cessavit, licet mansuetior passim factus. Pergendum jam est cum
309. Ven. Autore, qui *Valesii* geminum errorem, quem hic in determinandis locis *Chora* & *Contraginum* admisit, emendat. *Chora* fluvius est amnis *Cure*, exortus leucis aliquot procul Augustoduno, influens flumen *Yonne*. Hæc *Valesio* fuere comperta. *Choram* locum, finxit idem, nunc dici *Cure*, seu *Core*, Abbatia insignem. In *Notitia Imperii Romani* leguntur hæc: *Praefectus Sarmatarum gentilium a Chora Parisios usque. Ammianus Marcellinus Lib. XVI* sicum loci reddit distinctiorem, *Jonas Bobiensis* in *Vita S. Columbani: Egressus vir sanctus . . . Augustoduno usque ad Avalonem castrum pervenit . . . Deinde ad Choram fluvium properans . . . eademque die ad vicum, quem Choram vocant, venerunt . . . Exin Antissiodorum properavit . . .* Unde patescit, *Choram* nunc appellari *Creven*, seu *Crevan*, &
316. ævo medio *Crevennum*, seu *Crebannum*. *Vennum* & *Venna* olim *piscatoriam* notavit. Quare dicendum, *Crevan*, seu *Crevennum*, esse idem ac *Coren*, seu *Coram*, *piscatione præstantem*. Restat *Contraginum*, quod superest in villa *Condrain*, Seculo septimo dictum *Gundarinus*, *Ilaræ* fluvio adjectum. Geographica hæc sunt. Succedunt historica, nempe monumenta, quibus illustrantur
- 333.

strantur res Regum Francicorum Seculi IX ac X, nominatim *Lotharii* ac *Hugonis*, e *Carolo Magno* natorum, nec non translatio corporis Papæ *Cornelii*, Compendium deducti per *Carolium Calvum*. En paucula, inde delibata. *Hildegarda*, *Caroli M.* uxor, A. 778 enixa est geminos, *Ludovicum* & *Lotharium*. Nomen filii alterius solet esse incompertum. *Lotharius* ille obiit in loco natali *Cassinogilo* (*Casseneuil en Agenois*) A. 879, 8 Pag. 337. Febr. id quod patet ex epitaphio ejus, quod Ven. Autor ex *MSto S. Marcialis Lemovicensis* nunc primus in lucem produxit, *Astronomum*, *Ludovici* vitæ scriptorem, simul refellens. Non est, quod ex *Historia originum Canobiorum Caritatis ad Ligerim*, desumpta ex scriptore Seculi XII, quidquam decerpamus. Idem esto dictum de *secunda fundatione Monasterii de Caritate in territorio Antistiodorensi ad Ligerim*, de *dedicatione Ecclesie B. Mariae de Caritate. Metiosedum Cesaris*, Autor ne- Tom. II gat, esse urbem *Moudon*, ratus, pro *Metiosedum* successu temp. pag. 143. poris pronuntiasse urbis accolas *Josedum*, nunc *Josay*. 159. Inquirat deinde in situm *Vellaunoduni* ac *Genubi*, illud collocans in confinia *Antistiodori*, hoc in tractum ad *Ligarim* circa locum *Gien*. Restat memoria *Vellaunoduni* in *Vallaon*. Si sententiam Ven. Abbatis de ascia veterum sepulchrali, ad linguam Celticam ac significatum alias minus tritum tracta, existimaremus opinionibus reliquis probabilior, eam haud omitteremus. Nihilominus & in hac edisserenda Ven. Autor sui non est dissimilis. Ubique enim perspicuitas, oratio minus hiulca, compositio nativa, & instar fluminis progrediens, soliditas, multijuga lectio, sagax in conjiciendo ingenium, & imprimis peritæ Geographiæ patriæ, elucent, & Autoris laudes jubent esse sempiternas. 179.

THESAURI EPISTOLICI LACROZIANI

Tomus primus. Ex Bibliotheca Jordaniana edidit

JO. LUDOVICUS UHLIUS.

Lipsiæ, impensis Jo. Frid. Gleditschii, 1742, 4.

Alph. 2 plag. 7.

Ecc

Debe-

Debet hoc illustrium & præclare de literis meritorum Virorum aut vigiliis, aut gloriæ, ut eorum observationes, non eæ quidem publici incommodi, sed familiarium & amicorum, causâ in chartam conjectæ, serventur ab interitu, & in publicam lucem proferantur; cum multa inde hauriri possint, quæ in magnis operibus, ubi non semper omnia, diuturna lectione animadverti, expromi, aut liberum de aliorum laboribus ferri iudicium potest, plerumque frustra quæruntur. Magnum inter principes eruditorum *Maturini Veyserii Lacrozii* nomen fuit, qui tantum scientiarum ambitum animo & cogitatione complexus est, ut de rebus maxime diversis ambigentibus eruditus, ut Pythius aliquis Apollo, certissime doctissimeque responderit. Quod, præter eximia Opera, quæ viventi famam atque immortalitatem pepererunt, flores hi, ex plurimis Epistolis, quarum hæres Ill. *Jordanus* ultimis *Lacrozii* tabulis constitutus est, collecti, testantur. Nomina eruditorum, qui de suis studiis ad illum referre solebant, literarum ordine digesta sunt, & habent inprimis *Th. Sigfr. Bayeri, Sam. Crellii, Theodori Hassai, Pauli Ernesti Jablonskii, Jo. Laur. Moshemii, & Davidis Wilkinsii*, Epistolæ, quæ detinere lectorem paulo humaniorem, & mirum in modum reficere, possint; maxime cum salutandi formulæ, ceteraque, ad res domesticas spectantia, a Cl. Editore, bono consilio, rescissa sint. Ut vero Lectori specimen demus

Pag. 3. eximiarum observationum, *Bayerus*, Christianus S. *Thomas* Manichæismo infectos esse, conjicit, quod *Manassis* discipuli, & in his *Thomas*, a quo nomen secta universa tenet, Persiam Indiamque novis opinionibus turbaverint. Locum in *Menandri* excerptis, ubi *Dissabatus*, Turcarum dominus, in monte *Eyray* tentoria fixisse dicitur, ex Turcica lingua illustrat, deque rebus Christianis inter Sinas & Tartaros varia, non alibi obvia, docet, in quibus monumentum Sinicum, a multis in suspicionem adductum, genuinum esse, & nostram religionem non, nisi paulo ante Gingiscanidas, Sinensibus innotuisse, cum diu ante in Turcia vicinisque locis obtinuisset, ostenditur. *Lacrozium*, Dissertationem de Maronitis meditantem, de litibus inter Romanam ecclesiam, Syrosque, certiozem facit; *Hydium* Monga-

Mongalicas literas non bene a Cataicis distinxisse, observat. De Pag. 14.
Apuleji, res Ægyptiorum illustrantis, fide ambigit; de regio-
 ne *Mafin*, ad meridionales Sinenses pertinente, ex scriptori-
 bus Arabicis nonnulla commentatur; Tangutica elementa a
 Brachmanibus, tempore, quo superstitio Indorum septentrio- 21.
 nem Scythasque pervaserat, recepta esse, probat. Multa, quæ
Ephraemi nomine inter Syros feruntur, non ad sanctum illum,
 aut Theopolitanum Episcopum, pertinere; bombyces non ex
 India, quod veterum haud pauci prodiderunt, sed ex Ephtha- 33.
 litis, venisse; libros sacri Codicis apocryphos, *Tobie* imprimis
 historiam, in Ægypto confictos; non arborem, sed aram, igne
 perpetuo ardentem, in lapide Palmyreno, a *Spanio* edito, ex-
 hiberi, argumentis egregiis ostendit, & de libris Syrorum Li- 28.
 turgicis, *Hadre & Gaza*, deque nomine divino, disquirat. In
Sam. Crellii, Sociniani, literis, dicti *Juanni* de Trinitatis perso-
 nis autoritate in dubium vocata, autor dogmatis de filii divini- 89.
 tate *Justinus Martyr* esse dicitur. Idem sententiam *Lacrozii* de
 ætate *Philopatridis*, cum *Aureliano* Imperatore non vetultio- 97.
 rem esse, censentis, *Ciesneriana* præfert, *Philonis de Logo* opi-
 nionem explicat, de *Serveto* nonnulla immitcens. *Burmanni*,
Drackenborchii, *Fabricii*, *Hufæi*, *Krausii*que, schedæ nova tan- 100.
 tum literaria nuntiant; *Heumanniana* nonnullas *Minutii & Flori*
 emendationes, præter conjecturas de *Jordano Bruno*, conti-
 nent. In *Pauli vero Ernesti Jablonskii* Epistolis multa, ex re- 106.
 condita Orientis literatura, cujus ornamentum *Lacrozius* maxi-
 mum erat, petita, reperiuntur. Cujus generis sunt de Deo
Remphan, de Liturgiis Ægyptiacis Lugdunensis Bibliothecæ,
 & Pentateucho Coptico, de voce *Sæti*, de Therapevtis, de
 columnis Tingitanis, de Leviathane *Jobi*, de voce *Sanus*, de
 fragmentis Copticis Bibliothecæ Bodlejanæ, de controversia
Nestoriana, (ubi imprimis ostenditur, inter *Justinii Martyris*
 Opera editam expositionem fidei *Theodorum Mopsuestenum* au-
 torem habere,) rarissimæ observationes. Ex *Sebastiani Kort-*
holsti quaestis pleraque ad *Leibnitium* & rem Sinensium litera- 214.
 riam spectant. *Jo. Laurentius Moshemius*, studiorum suorum
 rationem *Lacrozio* identidem reddens, præclaras observationes,
 quibus

- quibus Historia ecclesiastica illustratur, plena manu depromit.
- Pag. 266. *Apollonium Thyameum* alterum *Simonem* Magum esse, docet; *Philopatridem*, cum *Luciani* Dialogis editum, statim post Concilium Nicenum, in ludibrium decretorum ejus, a Sophista quodam scriptum, conjicit; Thesaurum Antiquitatum Hispanicarum promittit; de Oraculo Sibyllino, de *Apringii*, Pacensis Episcopi, in *Apocalypsin* Commentariis, *Plutarcho* de Nobilitate, *Evagrío* de Ægyptiacis Monachis, passim pro deperditis habitis operibus, differit. *Schraderus* de Armenicis nonnullis; *J. C. Sostmannus* de ignotis Græcorum librorum notis; *Jo. Frid. Thomas* de *Porphyrii* libro *περὶ ἀποχῆς*, cujus ipse editionem moliebatur; *Whistonii* fratres de Latine vertendo *Mose Charonenfi*, *Lacrozium* consulunt. Eidem *Davidus Wilkinus*, quos Codices Copticos in Vaticana evolverit, nuntiat, & præter Biblia Armenica, Acta Niceni, Ephesini, & Constantinopolitani Concilii, Historiam *Leonis*, *Ossonis* filii, & catalogum Patriarcharum Armenorum, ibi asservari, ostendit. Idem de oratione dominica, omnium fere gentium linguis a *Champerlayno* edita, de literis Ægyptiacis, deque Novo Testamento Coptico, quod tum Sheldonianum prelum exercebat, varia perscribit. In *Zigenbalgii* denique Epistolis, quæ in hac collectione locum occupant ultimum, de Bramanum Indorumque vetere doctrina multa lectu dignissima habentur. Ceterum *Tomum Thesauri* hujus *Epistolici secundum*, quo S. R. *Jo. Christoph. Wolfii*, Pastoris olim Hamburgensis, ad *Lacrozium* literæ continentur, brevi proditum esse, fidem Lectori facimus.

J. L. M. ANIMADVERSIONES IN EPISTOLAS,
a se juvene ad Illustrem Virum, M. V. LA
CROZE, scriptas.

Ad pag. 265. *Observationum in S. Patres, maxime in Ireneum, liber*, qui hic & aliquoties in sequentibus Epistolis memoratur, tentatus quidem, at nunquam in literis relatus est. Latent partim inter schedas, dudum amotas, partim in memoria mea, plurima, ex quibus componi potuisset, & compositus fuisset,

fuiſſet, niſi me alio fata invitum vocaſſent. Commendo ce-
terum laborem hunc aliis, utiliorem, mea quidem opinione,
quam plerique putant.

Ad pag. 267. *Librorum combuſtorum hiftoriam* moliebar
olim, cum otio abundarem; at mature, creſcentibus indies oc-
cupationibus, hoc inſtitutum dimiſi. De particula hujus ope-
ris, *Hiftoria Mich. Serveti*, alio tempore dicam, ſi rude ejus
ſpecimen, quod editum exiſtat, perfectum & expoliturum in lu-
cem proferre licuerit.

Ad pag. 269 & 277. *Liber primus Animadverſionum ſacra-
rum*, cujus hic mentio ſit, edi cœptus eſt, non Roſtochii, ſed
Lubeæ. Sumſerat ſibi hanc curam amicus, Roſtochii tum vi-
vens. Quibus de cauſis nec abſolutum ſit opusculum, nec
exemplum, manu mea ſcriptum, mihi redditum, non amplius
recordor. Hoc ſcio, illud, mihi ſaltem, periſſe. Modice
vero hanc jacturam fero, cum certus ſim, commode juvenili
iſto labore rem ſacram & eruditam carere poſſe.

Ad pag. 278. De *Mart. Ruari* vita ſatisque haud pauca
collegi quondam. Quæ utrum interierint plane, an loco quo-
dam inter chartas ſepolitas collocata ſint, nescio. Res tanti non
eſt, ut in ea indaganda temporis aliquid conſumere velim. *Ob-
ſervationes ad Lactantium* exiſtare, novi; verum, ubi, tot inter
derelictos præteritorum annorum conatus, nec ſcio, nec ſcire
admodum cupio. Non indiget amplius meæ diligentia *Lactan-
tius*, tot præclarorum virorum ſtudiis purgatus & illuſtratus.

Ad pag. 294. *Hiſpanicarum Antiquitatum Theſauro*, quem
olim parabam, nuntium, quod ſas erat, mihi, cum ſacræ li-
teræ in hac Academia docendæ mihi committerentur. Colle-
ctus mihi jam erat numerus aliquis inſigniorum & rariorum de
veterum Hiſpanorum rebus librorum; quorum partem adhuc
tervo, partem ad *Sigeb. Havercampum*, quem laboris ſocium
adiçiveram, miſi.

Ad pag. 297. Quæ de literarum in Dania ſtatu hic ſcripſi,
non mea ſunt, ſed ex ore ſummorum virorum, quos adire mi-
hi licuit, hauſta. Verane igitur ſint omnia, necne, viderint,
& quibus profecta ſunt. Hoc certum, pleraque hodie magni

& sapientissimi Regis providentia sublata esse, quæ tum eruditionis progressus in gente, nulli ingenio secunda, atque magnis hominibus nobilitata, morari videbantur, Danosque hodie feliciter literatissimos Europæ populos æmulari. Hoc ceterum me male habet, quod in hac narratione vocabulum fugienti calamo excidere passus sum paulo durius, nec genti humanissimæ, cujus beneficia nunquam ex memoria delebo, satis honorificum. *Auget*, ita scripsi, *gentis naturalem, si ita loqui licet, ignaviam*. Bene quidem est, quod ipse omnem ab hoc vocabulo injuriæ suspicionem removi, & verbis: *si ita loqui liceat*, significavi, velle me molliorem ei notionem subjici. Sufficiebat hoc in epistola ad amicum, quam nunquam editum iri putabam; at non sufficit, postquam ea, præter opinionem meam, in publicam lucem protracta est. Igitur sciant, quorum interest, dixisse mihi, quorum sermones refero, inesse natura in plerisque Danis mediocrem immortalitatis libris scribendis comparandæ cupiditatem, atque hoc me tantum *ignavia* nomine, cum festinanti optius & concinnius haud succurreret, indicare voluisse. Rectene, an secus, quos auctores habeo, civium suorum ingenium æstimaverint, non meum est statuere.

Ad pag. 298. *Rostgardianum* Codicem cum *Josepbo* edito conferre quidem volui, non autem contuli. Lubens negotium hoc suscepit Vir Illustris, *Jo. Grammius*, quo nec doctius, nec officiosius, aliquid fieri potest; idque jam *Havercampus* in Præfatione ad *Josepbum* jussu meo publice significavit. *Rostgardio*, asseveranti mihi, se Bibliothecam suam venditurum esse, tuto credere potuissem; vendita enim jam ante complures annos est.

Ad pag. 301. *Apringium Pacensem* beneficio Viri optimi, & antiquitatum orbis Arctoi supra fidem periti, *Arne Magnai*, Historiarum Professoris, amici desideratissimi, nactus sum, cujus memoriam colere nunquam desinam. Nunc antiquitatis hoc monumentum in potestate versatur Venerandi Viri, cujus in sacrum Novi Fœderis Codicem tot egregia exstant merita, *Jo. Alb. Bengelii*. In quem utinam eximiam voluntatem meam munere majori testari potuissem. Græca Carmina, nondum edita,
quorum

quorum hic mentio fit, ad beatos nunc amicos meos, *Jo. Christoph. Wolfium & Jo. Godofr. Lakemacherum*, fatis me ad alias curas vocantibus, transierunt. Qualia & cujus argumenti fuerint, parum memini. Nullum Seculo decimo antiquius fuisse, adhuc teneo.

Gloria libelli *Plutarchi περί δυνάσεως* servati tota est Excellentissimi Viri, *Jo. Grammii*, cui me multa & insignia beneficia debere, gratissimus, dum vixero, profitebor. Constat id jam inter eruditos ex B. *Jo. Christoph. Wolfii Anecdosis*, in quibus editus est. Forte meum hoc est, quod ceterius in lucem exiit; sed, ut hoc, quicquid est, officii præstare potuerim, benevolentia unice *Grammii* effecit.

Gisb. Cuperi ad Sperlingium Epistolas in Bataviam misi, ut ederentur. Nescio vero, quænam causa, ne id fieret, impeditur. Nec tamen periit thesaurus hic, verum a *Jo. Poleno*; magno Italiæ eruditæ ornamento, in *Supplementis ad Græviæ Thesaurum Antiquitatum Romanarum* publica luce donatus est. Acceperat is a *Sigeb. Havercampo*, cujus a me fidei commissus erat. Recte vero fecit Illustris *Polenus*, quod annotationes, exemplo, manu mea scripto, adjectas, simul prodire noluit; neque erat, cur is factum hoc excusaret. Nullius certe interest, scire, quænam mihi, forte doctissimorum hominum epistolas legenti, in mentem venerint. Reliquas Epistolas, quas hic commemoro, ad B. *Uffenbachium* paulo ante, quam supremum diem obiret, ablegavi. Qui quoniam, ne mihi responderet, morte impeditus fuit, codicis fatum nescio.

Ad pag. 304. *Evagrium de monachis Aegyptiis* Lutetiam Parisiorum ad celebrem quendam ex familia Benedictina virum migrare jussi, ut cum aliis ejus generis monumentis prodiret. Incertum vero est, utrum ad hominem jam defunctum pervenisset, an vero in itinere perierit.

DE L' ATTAQUE ET DE LA DEFENSE DE PLACES,
par Mr. DE VAUBAN, Marechal de France, & Directeur
general des Fortifications du Royaume.

hoc est,

DE

DE OPPUGNATIONE ET DEFENSIONE LO-
corum munitorum Liber, Autore Domino DE VAU-
BAN, supremo copiarum Gallicarum duce, & munitio-
num castrensi per regnum universum Dire-
ctore primario.

Tomus II.

Hagæ Comitum, sumptibus Petri de Hondæ; 1741, 4 maj.

Alph. 1 plag. 6, cum Tab. æn. 11.

Liberamus fidem, quam dedimus, de altero quoque præclari Operis *Vaubaniani Tomo* acturos nos esse, polliciti nuper *Mensis Martii Parte I pag. 131*. Merentur omnino Illi. Viri scripta de re militari singulari studio tanquam cimelia colligi, atque rei publicæ uîui commendari. Vir summus ipse magna pars bellorum, superiore atque ineunte hoc Seculo, incredibili vi, rara prudentia, atque ineffabili apparatu gestorum, fuerat, atque, prouti ingenio erat sagacissimo, ita longo rei militaris uîu & multa experientia didicerat, quæ nulla intellectus acie acquiri possunt. Dubium itaque non est, quin singularem gratiam summorum in bello virorum initurus sit solertissimus bibliopola, quos novo hoc ingenii *Vaubaniani* monumento donat. Dum omnia *Vaubaniani* scripta undique sollicitè conquirat, dux quidam copiarum Regis Galliæ primi ordinis, qui nomen suum nos latere voluit, libri de Cuniculis copiam humanissime ipsi facit. Illo quidem non nisi primæ linæ artis hujus continentur; at, prima hæc rudimenta Illi. Actore non indigna esse, argumenti tractatio demonstrat. Ingenium ejus liber lætis prodit, cum *Vaubanians* sollicitus non fuerit speculationibus, quæ exigui usus sunt, vacare, sed, quæ experientia atque continuo usu in bellis didicerat, in commentarios suos referre. Pauciores igitur artis regulas, sed egregiam exemplorum ubertatem, atque tentamina plurima, a Viro in rebus his versatissimo instituta, in hoc libro invenimus. Simile prorsus opus est argumentis illis, quæ in *priori Tomo* pertractantur. Omnia in hoc quoque libro ita exponuntur, ut illorum usui inservire possint, qui mathematicis scientiis haud alieni sunt, & vix primis Geometriæ elementis degustatis, terminos

minos saltem Architecturæ militaris intelligunt. Et, cum summam in rebus militaribus auctoritatem *Vaubanius* merito consecutus sit, ipsa quoque meditationum ejus fragmenta copiarum ductibus non ingrata fore, solertissimus bibliopola sibi persuasit. Nactus itaque exemplaria libri *Vaubaniani* de oppugnatione & defensione locorum munitorum, quem Ill. Franciæ Marefcallus usui Ducis Burgundiæ olim dedicaverat, & cui Dissertatio ipsius de incredibili utilitate locorum munitorum in regno aut provincia, brevis ea quidem, sed elegans atque succi plena, adscripta erat, hanc publico commodo invidere noluit, & in hoc Opere typis excudi curavit. Demonstrat in hac Commentatione *Vaubanius*, obsidione ac expugnatione locorum munitorum hostium provinciam victoris imperio quidem subjeci, sed dominium atque imperium non nisi exstructis domi locis munitis afferri atque confirmari. Illa enim fines provinciarum victoris ab incursione hostium tuentur, & si victoris copiarum acie aliqua inferiores discedant, impediunt, ne hostis fructus nimios ex secundo aliquo prælio colligat. Provocat ad experientiam, cum regnorum Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, atque imprimis Belgii, fines urbibus munitis ita defendantur, ut difficile sit hostibus, illas regiones invadere. Belgarum imprimis hac in re providentiam laudat, quorum intra fines paucæ urbes inveniuntur, quæ munimentis cinctæ non sint. Hoc in causa esse, contendit, cur, bello in istis provinciis per tot annos, incredibili virtute, atque immensis sumptibus, gesto, nondum tamen sub jugum mitti potuerint. Computatione accurate facta, deprehendit, elapsis ducentis annis plus quam sexaginta vicibus a fortissimis atque copiosis exercitibus pugnatum, plus quam ducentas urbes munitissimas expugnatas & captas fuisse, nec tamen populo isti fræna potuisse injici. Loca enim munita progressum copiarum victricium statim cohibent atque impediunt, dum copiarum hostium, in acie profligatæ, ad illa se recipiunt, atque ita occasionem bellum protrahendi inveniunt. Interea enim temporis, dum victor urbibus munitis in potestatem redigendis occupatur, multa ex improvise victori adversa accidunt. Principes finitimi fortunam ipsi invident, frædere ipsi juncti vel auxiliares copias egre submittere, vel devictorum hostium partes

partes amplectuntur. Nostrorum temporum experientia monstrat, saepe victorem, qui fortunam ex omni parte faventem habuerat, ex his rationibus sistere gradum jussim, atque non ita multo post, quam debellatum esse ipsi videbatur, amissis, quae expectaverat, victoriae emolumentis, sua rueri coactum fuisse. Sic victores saepius adeo ad incitas redacti fuerunt, ut duris conditionibus pacem petere, vel omnia, vel meliorem eorum partem, victis reddere, necesse haberent, quae tantibus immensis, effuso sanguine civium copioso, atque ineffabili labore militari, acquisiverant. Prisca historiarum monumenta testantur, vasta saepe universae Asiae regna, una vice, pauciori sanguine effuso, atque minori virtute, subjugata fuisse, quam ad exiguas Belgii provincias devincendas opus esse, res ipsa docet. Non longe arcessendae sunt rationes, cum oculis pateat, quam levia sint emolumenta, quae victori cedunt, qui in Belgio superior acie discedit. Victum exercitum victori vix per quatuor milliaria in provinciis his persequi licet, ubi urbes munitae victorem cohibent, victos recipiunt atque munimentis suis tutantur, ne penitus deleatur exercitus, impediunt, atque moram indulgent, qua sub moenium bombardis afflictas res reficere possit. Nullos fere interea fructus praeter victoriae gloriam ex secundo praelio capit, & ut forte urbem aliquam munitam expugnet, gravissimi tamen labores ut plurimum in obsidenda atque capienda hac urbe collocandi sunt, ut exercitus paulatim atteratur, hosti, acie profligato, interea locus relinquatur dispersas copias colligendi, res collapsas instaurandi, loca opportuna occupandi, atque victoriae fructus continuo praescindendi. In vastis vero regionibus, ubi vel nullae, vel paucae, urbes munitae inveniuntur, victor hostis, acie profligati, tergis inhæret, donec exercitum victum prorsus obruncaverit, ubi provinciae, omni praesidio nudatae, legibus imperantis confestim subjiciuntur. Sic *Alexander*, postquam tribus praeliis *Darium* devicerat, vastam Persarum monarchiam, nullo impediante, occupabat. Multis, ex veteri & recentiori historia collectis, exemplis Ill. *Vaubanius* hoc confirmat, atque notatu imprimis dignum esse observat, *Cesari* plus negotii fecisse olim tres vel quatuor urbes in Gallia munitas, quae imperium ejus in Gallos per aliquot annos remorabantur, quam copiosos

copiosos exercitus, quos sine multo labore opprimebat, cum victi asylum in urbe munita, quo se reciperent, non invenirent. Mittimus reliqua Ill. *Vaubanii* argumenta, quibus luculentum arcium atque locorum munitorum in bello usum prædicat, maxime cum non ignoremus, multos expertos belli duces adversam sententiam tueri, neque adeo magnifice de copiosis Belgii munimentis arbitrari. Accedimus itaque ad ipsum *Vaubanii* de cuniculis subterraneis Tractatum, qui *primam secundi hujus Tomi Partem* occupat. Enarrat primo conditiones societatis illius militum, sub finem Seculi elapsi a *Ludovico XIV* instituta, ut artem cuniculos agendi unice excoleret, atque porro omnia instrumenta, quibus in hac Architecturæ militaris parte opus est, non verbis modo diserte explicat, sed æri quoque nitide incisa obtutui sistit. Inde ab ovo ortus, quid ab initio cuniculorum fabricatoribus agendum sit, donec furnus construatur, accurate præcipit, inspersis passim annotationibus utilissimis, quas multorum annorum experientia ipsi suggestit. Clare explicat, qua ratione canalis, pulvere pyrio repletus, ad furnum usque ducendus, quomodo ipse furnus construendus, & fornices ædificandi sint. Mirum non est, ab aliis artis hujus magistris eum nonnunquam discedere, cum aliorum serinia excutere minime soleat, nec quidquam, nisi quod ipse excogitavit, & cujus usum experientia confirmavit, proferat. Cum necessarium valde ipsi videatur, ita cuniculos ducere, ut mediis hostium cuniculis adversis insinuentur; quid agendum sit, docet, si hostium milites cuniculorum fabricatoribus in subterraneis fornibus vel aperta vi, vel per insidias, occurrant. Illos vel fumo suffocari, vel gladio atque sclopetis invadi, vel egesto celeriter vallo arceri, jubet. Instituti nostri ratio non permittit, ut omnia, quæ prudentissime de hac scientiæ militaris parte monet, copiose exponamus, quod ægrius in Opere, practico, ut ajunt, cautelis referto, succedit. Ut hebetioris ingenii hominibus consulat, plura variorum operum exempla proponit, quæ ipsius auspiciis, atque secundum præcepta ipsius, per cuniculos destructa fuerunt. Quæ obscura eo minus esse possunt, quod copioso figurarum apparatu omnia egregie illustrentur. Ne-

que illos regulas certas desiderare patitur, quibus vestigia ipsius in arte hac sequi animus est. Propterea accurate docet, quantum temporis ad effodiendos varii generis cuniculos, atque fornices eorum construendos, requiratur, operariorum numerum; atque pulveris pyrii libras, definit, pondus operum cuniculis disjiciendorum computat, quid per cuniculos praestitum sit, experimentis demonstrat, & quæ inopinati interdum effectus causæ fuerint, inquirit. In exemplis nonnullis sumtus quoque operibus perficiendis necessarios calculo metitur. Cum pluribus exemplis demonstratum sit, quomodo furnus accensus super impositas moles figura conii truncati explodatur; frequentè observatione se didicisse asserit, diametrum hujus conii semper duplâ esse altitudinis terræ supra centrum pulveris pyrii in furno. Si v. g. altitudo molis furno superimposita fuerit viginti pedum, atque furni diameter pedum duorum; diameter basis superioris conii truncati quadraginta duorum pedum erit. Experimento huic superstruit regulas ad inveniendam pulveris pyrii quantitatem, qua certa terræ moles vel conquassanda, vel disjicienda est. Jubet, si terra fuerit communis, numerum perticarum Gallicarum operis disjiciendi per 14 multiplicari, ut desideratus librarum pulveris pyrii numerus prodeat. Si fuerit sabulum crassius, per 17; si sabulum argilla permixtum, per 18, numerum istum perticarum multiplicari, præcipit. Singulâ studio commodis virorum militarium inservit, ut haud gravetur in gratiam illorum, qui Geometriæ non satis periti sunt, docere, qua ratione pro pedibus cubicis calculus sit instituentus, si cui effectus cuniculorum accurate admodum computare animus sit. Indicem quoque satis prolixum addit, pro variis terræ, argillæ, sabuli, lapidum, generibus. Inprimis commode eorum, qui in construendis ejusmodi operibus subterraneis occupantur, egregie consulit, constructa, ope regularum finarum, Tabula, ex qua sine calculo perspici statim potest, quem perticarum cubicarum numerum furnus certæ quantitatis disjicere valeat, si altitudo molis impositæ a duobus ad sexaginta pedes increseat, & quantum librarum pulveris pyrii ad hoc requiratur. Juvat specimen Tabulæ illius Lectorum oculis subjicere:

Altit.

Altit. terræ.	Pertic. Cub.	Ped. Cub.	Terra communis.	Sabulum crassius.	Terra mixta.	Argilla.	Terra crassa, lapidibus mixta.
			Pulvis Lib. Unc.	Pulvis Lib. Unc.	Pulvis Lib. Unc.	Pulvis Lib. Unc.	Pulvis Lib. Unc.
2. Ped.	o. 8½.		o. 9½.	o. 12.	o. 12.	o. 12½.	o. 14.
5.	o. 133.		8. 10.	10. 7.	11. 1.	11. 11.	12. 14.
10.	5. 132.		78. 9.	96. 2.	100. 10.	106. 4.	121. 14.
15.	18. 36.		254. 4.	308. 8.	326. 11.	344. 13.	399. 0.
20.	44. 198.		628. 13.	763. 9.	808. 8.	852. 15.	993. 4.
40.	360. 150.		5049. 5.	6133. 5.	6494. 0.	6854. 10.	7934. 11.

Usum Tabulæ, per se satis obvium, exemplis tamen nonnullis illustrat, ut captui vel simplicissimorum igniariorum consulat; quæ omittimus, cum de altera Tomi hujus *secundi Parte* pauca adhuc nobis dicenda sint. Continentur illa non ipsius *Vaubani*, sed alius præclari herois, qui nomen suum prodi noluit, commentationes de bello atque officiis tum supremi copiarum ducis, tum gregarii militis. Saluberrima omnino consilia, quæ in aliis hujus generis operibus frustra quæruntur, suppeditat, eaque selectis exemplis historiarum atque principum heroum nostri temporis erudite illustrat. Egregio hoc compendio militari paucis, sed exquisitis, verbis officia imperatoris, tribuni, centurionis, decurionis, & militis, explicantur. Altera parte ipsorum operum militarium rationem Autor diserte explicat, præcipiens imprimis, quomodo per angusta loca ad hostium castra oppugnanda eundem sit, ubi receptui canendum, qua ratione exploratores seligendi, atque quantum fidei ipsis habendum sit, quæ exercitui in itinere observanda sint, qua solertia acies nocturno tempore instruenda, fluvius ponte jungendus, & stricto gladio in castra hostium impetus faciendus sit; porro, quibus in locis castra vallo & munimentis cingenda atque defendenda, a quibus insidiis cavendum sit, dum exercitus flumen trajicit, & quæ reliqua sunt belli negotia, de quibus multa prudenter ex creberrimo militiæ usu commentatur.

OECONOMIA REGNI ANIMALIS, IN TRANS-
actiones divisa, quarum hæc secunda de Cerebri motu
& cortice, & de anima humana, agit; anatomice,
physice, & philosophice, perlustrata.

Amstelodami, apud Franciscum Changuion, 1741, 4 maj.
 Alph. 1 plag. 2, Tab. æn. 1.

- P**ostquam haud ita pridem, quæ Cel. Autor in *prima* Operis hujus, multo ingenio, magnaque doctrina, conscripti, *Sectione* tradidit, copiosius enarravimus; nunc etiam singularia, quæ in *altera* hac *Sectione*, eodem modo, quo in *prima*, explicat, argumenta brevi oratione persequemur. *Tribus* ea constat *Paragrap- phis*, quorum *primus* de motu cerebri agit, & ejus animationem cum respiratione pulmonum coincidere, docet. Initio igitur suum meningibus & cerebro motum vindicat, ita quidem a *Ridleyo*, *Vieussenio*, *Baglivo*, *Fantono*, *Bellino*, *Pachiono*, aliisque, detectum, ut, qui de eo hodieque dubitare audeat, ille visum tab- tumque in dubium vocare videatur. Neutiquam vero fit pro- babile, motum hunc cerebri, & motum cordis arteriarumque, esse synchronum, ut, quoties cor salit, sanguis irrumpat in ce- rebrum, & integram illius molem ad reciprocas cum illo vices peragendas suscitet, sed ex variis potius elucet rationibus, tum vero maxime anatomicis, atque medicis, cerebrum in sua sibi vasa afferere regimen, quamprimum illa intra cranium atque ossea sua munimenta recepit, hancque animationem cerebri iis- dem fieri momentis, quibus pulmones respirare solent. In *al- tero Paragrapho*, quæ de cerebri cortice *Leeuwenhækius*, *Mal- pigbius*, *Vieussenius*, *Ridleyus*, *Ruyfchius*, *Pachionus*, *Swam- merdammius*, *Bærhæavenius*, *Winslovius*, literis mandarunt, fusius recitantur, ex iisdemque colligitur, corticem esse prin- cipem totius cerebri substantiam, in ipso termino primo fibra- rum, & ultimo arteriarum, ac proinde in medio, sitam, ut ex ipso sanguine puriores essentias, & spiritus, qui animales vocantur, valeat extrahere, illosque in tenuissima fila medullaria immedia- te, & inde in nervea corporis, transmittere. Corticea & cineritia substantia est, quæ expanditur & constringitur, seu ex qua ce- rebrum
- §. 1.
 Pag. 1-3.
 4-34.
 §. 2.
 35-48.
 51-53.
 54-62.
 63-66.

rebrum animat. Nam quælibet ejus sphærule apparet esse instar corculi suæ fibræ præfixa, non secus ac cor magnum corporis sui arteriis. Proinde, quoniam totidem origines motus sunt, quot sphærule illius substantiæ, ex illis expansis etiam ipsius conglobati visceris integra moles, superficies nimirum, & vasa sanguifera, atque interior ubivis medulla, constringitur, & vice versa. Memoratæ sphærule illum fortitæ sunt in cerebro situm & ordinem, ut singulæ aut plures simul, aut omnes conjunctim, queant systolen suam & diastolen perficere; aliter vero in cerebello, ut & in medulla oblongata & spinali. Idcirco cerebro secundum ordinatam ejus substantiæ dispositionem potentia est & arbitrium, quascunque velit, fibras & fibrarum fasciculos, ac proinde nervos etiam musculosque, inspirandi, & ad agendum excitandi, quæ singularis & specialis actio est sub voluntaria ejus communi. Sic ex distincta perceptione coordinationis harum substantiarum intelligitur, quomodo determinetur voluntas in actum a cerebro, quomodo a cerebello, & ab utraque medulla, & quomodo in diversi generis animalibus brutis. Cerebrum hæc animationis suæ facultate & vi purissimam essentiam, uti dictum est, ex invitato sanguine extrahit, & in fibras, ut in appendiculas suas, transmittit, cui novam affundit, in castigatissimis ejus substantiæ matricibus eminenti modo conceptam & exclusam. Sic intelligitur, qualis circulatio spirituum animalium peragatur, scilicet a cortice in universas fibras, a fibris in sanguinem, a sanguine in cerebrum, atque sic iterum in corticem; qua ratione nihil eorum perit sine usu, item quibus momentis eveniat, iisdem nimirum, quibus respiratio pulmonum, qui mirifice ad promovendum & transfundendum hunc succum vere animale per nervos concurrunt. Quatenus substantia hæc corticalis in principio actionum sui corporis residet, & ex superiori contemplatur reliqua, ut se inferiora, necessum est, ut singula ei in systemate ita respondeant, sicuti effectus suis causis. Quare per eminentiam ei convenit attribui, quicquid aliquam officii rationem in toto hoc negotio obit, ut singula illius substantiæ pars per eminentiam queat vocari musculus, glandula, imo microcosmus, quando

Pag. 67-70.

71-72.

73-75.

76-78.

79.

80.

81.

82-85.

- Pag. 86. quando integrum corpus dicitur macrocosinus. Partes hujus substantiæ ex eadem ratione merentur organa sensuum interiorum & cerebella nuncupari. Nam media substantia medullari & sanguine ab organis externis alluentes, modos & tactus recipiunt, & ad judicem animam referunt. Partium harum vere organicarum status secundum contingentia, quæ in externis & in sanguine, tum etiam in internis, existunt, varie se mutari patitur, scilicet tepescere, incalescere, expandi, indurescere, turbari, frigescere, constringi, flavescere, adumbrari, mitescere, atque aliter, non secus atque auræ mundi, cum quarum status mutatione hunc illarum quam maxime compares. Et, quicumque ab illis induitur status, seu animus, illico similis diffunditur in continuas fibras, proinde in totum systema, a fibris & vasis sanguineis contextum. Quanquam vero corticea
- 90-92. hæc substantia præcipuum est agens in regno suo animali; non tamen primum est determinans: determinata enim structa & contexta est a purissimis fibris, sic, ut prima sit determinatio fluidi spirituosii, qua intermedia anima, ut vis & substantia universalis, in corporis sui actiones influere valet. Venimus tandem ad *Paragraphum tertium*, eumque omnium gravissimum, & singularia quam maxime argumenta complexum de hac anima humana, cujus quidem naturam proprietatesque propius & accuratius cognoscendi, tanto Cel. Autor incensus fuit desiderio, ut eam quocumque labore pervestigare constituerit. Vidit autem, ad eam notitiam non alia se perductum iri via, quam per doctrinam serierum & graduum, seu ordinis, de qua in *prima Transactione* jam egit, tum & per philosophiam universalem mathematicam, adhuc nondum excultam, quæ non solum ideas superiores significet, sed etiam ad calculum quandam philosophicum, analytico infinitorum, qua formam & aliquot regulas, non absimilem, revocet, siquidem cum utroque hoc doctrinarum genere experientia anatomicæ, pathologicæ, & psychologice, corporis animalis, imo & physicæ mundi, inprimis ejus aurarum, conjungerentur. Quam etiam ob causam anatomen corporis, præcipue humani, tanto studio pertractavit. Nos quidem potiores, quas ipsa hac via Autor reperit, posuitio-

positiones & incognitas antea implicitasque opiniones ipsis Auctoris verbis excerpemus, ne cui forte sensum illarum non recte percepisse, vel non satis candide accurateque retulisse, sed multa perperam Auctori tribuisse, dicamur, utque eo magis & promptius Lectores nostri ferre de illis doctrinis iudicium queant. Primo igitur ex anatomia corporis animalis clare percipitur, esse fluidum quoddam purissimum, quod subtilissimas permicet fibras, atque a sensu etiam acutissimo remotas, quodque universaliter ubivis, in toto, & parte sui limitati universi, seu corporis, regnet, & nihil non in eo continet, irriget, alat, aduet, modificet, formet, & renovet. Hoc fluidum est in tertio gradu supra sanguinem, quem ingreditur, ut substantia & vis sui corporis prima, suprema, intima, remotissima, perfectissima, unica, & propria animalis, ac ut principium omnium determinans. Proinde, si anima corporis inquirenda est, & communicatio investiganda, primo intuendum est hoc fluidum, & perscrutandum, num prædicatis conveniat. Quoniam vero hoc intra naturam tam penitus latet, nulla iniri cogitatione potest, nisi per doctrinam serierum & graduum, junctam experientie, nec describi, nisi beneficio philosophiæ universalium mathematicæ. Hæc tamen non impediunt, quo minus ex sola mentis facultate intuitiva percipere queamus, tale fluidum, quanquam prima corporis substantia est, nihilo minus esse ex superiori alia, & proxime ex iis in universo, quibus principia rerum naturalium a summo Numine impressa fuerunt, & simul perfectissimæ naturæ vires insunt, & proinde formam esse formarum sui corporis, substantiamque formatricem, quæ a primo puncto vivente ducit stamen, & ductum usque ad ultimum vitæ continuat, & ita connectit unum cum altero, atque conexum conservat & regit, ut omnia se mutuo consequantur, & posteriora se referant ad priora, & universum cum singulis per mirificam subordinationem & coordinationem ad hanc primam, a qua dependent, & per quam, & propter quam, ita, non aliter, existunt. Sed fluidum hoc purissimum, seu sanguis supereminens, quatenus a primis mundi substantiis formam suam est adeptum, nequaquam dici potest vivere, minus adhuc sentire,

Pag 99.

100.

101.

102.

103.

105.

106.

107.

108. 110.

- sire, percipere, intelligere, intueri fines. Nam natura in se spectata est mortua, & vitæ tantummodo inservit pro causa instrumentali, sic prorsus subiecta arbitrio intelligentis, qui utitur ea, ut promoveat fines per effectus. Hinc altius petendum est principium ejus vitæ, & quidem a primo esse, seu a Numine universi, quod ipsissima vita, & vitæ perfectio, seu sapientia, est. Hoc primum esse nisi foret vita & sapientia, nihil quidquam in natura potuisset vivere, nedum sapere, aut moveri. Vita hæc & intelligentia non virtute vivificandi influit in alias substantias, quam quæ ad principium motus, & simul ad receptionem vitæ, sunt accommodatæ, proinde in simplicissimas, universalissimas, & perfectissimas, corporis animalis, hoc est, in fluidum ejus purissimum, & eo intermedio in substantias minus simplices universales & perfectas, seu in posteriores ac compositas, quæ omnes agunt vim & vitam suæ primæ, secundum gradum compositionis & formam, quæ dat, ut tales sint, quales esse deprehenduntur. Per influxum hujus vitæ, quæ est causa principalis in regno animato, fluidum hoc purissimum, quod est causa instrumentalis, dicendum est spiritus & anima sui corporis. Sua igitur cuique & propria est anima, cui, ut substantiæ, sedes & locus, etiam pars, magnitudo, vis, forma, competunt, modo abstrahantur proprietates, quæ ingenerantur compositis, tam quatenus componuntur, quam quatenus res plures ab aliis serièbus compositionis gratia ingressuras mutuo trahunt. Sed scire, qua hæc vita & sapientia influat ratione, est infinite supra spheram mentis humanæ. Nulla est analysis & nulla abstractio, quæ eo pertingit. Nam, quicquid est in Deo, & qua ratione agit, est Deus. Sola est representatio ejus per viam comparationis cum lumine. Uti enim sol est fons luminis, & ejus distinctionum, in suo universo; ita Numen est sol vitæ & omnis sapientiæ. Uti sol mundi unico modo absque unitione influit in universi sui subiecta & objecta; ita & sol vitæ & sapientiæ. Uti sol mundi influit mediantibus auribus; ita & sol vitæ & sapientiæ, mediante suo spiritu. Verum, uti sol mundi in subiecta & objecta influit secundum eujuslibet qualificatam indolem; ita & sol vitæ & sapientiæ. Sed ultra in comparatione

comparationis partes exire non licet, quatenus unum est intra, & alterum est supra naturam; unum est physicum, & alterum est pure morale, & unum cadit sub philosophiam mentis, alterum autem se recipit intra sacra Theologiæ, inter quæ sunt fines, quos transcendere ingeniis humanis impossibile est. Præ-Pag. 123.
 terea per hujus vitæ omnipræsentiam & influxum universalem in res creatas, omnia a fine, per fines, ad finem provido ordine constanter fluunt. Ergo sunt duo principia, inter se distincta, quæ fluidum hoc spirituosum, pro anima assumtum, determinant, unum scilicet naturale, quo possit in mundo existere & moveri, alterum spirituale, quo possit vivere & sapere. Ex illis tertium ut proprie suum constat, nempe principium se determinandi in actus finibus universi convenienter. At, quia 124.
 principium hoc se determinandi respicit ultimum mundum seu tellurem, ubi sit determinatum, anima sic principiata descendere debuit per totidem gradus, in quot substantiæ & vires mundi sunt distinctæ, & per consequens formare corpus, singularis in ordine adæquatum. Sunt ideo organa sensoria & motoria, quorum illa & hæc in quatuor gradus sunt dispersita. Or- 126-128.
 ganorum primum est fluidum spirituosum, seu anima, cujus est representare universum, intueri fines, conscire, & principaliter 129. 130.
 determinare. Alterum sub illa est mens, cujus est intelligere, cogitare, & velle. Tertium in ordine est animus, cujus est concipere, imaginari, & cupere. Quartum, seu ultimum, constituitur ex quinque sensuum externorum organis, visus nimirum, auditus, olfactus, gustus, & tactus. Ita etiam organa motoria, quorum ultima sunt muscoli. Ex his, & ex sensoriis, constituitur corpus, cujus est sentire, formare vultus & actiones, disponi, & quod superiores vitæ determinant, volunt, & cupiunt, agere. Quamvis vero totidem gradus sint; semper ta- 134. 135.
 men systema animale non constat nisi ex anima & corpore. Nam medii organismi sunt unice determinationes animæ, a qua, dum a corpore, participant. Hæc jam est scala, per quam unaquæque operatio & affectio animæ & corporis descendit & ascendit. Genuina progressio in descendendo & ascendendo videtur esse. Uti se habent formæ modulationum seu sonorum tris 136.
 137.

- in aure ad formas modificationum seu imaginum ætheris in octo-
 Pag. 138. lo, aut in animo; ita hæc ad formas superiorum modificatio-
 139. num in mente, quæ idæ intellectuales & rationales vocantur,
 quatenus illuminantur a lumine animæ; sic etiam hæc mentis ad
 similes supremas vocibus inexpressibiles in anima, quæ intuitivæ
 finium audiunt, quatenus illuminantur a vita primæ causæ.
 141-143. Anima statim ab initiis conceptionis, quam primam a parente
 suo trahit, nascitur accommodata ad principium motus, simul
 ac ad receptionem vitæ, proinde in suam omnem intuitionem
 & intelligentiam, quam secum a primo stamine & infantia ad
 144-146. ultimam fenestram ducit, mens autem non item, quæ, ut illu-
 minetur a lumine animæ, principiis imbuenda est per viam
 posteriorem, ab organis nimirum sensuum externorum, median-
 te animo. Sic mens, uti instruitur, aut via aperitur, ita commu-
 147-148. nicare potest cum sua anima, quæ determinavit & providit, ut
 vis, ad se ducens, eo ordine explansretur. Exinde sequitur,
 quod menti humanæ nullæ sint innatæ idæ, aut impressæ le-
 ges, sed solum ejus animæ, cui nisi connatæ forent, nulla da-
 retur memoria rerum, a sensibus perceptarum, nec intellectus,
 nec animal, existeret & subsisteret organicum vitæ particeps.
 149. Ex his jam licet inducere, quale commercium sit inter animam
 & corpus. Nam, quæ superiora sunt, influunt in inferiora, se-
 cundum ordinem & ad modum, uti substantiæ formatæ sunt,
 150. & per nexum communicant. Si operatio fluidi spirituosi est
 151-152. anima, & si operatio animæ in substantia organica corticali est
 153-157. mens, & affectio integri cerebri, quod sensorium est commu-
 ne, est animus, atque si facultas sentiendi est in organis sen-
 soriis, agendi autem in motoris sui corporis; ex inquisitione
 diligenti & rationali anatomica patescit, quale sit commercium,
 & quod anima se communicare quest cum corpore, sed per
 158-163. mediantia organa, & quidem secundum eorum statum natura-
 lem & acquisicum. Fluidum spirituosum ad infinitam varietate-
 tem suscipiendam, & status mutationem subeundam, est aptatissi-
 mum & facile, proinde est in perfectissima varietate harmoni-
 ca, tam quæ partes in suo systemate, quam quæ systemata in-
 ter se. Varietatis hujus beneficio anima nihil non, quod ex-
 tra

tra & intra corpus accidit, & illud contingit, conscire, & suam vim iis, quæ intra, & consensum iis, quæ extra eveniunt, ad-
 jicere, potest. Sic intelligitur, quid liberum arbitrium sit, sci-
 licet quod mens eligere possit, quicquid cogitatione in finem
 directa desiderat, proinde ad agendum determinare corpus, si-
 ve sit secundum id, sive contra id, quod cupit animus, sed in
 iis solum, quibus mens instructa fuit per viam organorum, in
 quibus pro fine intuetur honestum, vel utile, vel decorum. At
 vero in superioribus ac divinis mens velle potest media, sed, qua
 finem, se patietur agi ab anima, & anima a spiritus Dei. In-
 terim libera hæc potestas agendi & omittendi est ut medium ad
 finem ultimum Creatoris, seu ad gloriam Dei, mentibus hu-
 manis concessa. Aliter vero sit in animalibus brutis, quorum
 fluidum purissimum ab æthere secundi ordinis formam suam ad-
 eptum est, non in superiori, sed in eodem, gradu cum eorum
 organismo, qui menti nostræ responderet. Unde nascuntur in
 communicationem suæ animæ cum corpore, seu in omnem con-
 ditionem suæ vitæ, & ordini naturæ convenienter feruntur in
 fines, quos ipsi ignorant. Ex his jam præmissis usque ad fidem
 intellectus demonstrari potest, fluidum spirituosum humanum
 esse immunissimum ab omni injuria contingentium in regione
 sublunari, nec extinguibile, sed immortale, tametsi non per
 se, post casum sui corporis, idque exsolutum a vinculis & la-
 queis terrestrium in omnem sui corporis formam coaliturum, vi-
 cturumque esse vitam omni imaginatione puriorem; tum &
 nullam esse adiunculam ex consulto, & nullam voculam ex con-
 sensu, in vita ejus corporea editam, quæ non, affulgente luce
 sapientiæ, inhzreter designatæ, tunc ante ejus conscientiæ ju-
 dicium distincte essent comparituræ; demum societatem anima-
 rum esse in cælo, cujus seminarium est civitas Dei in terris,
 in qua, & e qua, finis finium respicitur.

Pag. 163-168.
168-171.
172-174.
174-176.
177.
178-183.
184-185.
186-189.
190-192.
193-194.

OBSERVATIONS ON POETRY, ESPECI-
 ally the Epic, &c.

hoc est,

OBSERVATIONES, POESIN, ET PRAESERTIM
 Epicam,

G g 3

*Epicam, spectantes, per occasionem novi Carminis,
Leonidas dicti, conscriptæ.*

Londini, expressum ab H. Woodfall, venale Jo. Brothertono,
Jo. Nourse, R. Dodsley, 1738, 8.

Plag. 16.

Autor in Præfatione appellat se *H. Pembertonum*, & scriptum ait libellum admonitu amicorum, qui proprias ipsius, & diuina *Homeri* lætione ac meditatione collectas, de Epico carmine sententias conscribi & edi voluerint. Primum igitur *Aristotelis* præcepta de carmine epico, tragœdiis, & comœdiis, identidem carpit. Non enim solum actionem alicujus personæ præcipue spectandam, sed characterem etiam & mores diligenter considerandos esse, monet. Improbat item, quod quidam finem primarium singulorum carminum epicorum unice spectandum putant, cum discrimina characterum cujusque personæ non minorem utilitatem lectoribus afferre debeant, ac proinde diligenter designanda sint. In morum quidem characteris, actionum, & circumstantiarum, exacta convenientia dramaticæ Poeseos laudem versari judicat. Nimirum eventuum excellentiorum varietas, singulis personarum excellentium moribus accommodata, non mediocrem ingenii viam in Poeta & requirunt, & declarant. Atque actio illa una carminis epici circumstantiis tamen distincta debet esse, prudentiæ Poetæ & illius patriæ vel regioni collaudandæ gloriosa. In quo tamen *Homerus* lapsus est, iram describens popularibus Græcis perniciosam, hostibus *Trojanis* exoptatam & utilem. *Virgilius* item turpiter peccavit, repetito ex ultima pæne antiquitate heroe, patriam infeliciter relincente, peregre beneficis insultante, & alieno regno se regem obtrudente magis, quam offerente. Talis quidem advena Romanis, & illorum patriæ, parum laudis assererat. *Leonidam* autem, Britannorum tragœdiam, universarum gentium approbatione dignam judicatum, ac proinde Autori tragœdiæ honorificentissimam esse, demonstratur. *Sectione IV* de sensu hominum singulorum & characteribus agit Autor, quos in generales & speciales diuidit, & ex intima hominum natura rectè repetendos esse,

esse, censet. Persequitur tum præcipuarum personarum characteres in *Leonida*. *Sectione V* de lingua poetica exponit, quæ obscuritatem & tenuitatem fugere debet, ut in omni stili genere facere nos oportet. Summam stili poetici & oratorii differentiam ponit in diligentiore imaginum, affectus moventium, usû, qui Poetis ita sit proprius, ut eadem cura Oratoribus putanda sit vitiosa. E tropis igitur & figuris Rhetorum quæ imaginationem eximie moveant, Poetis relinquuntur præcipuo jure, item ut creber ille ac pene immoderatus epithetorum occurfus. Quam rem omnem veterum autoritatibus firmat Autor. Stylum autem comœdiæ, tragœdiæ, epici carminis, cum ex fine singulorum carminum horum, tum personarum, singulis propriarum, & cujusvis temporis, ratione moderandum censet. *Sectione VI* de versuum rhythmis & metris agit Autor, ubi, plus valuisse veterem poesin, concedit, cum nostræ linguæ multas habeant syllabas ineertæ quantitatis, & pedes interdum miscantur diversæ naturæ. *Sectione VII* Autor de differentia epicæ & dramaticæ Poeseos disserit, ubi major epicæ tribuitur facultas exprimendi characteres personarum, & res, imaginationem afficientes, v. g. castra, urbes, exercitus, similitudines actionum, & addendi aliqua, quæ ad ornatum modo carminis pertinent. *Sectione VIII* agit de eo, quod sublime est. Id ponitur in vocabulis distinctis, sonoris, nervosis, quæ sensum brevi, perspicue, & valide, assequantur. Sententiæ autem debent esse elatæ imagines & actiones admirabiles, ut affectus commoveantur. Sic *Homeri* ætate vulnera, fugæ, fortitudines Deorum augebant descriptiones præliorum; cum hæc talia hodie nihil omnino valerent, præterquam ad derisionem & contemtionem. Concludit Autor judicium suum de *Leonida* testificatione candoris & æquitatis, ubique observatæ. Ceterum Autor de epico & tragico carminis genere rationem ducem fideliter secutus est.

MISCELLANEA LIRSIENSIA NOVA, AD INCREMENTUM Scientiarum, ab his, qui sunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata.

Voluminis

Voluminis I Pars IV.

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschium, 1743, 8.

Plag. 14 $\frac{1}{2}$.

- S**cenam Portis hujus ultimæ aperit Vir. S. Rev. *Joannes Conradus Schwarzius*, in explanando loco *1 Reg. VI, 31*, occupatus. In hoc dicitur *Salomo* faciendum curasse ostium adyti circularis, ac postes adornandas curasse ex lignis oleaginis. Tum vero hæc subjecit scriptor divinus verba: **מִזְמֵת מִזְמֵת מִזְמֵת**. Hæc ita in Latinum Vir præstantissimus vertit: *Arcus eminent circum postes quinque repetitus cernebatur.* In voce **מִזְמֵת** latet subaudienda vox **מִזְמֵת**. Solet hæc elipsis passim adhiberi, e. g. *Gen. XXI, 5, Lev. XIII, 5, 33, 54, Num. X, 6, Jos. V, 2, 2 Sam. XIV, 29, 1 Reg. XVIII, 44.* Singulæ portæ binis constabant foribus, & singulæ fores singulis postibus inhærebant. Ergo, cum duæ essent portæ, quatuor erant postes. Voci **מִזְמֵת** subesse notionem *arietis*, satis superque est compertum. Vocem rei architectonicæ adhibitam fuisse sensu translato, ex *Ezechiele* patescit. Per eam designari non nisi perpetuitatem eminentiæ lapidum in formam arcus, a sinistra ingredientium ad dextram inflexi. Inter voces **מִזְמֵת** & **מִזְמֵת** subaudiendam arbitratur voculam **מִזְמֵת**, *juxta*. Quam quidem in sententiam, licet omnium probabilissimam, nemo ante Cel. Autorem, quantum meminisse licet, incidit. Excipit hanc explanationem *Petri Zornii* *Dissertatio de מִזְמֵת מִזְמֵת, sive habitatoribus mortarii Hierosolymis, ad Sophoniæ I, 11.* Ostendit Autor, locis permultis a figuræ similitudine tracta obtigisse nomina. B. *Joannes Christophorus Wichmannsbaufen* credidit, Hierosolymam dictam fuisse mortarium a concava figura, quæ ei fuit inter montes Sion, Moriah, Acra, & Gichon. Judæi perperam varia huc convasarunt. Pars eorum designatum credidit torrentem Kedron. Noster, intelligi, existimat, locum, in quo mercatores & collybitæ, præcipue aromatum pararii, habitaverint, dicti alias aromatarii & sepiusarii. Succedit *Joannis Christophori Harenbergii* *Diatrise physico-theologica de Regeneratione, an iterari possit, ejusque natura, ad Tit. III, 4-7.* Initio statim Autor

Autor evolvit varios regenerationis significatus, amplum, angustum, & arctissimum. Exponit deinde dictum *Pauli* ex orationis complexu. Differre regenerationem arctissimi significatus a conversione mentis ad Deum, monet, ac *B. Buddei* suffragio sese communit. Baptismum & infantum & adultorum explicat. Pædobaptismum tribus argumentis Biblicis & observatione Apostolica firmat, inprimis consensu *Origenis* ac aliorum ecclesiæ Patrum. Rationem, cur lotio sacra vocetur baptismus *renovationis*, exhibet. Regenerationem, arctissime sumtam, esse contractum *διπλευρον*, symbolice haud iterandum, docet, addens, fas esse, ut candidatorum baptismi nomine præmittatur fidei professio. Regenerationis negotio contineri universam Novi Instrumenti œconomiam, demonstrat. Cur baptizatio & regeneratio arctissimi sensus haud iteretur, profert rationes, addens litem Patrum de baptisino ab hæreticis suscepto. Lotionem sacram, quæ dicitur perfusionis, seu adspersionis, in Ecclesia Christiana semper creditam fuisse scopo sufficere, contra *Isaacum Beaufobrium* & *Joannem Harduinum* contendit. Unctionem veteres adjunxisse baptismi, monet, ob versionem Nov. Test. veterem Italicam, in qua lectum fuerit *Matth. XXVIII, 19: Baptizate ungentes gentes*. Promittit loca Fœderis Novi, in quibus fit mentio mysticæ generationis ac regenerationis. Ostendit, qua ratione regeneratio dicatur vel iterari posse, vel iterari non posse. Locum *Jo. III, 3*, de baptismo ac regeneratione arctissimi significatus exponendum esse, monstrat, & argumenta *Stephani de Brais* refellit. Baptismus, *ἡς τὸ ὄνομα τῆς Χριστοῦ* administratus, ipso iudice, est is, qui ad iussum & præscriptum Christi in nomine Dei triunius expeditur, ac repudiat sententiam *Thomæ Aquinatis*, *J. A. Orsini*, *Nicolai I Pontificis*, & *Canalis*, qui putarunt, Apostolos aliquando in solum Christi nomen homines baptizasse. Adjungit tandem monita de fœdere baptismali custodiendo, & notas hominis regentis genuinas subnectit. Hinc locus datus est *J. B. Notitia libri longe rarissimi, paucissimisque visi, Philippi Melancthonis Hypotyposeon, Italico sermone editarum*. Nec *Jo. Vogtius*, nec *Jo. Georg. Schelhornius*, hunc librum viderunt. Latinas Autor editiones *Hypotyposeon* recenset singulas, ac differentias earum designat. Titulus libri, quem ipse possidet, ita est conformatus:

Hh h

I prin-

Pag. 590.

593.

597.

603.

605.

609.

613.

619.

623.

628.

- Pag. 632. *I principj della Teologia, di Ipposilo da Terra negra. Con gratia & privilegio.* Deest annus locusque impressionis. Est quoque omiffa Præfatio ad *Filemannum Platenerum*. Constat libellus foliis 87. Crediderunt viri docti, Locos *Philippi* communes Italice lectos, ac deinde agnitos repudiatosque fuisse, nittentes *Scaligaraniis secundis pag. 207.* Conjecturis probabiliffimis evincit Autor, libellum Venetiis ex prelo *Manutiano* A. 1534 prodiffisse in lucem. Relata illa a *Scaligero* dispicit, eaque ad *Julium Casarem Scaligerum* fpectare, contendit, argumentis firmis adjuvatus. Rariffimæ Commentationi fuccedit *Jo. Burcharidi Menckenii, Ottonis filii, de Vita & in literas meritis Ottonis Menckenii, doctoris Lipsienfis, Oratio, nunc primum edita, & notis Frid. Ottonis Menckenii illustrata.* Recitavit eam ex cathedra Philofophorum nofter olim *Menckenius* A. 1708, 4 Cal. Febr. Plene defcribitur hic & copiofe vita *Ottonis Menckenii*, cui *Acta* hæc noftra non ortum tantum fuum, fed magnam etiam famæ fuæ partem, debent. Accedunt præterea ex penu *Fridericii Ottonis*, nepotis, anecdota bene multa, quæ eodem fpectant. Quæ paffim de *Ottone* apud alios leguntur, ea ex *Programmate*, quo futurus ejus A. 1707 fuit cohonestatum, defumta funt. Autores *Supplementi ad Lexicon Morerii*, A. 1735 Pariffis duobus formæ majoris *Voluminibus* editi, Tom. II pag. 58 *Ottonem* hanc vocant *Ludovicium Ottonem*, quem fcilicet Licentiatum S. S. Theologiæ per præfixum *L.* dictum fuiffe, ignorarunt. Patriam *Ottonis Menckenii Juffus Lipfius*, Oldenburgi a pifcatoribus nonnullis in fuburbio minus liberaliter habitus, miris infeltavit invectivis, *Jo. Domanni & Hermannii Hamelmanni* apologia repulfus. Epiftolas illas, Oldenburgi oppido & Comitatu graves, denuo hic habes editas, inter *Opera Lipfii*, junctim edita, fruftra quærendas. De *Domanni & Hamelmanni* Vindiciis adduntur ea, quæ ad hanc controverfiam faciunt propius nofcendam. Ad *Westphalos* doctos fpectat commentariolus, Oldenburgo illustrando aptus. Vita *Joannis Olearii* fuccincte exponitur, ejusque obitus referatur ad annum 1713. Adduntur vitæ *Chriftiani Fridericii Franckensteinii, Fridericii Rappolti, Jacobi Thomafii, & Valentini Albertii.* Judicium de spinofis Logicæ & Metaphyficæ ftudiis, olim deliciofis, ætate noftra legi dignum eft, qua denuo infelix illud lolium & urenda filix fundo literario videtur imafci. Juvat legiffe, qua ratione *Acta Eruditorum* primum ab *Ottone* fuerint

rint in lucem producta. Carmen, quo illa B. Jo. Georg. Pri-Pag. 711
tius celebravit, hic habes. Nec omisit nepos ea, quæ ad avi
 munera & scripta curatius noscenda spectant. Adderemus
 plura, nisi res focialium hic agi videretur. Id unum adjicimus,
 Lectoribus rerum peritis nos permittere arbitrium statuendi,
 utrum Musa nostra ad *Volumen secundum* auspicato possit pro-
 gredi edendum, an vero, ut illa conquiescat, optabilius videatur.

NOVA LITERARIA.

Quid novi nunc Florentiæ meditetur doctissimus celeberrimusque Vir, *Antonius Franciscus Gorius*, jucundum erit Lectori cognoscere ex hac *Cajetani Albizini*, Typographi Florentini, haud ita pridem edita, ad *erudita Antiquitatis Cultores* Epistola, quam, quod plenam scriptorũ *Gorianorum* velut historiam literariam contineat, hic, ne verbo quidem mutato, legendam exhibemus:

Quod Cl. Gorius, in Florentina Academia Historiarum Professor, diutius, quam spe atque animo conceperat, in domesticis forulis promissam seriem & continuationem Musei Etrusci sui cohibuerit, cum jam Tabulas ducentas, annis fere abhinc quinque æri incisas, in promptu haberet; in causa potissimum fuit alterum Musei Florentini Volumen, nempe sextum, in quo reliqua ex ære maximo Numismata celeberrimi Cimeliarchii Magni Ducis Etruriæ ab eo illustrantur, ad quæ etiam Indices locupletissimos, qui modo excuduntur, adjecit. Interim, dum Opus hoc urgeret, & alterum fere ad umbilicum perduceret, nimirum Volumen III Inscriptionum antiquarum, quæ in Etruria urbibus exstant, cujus etiam Operis Indices ad normam Scaligerianorum ad Gruterum, & Reinesianorum, nunc imprimuntur, ut quantocius in lucem absoluta prodirent; contigit, ut, jubente ac favente Clementissimo Principe, Francisco III, Lotharingia & Barri Duce, Rege Hierusalem, Etruria Magno Duce, eodem Gorio curante, edendum in lucem fuerit Opus optatissimum, plane insigne, omnigenaque eruditione refertum, nempe Catalogus Codicum MStorum orientalium Bibliothecæ Medicæ, cum Laurentianæ, tum Palatinæ, quos Vir doctissimus, Stephanus Evodius Assëmanus, Archiepiscopus Apamensis, summo labore digessit, recensuit, Notisque eruditissimis & locupletissimis illustravit; cui quidem Operi, pereleganter duobus abhinc

mensibus excuso in meo typographio, accedunt Tabula XXVI, Sanctorum imaginibus, cum Veteris, tum Novi, Testamenti, auro variisque coloribus picta, qua pariter exhibent Eusebii Casareensis & Ammonii Alexandrini Canones Harmoniæ Evangelistarum, quibus ornatur Codex Syriacus insignissimus, sexto a Christi Nativitate Seculo exaratus, qui in Bibliotheca Basilica Laurentiana asservatur. Huic Catalogo, in quo omnium Codicum accurata descriptio, & eorum, qua pertractantur, erudita synopsis, exhibetur, & qui lucæ digni sunt, Codices declarantur, Indices IV, a se multo labore concinnatos, plane uberrimos, idem Gorius adjecit, ac, ne quid decori & elegantia hujus libri deesset, diligentè studio curavit. Hisce igitur curis ac laboribus, Deo adjuvante, perfunctus, jam se contulit ad illustranda antiquorum Etruscorum Monumenta, eaque præsertim, quæ in nobilissima Volaterrarum urbe nuper effusa sunt; inter quæ ea locum habebunt, quæ in publico urbis summiq; magistratus Museo, ac præsertim ea antiqua Etruscorum opera, nuper eruta, quæ in Museo D. D. Guarnacciorum Volaterris eleganti ordine disposita, publico doctorum hominum beneficio collocata sunt. Hæc Monumenta, nunquam antea edita, & alia luce dignissima, complectetur Volumen III Musei Etrusci, jam meo prelo commissum, in quo ærea Tabulæ centum, diligenter ac fideliter delineata, atque etiam Observationibus ejusdem Autoris illustrata, proferentur. Deo dante, absolutum prodibit hoc Volumen III intra hunc annum 1743. His præ coronide accedent Dissertationes III, exquisito judicio, omnique eruditionis fruge, refertæ, quas Gorio, amico suo, misit Vir doctissimus, Joannes Baptista Passerius, JCtus Pisaurensis, modo Diæceseos ejusdem urbis Vicarius generalis, supra omnem laudem meritissimus; quarum prima tractat de Genio domestico; secunda Acheronticus, sive de Ara sepulcrali, inscribitur: in qua etiam de Laribus, & Geniis, non pauca annotantur, & complures lapides, Etruscis literis scripti, explicantur; tertia Funerum ritus veterum Etruscorum illustrat, prolata nunc primum in lucem Perusina insigni columella, literis Etruscis insculpta, & triginta supra sex ornata figuris, quæ Perusia existat in ædibus Nobilium Alfaniorum. Ne quid vero & in hoc Volumine desideretur, Indices in sine satis luculenti adjicientur. Illud superest, ut Socios, qui Museo Etrusco nomen suum

sub-

subscribere, rogem, ut Volumen hoc benigno favore prosequi dignentur, eidemque subscribere velint, solventes in antecessum vel mihi, vel Josepho Gorio, Autoris germano fratri, qui facile in hac urbe reperiri potest, intra proximum mensem Julium hujus anni 1743 scuta Romana tria, nempe Paulos Rom. 30, pro quibus chirographum data pecunia, sigillo Autoris obfignatum, manique ejusdem subscriptum, accipient. Alia vero duo scuta, nempe Paulos Romanos 20, solvent, cum ipsum Volumen accipient, circa finem hujus anni 1743, jam a me impressum elegantibus characteribus, nitidaque charta in folio; quod Opus nulla in re, neque ipsis ornamentis, ab aliis jam editis duobus Voluminibus dubio procul differet. Transmarini Socii unica suscepta cura, si voluerint, integrum subscriptionis pretium, nempe Paulos Rom. 50, solvent intra proximum mensem Augustum hujus anni 1743, max Volumen alia sine impensu accepturi. Si quis vero duo Volumina Musei Etrusci, A. 1737 jam edita, emere nunc voluerit, dummodo huic Volumini III subscribat, ea accipiet, soluto pretio Paulorum 120. Qui vero subscribere noluerit, ea non accipiet minori pretio, quam Paulis 140. Tertium vero ejusdem Musei Etrusci Volumen, de quo agimus, elapso prateritoque hoc tempore, minori pretio non accipiet, quam Paulis 65. Promissa me religiose sancteque servaturum, sciant omnes, & de mea fide & honestate non dubitent. Quoniam vero frequenter Bibliopola, cum exteri, tum nostrates, scriptis ad me literis, rogant, ut mittam Elenchum librorum, qui in lucem prodierunt autore eodem Cl. Gorio, opportune hic eos enumerare, servato temporum ordine, non abs re visum est. Prodierunt autem A. 1726 Inscriptionum antiquarum, in Etruriae Urbibus exstantium, Pars I, eas continens, quae Florentiae sunt, cum Tabulis XX; adjectis Notis Cl. Ant. M. Salvini, & perpetuis Observationibus ejusdem Gorii Autoris. Florentiae, typis Josephi Mannii, in fol. maj. & min. A. 1727 Monumentum, sive Columbarium, Libertorum & Servorum Liviae Augustae, & Caesarum, Romae detectum in via Appia, anno 1726 ab eodem A. F. Gorio descriptum, & XX ari incisis Tabulis illustratum, adjectis Notis Cl. A. M. Salvini, in fol. Florentiae, e Regia Magni Ducis Typographia, apud Tartinium & Franchium. A. 1728 Descrizione della Cappella di S. Antonino, Arcivescovo di Firenze dell'Ordine de' Predicatori, dedicata al medesimo

Santo dalla Famiglia de' *Sarviati*, Patrizj Fiorentini, nella Chiesa di S. Marco di Firenze dello stesso Ordine: presentata alla Santità di *Benedetto XIII*, Sommo Pontef. in *Foglio*. In Firenze, nella Stamperia di *Bernardo Paperini*, con Tav. VIII. A. 1731 Jo. Baptistæ Donii, *Patricii Florentini, Inscriptiones antiquæ, nunc primum editæ, Notisque illustratæ, & XXVI Indicibus aucta, ab A. F. Gorio, Publi. Historiarum Professore. Accedunt Deorum Aræ, cum observationibus ejusdem, & Tabula XIII æri incisa, aliæque vetustissima Monumenta. Classis XIX complectitur scripturas antiquissimas, in arborum cortice exaratas. In folio. Florentia, ex Regia Typographia per Tartinium & Franchium. Eodem anno Musæum Florentinum, exhibens insigniora vetustatis Monumenta, quæ Florentia sunt, Joanni Gastoni, *Etruriæ Magnæ Duci, dedicatum. Volumen I. Exhibentur ex Thesaurò Mediceo, & privatorum Dactyliothecis Florentinis, Tabulis C, imagines Virorum illustrium, & Deorum, ex Gemmis antiquis, cum observationibus ejusdem Gorii, in fol. max. Florentia, ex Typographia Francisci Moïcke. A. 1732* Descrizione dell' Arco innalzato dalla Nazione Britannica sulla piazza della Città di Livorno, per l' ingresso fatto in essa il di 27 Dicemb. 1731 dall' A. R. del Sereniss. *Infante D. Carlo &c. in fol. con Tav. fig. Firenze, nella Stamperia di S. A. R. Eodem anno Musæi Florentini Volumen II, in quo exhibentur ex Gemmis antiquis Thesauri Medicei, & privatorum Dactyliothecis Florentinis, Tabulis C, imagines Virorum illustrium, & Deorum, cum observationibus ejusdem Gorii. In fol. max. ex Typographia Franc. Moïcke. A. 1733* Dionysii Longini *Libellus, Græce conscriptus. Latino, Gallico, & Italico, sermone redditus, additis Annotationibus, &c. In 4, Verona, ex Typ. Jo. Alb. Tumermanni. La traduzione Toscana, o Italiana, è del Sig. Gori. A. 1734* *Inscriptiones antiquæ Græcæ & Romanæ in Etruriæ urbibus, Pisis, Senis, Fesulis, Pistorii, Prati, Volaterris, Arretii, Cortonæ, Clusii, Politiani, finitimisque locis, exstantes, adjecta Appendice. Pars II, cum Notis integris A. F. Gorii. In fol. major & minor. Florentia, typis Jos. Mannii. Eodem anno Musæum Florentinum, in quo exhibentur Statuæ antiquæ Deorum, & Virorum illustrium, æreis Tab. C. incisa, quæ exstant in Thesaurò Mediceo, cum observat. ejusdem Gorii. In fol. max. ex Typogr. Franc. Moïcke. Porro Trattato del Sublime di Dionisio Longino, tradotto dal Greco in Toscano. Edizione del Sig. Gori, più corretta di quella di Verona. In 8, in Firenze, per Gaetano Albizzini. Demique Nicolai Averanii, *JCti & Mathematici Flor. Dissertatio de Mensuris Egyptiorum, in gratiam Antonii M. Salvini, adjectis Notis P. Henrici Notis. curante A. F. Gorio, nunc primum edita. In 4, Florentia, typis Cajet. Albizini. A. 1737* *Musæum Etruscum, exhibens insigniora veterum***

orum Etruscorum Monumenta, aereis Tabulis CC. nunc primum edita, & illustrata Observationibus A. F. Gorii. Volumen I & II. In fol. Florentia, in aedibus Autoris excud. Cajet. Albizinius. A. 1738 *Demetrio Falereo* della Locuzione, tradotto dal Greco in Toscano da *Marcello Adriani*, il Giovane, Gentiluomo Fiorentino, Professore di Lettere Greche nello Studio di Firenze, dato la prima volta alla luce. In Firenze, in 8, per *Gaetano Albizini*. A. 1739 Risposta di *Anton Francesco Gori*, Autore del *Museo Etrusco*, all' Illustrissimo Sig. Marchese *Scipione Maffei*, Autore delle Osservazioni Letterarie, pubblicate in Verona nel IV Tomo. In 8, Firenze, nella Stamperia di *Anton Maria Albizini*. A. 1740 *Museum Florentinum, exhibens antiqua Numismata maximi moduli, quae in Regio Thesauvo Mag. Ducis Etruriae asservantur*, *Francisco III, Ducis Lothar. & Bar. Regi Hierusalem, Etruriae Magni Ducis, dedicatum.* In fol. max. Florentia, ex Typograph. Franc. Motzke. Volumina duo, quorum primum Tabulas CXV complectitur; alterum vero observationes ejusdem Gorii. Volumen III intra paucas hebdomadas in lucem prodibit. Continet observationes in reliqua Numismata max. mod. ab Imp. Septimio Severo, usque ad Justinianum Imp. adjectis Indicibus locupletissimis. Eodem anno *Adrii Sinceri Sannazarii, Neapolitani, Viri Patricii, de Partu Virginis Libri tres, Etrusco carmine redditi a Comite Jo. Bartholomæo Casaregio, nunc primum cõglati cum Vaticano & Mediceo Codice, adjectis eorum Notis, cum observationibus in quatuor veterum Christianorum Monumenta, quae exhibent Nati Domini Præsepe, cura & studio A. F. Gorii.* In 4 & in 8, Florentia, ex Typograph. C. Albizinii. Denique *Sonetti e Canzoni Toscane del Conte Gio. Bartolommeo Casaregio, Accademico della Crusca, date in luce da A. F. Gori, e da esso dedicate al Sig. Abbate Pietro Metastasio.* In 8, Firenze, per *Gaetano Albizini*. A. 1743 *Bibliotheca Medicea Laurentiana & Palatina Codicum MStorum Orientalium Catalogus, sub auspiciis Regiae Celsitudinis Francisci III, Lotharingie & Barri Ducis, Regis Hierusalem, Magni Ducis Etruriae, Stephanus Evodius Assemanus, Archiepisc. Apameæ, recensuit, digessit, Notis illustravit, Antonio Francisco Gori curante.* In fol. Florentia, ex Typograph. Albiziniiano. *Accedunt memorabilia Orientalium Codicum, item notæ, & tituli, characteribus orientalibus, Romæ excusis. Gorius adjectis pictas Tabulas XXVI Codicis Syriaci Evangeliorum vetustissimi &c. Paravensiu ad Lectorem, & Indices IV locupletissimos, & ad unatum, vetusta monumenta aeri incisa. Summa foliorum 157, Tab. XXVI. Sub prelo sunt, & propediem prodibunt, 1) Musei Florentini Volumen III, (in ordine VI) quo reliqua Numismata max. mod. Regii Cimetariæ observationibus illustrantur, adjectis Indicibus. 2) Inscriptionum antiquarum, quae in Etruria Urbibus exstant, Pars III, cum Tabulis L, adjectis Indicibus XVI locupletissimis. In fol. majov. & minora. Typis Petri Cajet. Vivianii 3) *Difesa dell' Alfabeto degli antichi Toscani, publicata nel 1737 dall' Autore del Museo Etrusco, disapprovato dal Sig. Marchese Scipione Maffei nel Tomo V delle sue Osservazioni Letterarie, date in luce in Verona con Tav. IX, e con Monumenti insigni.* In 12, in Firenze, per *Anton. M. Albizini*. Promette l'Autore*

Autere in principio la Storia Letteraria del principio, e de' progressi fatti fino al presente tempo nello Studio sopra le Antichità degli Etrusci, 4) Osservazioni critiche sopra alcuni Paragrafi del Ragionamento degl' Itali primitivi, in cui dal Sig. Marchese Scipione Maffei si vuole, che gli Etrusci vengano dagli Ebrei. Si aggiungono altre Osservazioni in difesa del Museo Etrusco. In 8, in Firenze, per Anton Maria Albizzini. 5) Museum Etruscum, exhibens insignia veterum Etruscorum Monumenta, eaque praesertim, quae in Museo Guarnacciano, ceterisque Volaterranis, exstant. Aereis Tabulis C. nunc primum edita. Volumen III, cum Indicibus, in fol. Accedunt Dissertationes III V. C. Jo. Bapt. Passerii, J. C. Pissaur. &c. 6) Jo. Baptistae Donii, Patricii Florentini, Lyrae Barberinae, sive Amphycordum, in quo libro vetus Citharodia, Lyraeque praesertim, ac Citharae, forma, usus, partes, species, appellationes, illustrantur. Opus nunc primum editum. Accedunt ejusdem Donii Diss. de Praestantia Musicae veteris; Idea, sive designatio, aliquot Operum ejusdem Donii; ejusdem Pro-gymnastica Musica pars veterum restituta, & ad hodiernam praxin redacta, Libri II, nunc primum in lucem editi; ejusdem Dissertatio de Musica sacra; duo Trattati, l' uno sopra il Genere enarmonico, l' altro sopra gl' Instrumenti di tasti di diverse Armonie con cinque Discorsi; adjectis Opusculis aliis, nunquam antea editis, ad Musicam illustrandam, & restituendam, pertinentibus; item Epistola Clarorum Virorum ad Donium, & Donii ad eosdem Viros Claros. Adhuc sub prelo Opus, curante Anr. Franc. Gorio, F. P. H. P. multis figuris aereis Tabulis locupletatum ex antiquis monumentis, quae Musica Instrumenta praeserunt. In fol. 7) Cum alia praeciosa Donii scripta luce digna nuper inveniis Gorius, non unum dumtaxat, sed duo, praeferuntur Donianorum Operum Volumina, quibus Musica, cum vetus, tum nova, egregie ab eo illustratur; inter quae praesertim: Trattato della Musica Scenica &c. cum Tab. fig. 8) Satire Toscae di Jacopo Soldani, Patricii e Senator Fiorentino, con Annotazioni del Sig. Gori, e di altri dotti Letterati. Colla storia della Traslazione dell' Ossa di Galileo Galilei, sommo Filosofo, Matematico, ed Astronomo Fiorentino, collocate nel nuovo sepolcro in S. Croce, fattogli a spesa del Celebratiss. Vincenzio Viviani, suo Scolaro. Queste Satire sono spesso citate dal Vocabolario della Crusca. Quia vero interim parat Gorius Syntagma, sive Thesaurum, Diptychorum omnium ex eboris, cum professorum Consularium, aliorumque, tum etiam sacrorum, in quibus sculpta Sanctorum Imagines, ad quod Opus locupletissimum valde excitatus est ab Eminentissimo Principe Angelo Maria S. R. E. Cardinali Quirino, Bibliothecario Apostolico, & Episcopo Brixienfi doctissimo, ac vigilantissimo; idcirco Viros doctos enixis precibus rogat, ut haec antiqua Diptycha, quae interdum in Sacranis antiquarum Ecclesiarum, vel in privatis forulis, incognita, & plerumque neglecta, laetant, solerti cura ubique investigent, indicentque Collectori, vel delineata transmittant, uberem gratiam, & declaratum cum laude in eodem Opere nomen suum, vel pro impensa remissam summam, accepturi. Orat etiam obsecratque, ut, si quae inedita invenerint in Diptycha veterum Commentaria, tuta occasione transmittant, dato prius monito per Epistulas.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti Anno MDCCXLIII.

*MARMORA DANICA SELECTIORA, SIVE IN-
scriptionum, quotquot fatorum injuriis per Daniam
superfunt, vel ævo, vel elegantia, vel rei momento,
præ reliquis excellentium, Fasciculus, in duos Tomos di-
stinctus, quorum prior ea, quæ in Insulis Danicis, po-
sterior, quæ in Cimbrica Chersoneso, obvia sunt, comple-
ctitur, accedente ad calcem Tomi posterioris rerum per-
sonarumque Indice locupletissimo. Colligente &
adornante ERICO PONTOPPIDANO,
Aarhusio - Cimbro.*

Hafniæ, 1739 & 1741, fol.

Tom. I Alph. 3, Tom. II Alph. 4 plag. 3.

Venustæ elegantia Opus, & justis harum rerum existima-
toribus jucundum omnino spectaculum, Inscriptionum
hoc corpus, ac diligens laboriosaque per omnem Da-
niam collectio, sistit. Patriæ enim movit amor, & grata majo-
rum memoria, Cel. Pontoppidanum, ut ad colligendum sit
multo cum labore, dein ad edendum, Marmora hæc, lapi-
desque, passim per cœli sui Insulas reperiundos, se accingeret,
diligenterque sollicitius ea omnia, quæ vetustatem ecclesiæ
Danicæ redolere, historiæve patriæ notitiam ad seros etiam po-
steros transmittere, possent. Satis jam erat hæc, valdeque mo-
vens, ad Epitaphia veterum pervestiganda, excitatio. Alia
vero

vero adfunt, neque ea quidem minora, quæ sustinere onus grave acriter, ferreque patienter labores quosvis, Editorem Clarissimum jufferunt. Voluptas animi ingens, percepta ex rebus ejusmodi, egregius ille in locupletanda patriæ suæ historia, biographica inprimis, usus, redundatura alia, spernenda neutiquam, adminicula, fuere, quæ devorare potius omnia, quam ipsum denuo excutere propositum, aut abjicere affectum opus, cultiori Dania dignissimum, suadere visa sunt. Fatum sapissime inclementius, & omni quotidie historiæ insidias struens, cum nomina illustrium doctissimorumque hominum, gestarumve tum temporis rerum documenta, ausu plus temerario, manet, atque inscriptæ diligenter sepulchralibus saxis res immortales ruinis suis rudibusque immittentur, aut edolantur, delenturve, ut novellis inscribendis idoneum rasâ tum tabula locum præbeat. Plures multorum seculorum venerandi ejus generis testes, æternitatem promerentes, & marmore raro digni, calcantium pedibus diu multumque contriti, dum edaci rerum tempori minitari videbantur, humana duritie intereunt, parumque sæpe servant residui. Chartæ fidelius, dixeris, mandari aliquid levissimæ, quam duris lapidibus committi. Vindicavit igitur, his rationibus adductus, ab interitu *Pontoppidanus* elegantissimus dispersa per omnem Daniam monumenta, sed vindicavit ea saltem, & morti eripuit, quæ eminere supra vulgarem sortem, & cum judicii solertia intusculpta, videbantur, cum ceteris chartam denegare potius bonam consultius duxerit. Quicquid igitur vel canam & venerandam merito suo verustatem, vel suspicienda heroum, summorumve virorum, gesta, vel merita rara in ecclesiam patriamque, vel sapientiæ & probitatis indolem, vel dictionis denique elegantiam, sapere præ reliquis putavit; illud omne factorum tempestatibus subtraxit, & in hoc unum corpus attenta gnaviter sedulitate composuit. Inprimis, quæ Historiæ ecclesiasticæ scenerari lucem nonnullam poterant, ex sacris aitiisque ædibus publicis congeffit, neque ullum, id genus, monumentorum, cujus ope historiæ patriæ notitiam ad ultimos nepotes transmittere se posse existimavit, reliquit intactum. Eo majore laudæ dignum, merensque cum civium in-

primis,

primis, tum exterorum, plausus & gloriam, magnæ hoc assiduitatis opus, quo pauciora Danicorum monumentorum opera, regnorumque borealium historiæ, in hunc diem conspiciantur. Immo tres saltem, qui haberent in se quidem, quod esset ad commendationem satis, libros adduxit Clarissimus Editor in Præfatione *Tomi prioris*, cum de iis quædam exposuit, qui eandem ante se viam ingressi erant. *Olaus Wormius*, celeberrimum nomen, est, qui ante centum, si unicum demas, annos caractere expressa Runico, hujus terræ monumenta, e tenebris suis eruta, publicæ luci exposuit. Inscriptiones potissimum Sialandicas, libello quamvis tenui, utili tamen, & raro hodie, A. 1621 *Laurentius Asserous* collegit; & Hafnienses solas *Petrus Joannes Resenius*, sed sine ordine omni, & nullo bonitatis discrimine habito, juris publici fecit, ut avena inde & lolium in meliore fruge, levissimæque ac tenues in elegantissimis ingeniosissimisque Epitaphiis Inscriptiones occurrant. Ne quid igitur intactum relinqueret præstantissimus Editor, quod videret ab his præstantissimæ doctrinæ viris omissum, collectioni *Wormianæ* monumenta Runica quatuor vel quinque, *Wormio* non visa, ex Bibliotheca *Fossiana*, cui multum se debere proficitur, adjecit, atque ex MSto quodam *Joannis Meieri* multa, quibus vel emendatur opus, vel locupletatur, *Wormianum*, protraxit, suisque protracta locis inseruit. Plura ex alio *Helverskoviano* MSto, a Majestatis Danicæ Secretario, *Graabe*, secum communicato, depromsit, ex quo multa tamen, licet se non omnino literaturæ Runicæ expertem & scribit, & nos ex Opere agnoscimus, evulcare, atque ad usum transferre aliquem, etsi voluit, non potuit tamen. Ex collectione *Reseniana* præstantiora heroum quorundam, ne quid scitu dignum frustra hoc loco quæreretur, monumenta attulit, quamvis primum ad annum 1668, quo desit *Resenius*, inchoare, consilium ceperat; qua mente postea mutata, ne deficientibus saxis, ipsæ etiam chartæ olim abessent, memoriæ hominum reservare, dignissima quæ sibi ex iis videbantur, constituit, & exhibuit. Opus est autem omne descriptum in *Tomos duos*, cui largam descriptioni

scriptioni ipsa ipsius Daniæ divisio occasionem suppeditavit. Majores minoresque Insulas comprehendit, ab una parte, Daniæ; ab altera Chersoneso Cimbrica absolvitur. Insularum majorum duæ omnino sunt: Sialandia & Fionia. Minorum multæ ac variæ, neque illæ tamen sæpius nimis celebres. *Tomus prioris* hæc occupatio. In *Sialandis* Inscriptionibus colligendis, & adornandis, illustriora loca pererrata sunt, quibus sæxa hæc, lapidesque, vidit *Pontoppidanus* ipse, atque descripsit. Potiora hæc sunt: *Roeskildia*, *Hafnia*, *Helsingora*, *Fridericiburgum*, *Sora*, *Ringstudium*, reliqua. Quibus pagi adhuc varii, templa, & cœmeteria alia, cum largæ atque promiscuæ rurestrium Inscriptionum farragine, accesserunt. Explicet his *primus Liber*, e *septem* unus. Cum *Libro*, hunc qui sequitur, *Fionia*, amœna & fertilis Insula, peragratur. *Ottinia* & *Neoburgum* loca duo præcipua sunt, quibus ea nobilitata est. En igitur tibi varias, ex æde cathedrali Canutina, e Franciscanorum templis, ex aliis sacris ædibus, depromtas, Inscriptiones, quas innumera bilis aliqua pagorum series, cum suis lapidibus, insequitur. Ex Insulis minoribus adductæ saltem sunt quatuor, eæ sine dubio, penes quas, quod tremere lucem non debebat, inveniebatur aliquid, nempe *Tuasingia*, *Langelandia*, *Lanlandia*, *Falstria*. Reliquæ omittæ, & recte quidem, nisi aliqua habent, quæ placere possunt. *Chersonesum Cimbricam secundus Operis Tomus* excipit, *Libris quinque* absolutus. *Tertius* enim *Liber Ducatus Slesvicensis* Inscriptiones sistit, depictæque eas omnes exhibet, quæ cum *Slesvici* ipsius, tum *Halberstebii*, *Norburgi*, *Flensburgi*, reliquorum, hoc circulo jacentium, locorum finibus conspiciuntur. Reliqui *quatuor Cimbrica Septentrionalis* lapides ac monumenta continent, & quæ *Ripensi* diœcesi, & *Aarhusiensi*, & *Wiburgensi*, atque denique *Alburgensi*, sacris inprimis ædibus, & arcibus, scholis etiam, ac aliis cœmeteriis, habentur, largæ manu & abundante porrigunt. Quos diœceses enim jam nominavimus *Jutia*, tot metropoles hæc Insula occurrunt, librisque tot describendis Editori diligentissimo natam sponte occasionem præbuere. Summa hæc est totius Operis, quam sub ipsius *secundi Voluminis* terminum per loca, templa,

pla, ac pagos minutissimos, exquisita opéra atque multa cum cura evolvit, & omnium conspectui exhibuit. Qua ita descriptione facta, vel aliud omne agendo, affectus est etiam, ut universam nobis *Daniam*, perfecte descriptam, veluti in Geographia aliqua, repræsenteret, cultissimarumque Insularum formam habitumque sisteret. Boni hi libri sunt, merentesque universorum plausus, qui præter suam rem, quam omnem exhaustiunt, de utili quoque alia ac jucunda nos informant, ut, tanquam non cogitantes, mixturam dulcem, ex nobilibus undique haustam floribus, insugamus. Persequitur autem per quemvis locum, ordine & via habita, si qua nempe affuerit, *monumenta* primum *regia*. Ita statim ab initio, cum *Sialandicas* Inscriptiones, imprimis quæ *Raskildis* sunt, habet, celebratissimorum Regum memoriam conservât, *Haraldi*, *Suenonis M.*, *FridERICI II.*, & illustrissimorum Ducum, *Hulderici*, *FridERICI III.*, & *IV.*, nomina, cum elogiis insculptis, exhibet. *Episcopalia* dein sequi *monumenta* jubet, quo nomine Clericos omnes & Sacerdotes, Canonicos, Diaconos & Archidiaconos, Cantores ac Vicarios, moderatores scholarum & Licentiatos, complectitur. Tum ex *Nobilium* ordine sistuntur Inscriptiones, agmenque claudunt *eruditi* reliqui. Ubique inveniuntur lapides elegantes, Inscriptiones argutæ, soluta imprimis, tum etiam ligata, & metris quidem omnibus, oratione insculptæ, alacrium ingeniorum testes locupletes, pietatisque & reverentiæ in mortuos uberrima significatio. Illustrium virorum & eruditorum hominum res gestæ, vitæ, honores, scripta, uxores etiam, atque non raro liberi, adducuntur; horum symbola aut dicta bona ac memoranda habentur; vitæ morumve sanctitas, & ambitus scientiarum in iisdem, laudatur; in Deum O. M. religio ad exemplum proponitur; ingenia sapius ac animorum habilitates explicantur; inimici & adversarii, hostes etiam interdum illorum publici, commemorantur; quæ scitu jucunda sunt, bona, utilia, forte etiam necessaria, ea omnia multa cum sedulitate, largissimaque copia, exhibentur; omittitur nihil, quod, ad pervolvendum hoc Opus Lectorem curiosum potest allicere. Neque in urbe est ulla *Dania* locus etiam ullus, & ulla arca,

quæ, si literato ejusmodi lapide premebatur, indignæ oblivioni tradi, quamvis vetustissime in latebris nigris delitesceret, ab Editore tamen solertissimo protractum lapidem, & e ruinis suis atque ruderibus instauratum quasi ac illustratum, novamque inde benevolentia *Pontoppidani* vitam non deberet. Sacratæ præsertim ædes & templa primum sibi locum vindicant. In quibus, quicquid ubique inscriptionis in altaribus, choris, emporiis, lapidibus, epitaphiis, forcophagis, suggestibus, baptisteriis, januis denique omnibus, turribus, & campanis, cernebatur; illud omne descriptum, diligenterque excussum, oculis pæne omnium subiectum est. Cœnobias, arces, cœmeteria, orphanotrophia, xenodochia, nosocomia, ergastula, ædificia alia ejus generis publica, sunt, quorum suum locus quisque, quod habuit, in unum contulit, & symbolam dedit. Quæ supra museum, & armamentarium regium, sunt inscripta; quæ in domibus anatomicis ingeniosissima epigrammata leguntur; quæ in pinacothecis Academicis, in Facultatum omnium auditoriis, in gymnasiis & scholis omnibus, appicta sunt; ab Opere hoc præclaro, & absoluto suis numeris, tantum abest, ut absint, ut alia & plura, quæ oculis manibusque versantium patebunt demum, sint adducta, atque cum summa animorum voluptate conspiciantur. Sed linguis potissimum quatuor constant Inscriptiones hæc. Omnium princeps *Latina* eminet. Hac, & puro sermone, & alligato numeris, multa laudum præconia, & præstantissimorum virorum virtutes sunt expositæ. Tum *Danica* patria est potior. Dein *Germanica*, & *Suevica*, partem sibi aliquam, tenuem quamvis & macram, poposcerunt. Paucula literis Runicis exarata, in quibus tamen *Tomo I pag. 194* ad arcem *Walloensem* insigne monumentum Runicum sistitur, quod eruditis tot viris, *Rogersio*, *Vulcanio*, *Lyscandro*, *Olao Wormio*, multam industriam jam debuit; quorumque interpretationibus, in *Monumentis Wormianis Lib. II pag. 107 seq.* occurrentibus, suam, a ceteris diversam, addidit *Helsverskovius* in *MSto* quodam avtographo, quod erat penes *Pontoppidanum*, ex quo integrum plene hoc monumentum fecit, & multo cum ingenio explicavit. *Tomo secundo etiam, & Libro quidem VI,*

in diœcesi *Wiburgensi*, ad januam templi *Hornum*, hieroglyphica quædam elegantissimarum figurarum patent, anno jam 1172 ex monte aliquo arcessita, quem pro fundamento templi lapidem architecti voluere, archetypi tamen figura pariter atque mensura servata, & æri januæ infusa. Dicenda vero sunt quædam adhuc de notis & animadversionibus, quæ, hinc inde substratæ ac insertæ, veluti gemmis pretiosis aurum illustrant. Nulla efflagitante id necessitate, subjicere notas, ipse eruditissimus Editor, non supervacaneum modo, in Præfatione scribit, sed & absolum esse, & inspidum. Nusquam hinc occurrunt aliæ, nisi scitu digna in se, & utilia, & ad intelligendum perfecte ipsas Inscriptiones necessaria, continent, nisi literarum & literatorum historiam illustrantes, & nisi Historiam imprimis ecclesiasticam hac vel illa parte confirmantes. Quæ in Papatu fuere olim, quo oppressa aliquando Dania jacuit, & quo sensim modo instaurata & renovata terra est, ea sunt sedulo observata. Virorum doctissimorum scripta multa, rationesque instituti eorum adductæ. Homonyma a se invicem discreta, & separata. Integre vitarum descriptiones, quæ locupletandis eruditorum Lexicis inservire commodissime possunt, non omisæ. Elegantissima sane sunt, quæ de *Axelio Urop*, *Joanne Hopnero*, *Christiano Noldio*, *Paulo Motb*, *Brigitta Tottia*, erudita foemina, *Ivaro Bartholino*, multisque aliis, dicuntur. Non contemnenda profecto, neque laude sua defraudanda, quæ de miraculis *Wilhelmi*, Episcopi Roschildensis, post mortem ejus claris, de triumpho Danorum Falchenbergensi inclyto, de martyrio divi Regis *Canuti*, de gestis *Davidis Rantzovii*, de prænominibus *Calle* & *Callo*, de fatiis *Otai Steenwinckel*, de Ducatu Slesvicensi, de cruce artificiosa, cujus imaginem, æri incisam, *Oligerius Jacobæus* sistit in Museo regio Tab. XIV fig. 10, & variis ejus generis historiis, fabulis, sermonibus, facunde, nec sine fide, enarrat. Ex Chronicis enim omnia, aut MStis aliis bonis, Monasteriorum recessibus, & Principum civitatumque Archivis ac Bibliothecis, desumpta sunt. Ut de integris genealogicis, criticis, & quæ ritum, aut aliam consuetudinem, describunt, notis aliis nihil commemoremus, quæ plurimorum lectorum doctissimo-

stissimorumque hominum palato arridebunt, inæmeratique testes sunt doctrinæ, & summæ rerum patriarum peritiæ, quæ in Celerissimo *Pontoppidano* mirifice effulget. Finito Opere universo, subjungitur calci Appendix Inscriptionum aliarum, quæ, dum editioni *posterioris Tomi* immoraretur paulo typographus, ab Editore præstantissimo collectæ, &, quia debito quæque loco inferi minus potuit, pompam claudere iussæ sunt. Accessit denique rerum personarumque, quarum vel integra exstant Epitaphia, vel mentio in iis injicitur saltem, accuratior Index, Historiæ cultoribus, & Genealogicæ imprimis, valde utilis, quem alius vicissim, locorum omnium, excipit, & monumentum hoc ære perennius, atque situ regali altius pyramidum, Augustissimo Monarchæ, *Christiano sexto*, Daniæ Regi, Patriæ Patri, Sacratum, perficit.

DAVIDIS MILLII, S. S. THEOL. DOCT. EJUSDEMQUE, nec non Antiquitatum sacrarum, & Linguarum orientalium, in Academia Trajectina Prof. Ordin. Dissertationes selectæ, varia sacrarum literarum & Antiquitatis orientalis capita exponentes & illustrantes; curis secundis, novisque Dissertationibus, Orationibus, & miscellaneis orientalibus, auctæ.

Lugdunî Batavorum, apud Conradum Wishoff & Georg. Jac. Wishoff, Conr. fil. 1743, 4.

Alph. 4 plag. 7.

Hunc elegantissimarum Dissertationum ac Observationum fascem debemus industriæ ac doctrinæ Viri Cel. *Dav. Millii*, qui gloriam eruditorum Germanorum in fœderato Belgio summa cum laude tuetur, suæque eximia eruditione, judicio circumsperto, ac aliis virtutibus, dudum meruit, ut inter Philologos & Antiquitatum vindices princeps fere locus ei tribueretur. Harum aliquas, numero X, de *Nilo & Euphrate*, de *vitulo aureo*, de *altari mediatore*, de *Gad & Meni*, de *idolo 𐤀𐤏𐤍*, de *Baalzebub*

zebul & Miphlezet, de ארוב & ארבות, de חרטומים, חכרים, aliisque orientalium Magis, de commutatione vestium utriusque sexus prohibita Deut. XXII, 5, de Mohammedismo ante Mohammedem, jam olim A. 1724 Ultrajecti, forma 8, operarum formis describendas curaverat. Selectus argumentorum & doctrinae egregiae vis atque copia multis salivam movebat, ut brevi distraherentur exemplaria, sicque in tabernis librariis desiderarentur. Eruditorum igitur votis facturus satis, de illis iterum typis exscribendis serio cogitavit. Quare in hac nova Collectione comparent tum superiores, tum aliae, quae post id tempus in Academia Trajectina publice sunt ventilatae, vel elucubratae, nimirum de terra Canaan, de statuis & lapidibus idololatricis, in Lev. XXVI, 1, de cornibus altaris exterioris, de causis odii, Judaeos inter atque Samaritanos, miscellanea orientalia. Accedunt Orationes tres, quas vel in munerum Academicorum auspiciis, vel ubi magistratu Academico abiit, coram publica virorum literatissimorum ac juventutis Academicæ concione recitavit, de Mohammedanismo, e veterum Ebraeorum scriptis magna ex parte composito, de variis virorum doctorum in Antiquitatibus sacris & orientalibus erroribus, & de fabulis orientalium. In quibusdama priorum Dissertationum mutationes nonnullae sunt factae, vel annotationes additae, quod vel maxime de illa de Mohammedismo ante Mohammedem est dicendum, in quibus ea, quae dixerat, novis argumentis, vel testimoniis fide dignis, potissimum ex Codicibus MStis orientalibus depromptis, confirmat, vel locis Scripturae sacrae ex linguarum ac Philologiae subsidiis lucena foeneratur, vel nonnulla antiquitatum capita clariora ac illustriora reddit. In illis, quae jam olim typis conjunctim sunt editae, recensendis ita versabimur, ut cum primis annotationum rationem simus habituri, quae huic editioni de novo accesserunt. In Dissertatione I, de Mohammedismo ante Mohammedem, docet, Meccam non sitam fuisse in Arabia Felice, sed metropolin Arabiae Petrae exstitisse. Exhibet tabulam genealogicam Koreisfitarum, qui primae nobilitatis inter Arabes erant, quique religionis fervore ac sanctimonia aliis praecellere volebant, ari incitiam. Hobal erat primum idolum, quod in vertice Caabae

Pag. 4.

S.

K k k

ante

- Pag. 10. ante *Mohammedis* tempora colebatur, quod idem forte cum Syrorum הכעל פריעה Judæi in circumcissione adeo necessariam reputabant, ut, si illa omissa esset, tota circumcisio frustranea haberetur. *Maimonides* in iis, quæ de Zabæis habet, non optima semper agit fide, multa ipsis adscribit, quæ alii non sine ratione negant, v. c. ipsos, præter stellas, non alium Deum agnoscere, cum tamen supremum Deum coluerint, stellas pro Diis minoribus, aut dæmonibus, habuerint. Repræsentat numum argenteum, jussu *Aaronis Rafibidi*, Chaliphæ Saracenorum, cufum, ejusque epigraphen, quæ in anteriori parte Mohamedismi tesseram præfert, explicat. Varias Arabum derivationes *Alcorani* sistit, probat autem illam a قرآن, legit, unde
21. 27. 28. القرآن, lectio, uti Judæis scriptura appellatur המסורה. *Paulus* malorum genitorum principem nominando κοσμοκράτορος *Ephes. VI, 12*, respicit ad angelum mortis, qui Judæis coëtoribus dicitur קיסמקרטור, quia probari nequit, doctrinam de angelo mortis *Pauli* tempore inter Judæos viguisse. *Marc. VII, 3*, πνευματι νεπτειδαι non vult converti in πνευματι, sed, locutionem ex Judæorum, se lavantium, consuetudine illustrandam esse, statuit, utpote qui lavare se solebant ער פרק, ad juncturam brachii usque. Lavandi morem, apud omnes fere gentes obvium, a
35. 36. 47. 48. Judæis fluxisse, docet. *Dissertatio II de terra Canaan* inscripta est. Probabile habetur, terram Judicam dici *Palaestinam*, ab radice Æthiopica, quæ significet exulavit, migravit, ut sic terra quasi exulum vocetur, quoniam & Philistæi & Judæi ex Ægypto eo contendunt. Nominatur Phœnice a Chaldaico פניק, quod conveniat cum Ebræo פניק, oblectavit, cum oblectatione contrivit; erat quippe regio amoenissima, & ob mercaturæ studium ditissima, quæ incolas suos affatim alebat. *Terra promissionis Ebr. XI, 9, Act VII, 5*, est terra trans & cis Jordanem, quod nonnullis aliter videtur. Nominari κατ' ἐξ γην ηארץ in diviniis literis, subdubitat, quia per ἑλληνισμ בני ישראל subintelligitur, & qui locutionem istam adhibebant, loquebantur de terra, in qua præsentibus erant; hinc πᾶσαν τὴν γῆν *Matth. XXVII, 45*, speciatim de terra Judaica non accipit. Hierosolymam Judæorum aliqui communem, nulli tribui propriam, fuisse contendunt,

dunt, & inde עיר אלהים *Pf. XLVIII, 2*, dici, sibi persuadent. Judæis integrum non erat, vasis Samaritanorum uti, *Pag. 152.* unde verba *Joannis IV, 9*: 'Ου γὰρ συγγεγῶνται Ἰσραῆλι Σαμαρειταις explicari possunt. *Jordan* fluvius scaturit ex lacu *Phiala*, CXX stadia distito a *Cæsarea*; inde occultis meatibus labitur sub terra ad urbem *Paneada* usque, donec *Cæsareæ Philippi* iterum emergat. Lacus *Samoconites* nomen tulit ab Arabico *سوم*, *pisces*. Olei ferax erat Judæa, & ne illud incolis deficeret, olearum ligna ad ignem sacrum in altari alendum non adhibebantur, quemadmodum nec vitium palmites. Circa decem illos sanctitatis terræ Israeliticæ gradus, in Judæorum scriptis decantatos, notat, prætermitti terram transjordanensem, cui tamen etiam sanctitas adhæserit, spatium item inter altare holocaustorum & ædem sacram. *Dissertatio III de Nilo & Euphrate, terræ sanctæ terminis*, agit. Per נחל מצרים in sacris literis intelligendum esse *Nilum*, non obscurum aliquem rivum, inter *Rhinocoturam* & *Pelusium* mare fluctem, contra *Hieronymum*, *Drusum*, *Lightfootum*, *Cellarium*, *Reilandum*, & alios, demonstrat. Adversus quam sententiam cum quodam monuisset *Cl. Emmo Lucius Vriemoot* in *Thesibus controversis antiquitatum Israeliticarum*, ex quibus aliqua in medium proferuntur *Miscell. Duisb. Cl. I Fasc. 4 pag. 680-682*, ostendens, unicum *Diodorum Siculum* tot aliis testimoniis & antiquorum & recentiorum non officere, maxime cum torrens iste non proxime attingeret *Rhinocoturam*, optassemus, ut *Venerandus Millius* illam novis adversus hanc exceptionem suffulisset tibicinibus. Per נהר פרת non *Eleutherum* fluvium, inter *Tyrum* & *Sareptam* in mare se exonerantem, intelligendum esse, pertendit. *Dissertatio IV* argumentum de commutatione vestium utriusque sexus prohibita, ad *Deut. XXII, 5*, pertrahat. Refutatis variorum interpretationibus, legem de armorum ulu mulieribus interdicto, maxime, ne virilibus induti armis, Marti litarent, exponentium, legis sensum hunc esse judicat: simpliciter prohiberi, ne vir foemina, nec foemina viri, habitum assumat. Rationes interdicti, *primaria*, quia sic, mutato habitu, differentia inter virum & foeminam sublata videatur, *secundaria*, ne vagæ libidini occasio

- sio suppeditetur, & ne cultus profani partem facerent, cum ad
- 201-228. alia sacra viris, ad alia foeminis tantum, aditus concederetur. Il-
lustrat hac occasione locum *Rom. XIII, 12*, ubi Ἰπλά Φωτός in-
saniensibus lupercis, qui nudi in seram usque noctem discursi-
tabant, opposita esse constat. *Epiphanium*, de Phariseis afirman-
tem *Lib. I Her. 15, 16*, muliebribus inclutos vestibus incessisse,
arbitratur male intellexisse verba *Marc. XII, 38, Luc. XX, 46,*
216 217 *ῥολός* de vestibus muliebribus accipientem, vel quia longis
amicti vestibus ad morem mulierum incesserint. Deos ἀνδρο-
γύγας finxisse gentiles, quoniam ex illis res omnes, omne ho-
minum genus, & mares & foeminas, per emanationem aliquam
226-228. produxerunt, autumabant, vel fingendi occasionem sumserunt ex tra-
ditione Judaeorum de *Adamo ἀνδρογύγῳ*. *Dissertatione V de Gad*
& Meni, ad *Jes. LXV, 11*, agitur. *Gad & Meni* est ipsi *tuna*. Vocem
גַּד arcessit ab Arabico جَد, *felix & bonus fuit*. Ita *tuna* dicitur,
quod terrae proxima singularem usum praestat, eadem, quae
Acergetis, ab אֶרֶץ & גַּד dicta. Praeter lunam hac ipsa voce
designatur *Venus & Fortuna*, unde *Lea* felicitatem suam pra-
dicat, quod ita numerosa sobole *Jacobum* beaverit. מַנִּי de-
rivat ex Arabico مَنِي, *fluxit*, quoniam jam olim sidus hu-
moris plenum credebatur, quod sublunaria corpora humore re-
pleret. Sed forsitan Ebraeum מַנִּי est ipsum Graecum μῆνη. Illus
cultus in Oriente frequentissimus fuit, a quo nec ipsi Judaei se
immunes praestiterunt. Nam מַלְכַּת שַׁמַּיִם *Jes. VII, 18, XLIV, 17,*
229 263. est *tuna*. Huic menti ponebatur, & vinum libabatur. *Dissertatio*
VI de idolo הַחַר, ad *Jes. LXVI, 17*, inscribitur. *Hecaten* nomine
הַחַר hic venire, & utriusque vocis similitudo, & cultus, docet; ea-
dem quippe sacra *Hecate* adscribuntur, quae τῶν הַחַר in hoc no-
stro loco tribuuntur. *Hecate* ex Syriaco חַר, *tenuit, continuit,*
detinuit, deduci potest; illi enim caeli, terrae, ac inferorum, po-
testas adjudicabatur. Hujus simulacrum ἐν προθύροις, *ad fores,*
positum habebant, in lucis colebatur, & quidem illorum me-
dio; quae omnia cum in hoc loco exprimantur, ad *Hecaten*
respici, recte omnino concludit; quam sententiam postea calculo
suo approbavit doctissimus *Helmstadiensium Philologus, Lake-*
macherus, Obs. Philol. P. IV Obs. 2 §. 13 pag. 63, 64. Ἐν προθύρῳ
illustra-

illustratur locus *Jes. LXV, 3, 4*, quem pariter de *Hecate* explicat. *Dissertatione VII de Baalzebub & Miphlezet* differitur. כְּעַל זָכוֹב Pag. 265-
 est princeps dæmonum, qualis gentilibus habebatur *Serapis* 285.
 & *Pluto*. Hic consultus est ab *Achabo* 2 *Reg. I, 2*, quoniam
 mortis & vitæ potestatem habere censebatur; hinc in Cabiro-
 rum sacris appellatur Ἀξιώκερος, ex Ebræo קָרַי יָמִי, pos-
 sessio mea pernicies, seu mors. *Philoni Byblio* apud *Eusebium*
Præp. Evangel. Lib. I Cap. 10 pag. 38 nominatur Μῆθ, atque
 id per Θάνατον & Πλάτωνα explanatur. Vox זָכוֹב in hac
 nominis compositione non speciatim restringenda est ad muscas,
 sed generatim notat quaecunque insectum, quod ad damnum,
 hominibus & aliis rebus inferendum, est comparatum. Specia-
 tim *locusta* hac ipsa voce intelligi possunt, quæ uti symbola im-
 purorum ac noxiorum spirituum spectantur *Apoc. XI, 3 seq.*
 quorum princeps Ἀβερδδών, Græcis Ἀπολλύων, v. 11, *Pluto* sci-
 licet, locustarum istarum, sive δαιμονίων, ἀρχών. Vocis *Pluto*
 natales non ex Græco πλῆτος, sed Ebraico קָרַי, tremuit, ter-
 ruit, & in ו converso, repetuntur. Inde concluditur, מַצְבָּ
 2 *Reg. XV, 13*, non esse *Principum*, sive *phallum* illius, sed *Hecate-*
ren, illam inferorum Deam, quæ Græcis dicatur Βεργω, quoniam
 terreat ac percellat. *Dissertatione VIII de vitulo aureo* tractatur. 287-302.
 Vitulum hunc ad effigiem *Apidis* effictum fuisse, plurimorum
 est sententia, sed excellentissimus *Millius* potius arbitratur, ipso
 illo *Typhonem*, Ægyptiorum cacodæmonem, representare vo-
 luisse; qui quoniam frequentius *asinus*, ob colorem rufum, igna-
 vo huic animali proprium, appellatur, convicium de asino, a Ju-
 dæis culto, originem suam traxisse, conjectat. *Dissertatione IX* de 303-316.
statuis & lapidibus idololatricis, ad *Lev. XXVI, 1*, differitur. מַצְבָּ
 est lapis, sive cippus, profani cultus causa erectus, cujus generis
 apud Græcos, Gallos, Germanos, ac septentrionales populos,
 orientales maxime, fuerunt constituti, ac multa religione affecti,
 quorsum præ aliis referendi sunt *lapides batilii*, *Philoni Byblio* e
Sanchoniatone dicti. מַצְבָּ מְשִׁיבֵי מִן כִּנְיָן exponit de orientalium *Ta-*
tismanibus lapidibus, singulari arte ac ingenio fabrefactis, in quos
 incantationibus quibusdam magicis spiritus aliquis devocabatur.
Dissertatio X de altari mediatore agit. Altare holocaustorum ma- 309-326.
 gistris

gistris appellatur **עצמון**, item **עצמון**, *mediator* inter Deum populumque, item **טִלְיָרַם**, *παραιήτης*, & **רַגְוִי**, *συνήγορος*, nec id quidem sine ratione: nomen enim & partes mediatoris typice sustinere potest; quam tamen significationem arcaniorem Judæi missam fecerunt. Ratione situs medium stabat inter Deum & populum; per illud Deum ad sacra præsentem adibant; ad illud confugientibus certum erat præsidium & alylum; pacem denique conciliabat, peccato per sacrificium expiato. Porro habebat vim sanctificandi, preces, prope illud fundendæ, per ipsum mediatoris instar ad Deum quasi deferebantur, favorem Dei homini conciliabat, quandoquidem is, qui sacrificium offerebat, partes aliquas sacrificales absumebat, sicque communi mensa cum Deo, in indicium pacis ac amicitia restitutæ, fruebatur. Ipse Deus sacrificiis interesse judicabatur; quare magistri affirmant, per sacrificia **תְּכַיֵּשׁ** de cælo deductam fuisse; qui denique juxta altare moriebantur, eos beatius ex hac vita discedere autumabant, quod exemplo *Joabi 1 Reg. 11, 28*, confirmatur. *Dissertatione XI de cornibus altaris exterioris* disseritur.

- Pag. 327-340. Hanc juvenis conscripserat Cel. *Millius* noster, eandemque A. 1714 sub præsidio Cel. *Jo. Jacobi Quandt* Regiomonti Borussiae publice defenderat, quæ, quoniam non vulgarem eruditionem in non uno doctrinae genere spirabat, ac propositum argumentum accurate ac solide explanaverat, digna est visa *Hafæo* ac *Ikenio*, justis doctrinae reconditoris arbitris, quæ *Thesauri theologico-philologico*, ab ipsis procurato, infereretur. Cornua altaris *Mosaici Exod. XXVII. 2*, e ligno *Schittim*, cedrino, parata fuerunt; quæ vero in aitari templi Hierosolymitani conspecta sunt, ex lapidibus constabant, eadem materia, qua altare ipsum, quorum quodque altum, longum, & latum $\frac{1}{4}$ cubiti. Illorum quatuor erant numero, extremitatibus altaris imposita, quorum zephyro-austriali duo erant foramina, per quæ sanguis in torrentem *Kedron* usque demittebatur. Rationem, quare altare his instructum fuerit, examinata sententia illorum, qui, alligandis victimis inservisse, arbitrantur, potissimum vero *Spenceri*, petit ab antitypo; his ipsis scilicet Christum, cui robur, potentia maxima, ac gloria, competat, præsignificatum fuisse, qui

qui ipse tanquam cornu salutis per Evangelium in quatuor mundi plagis est prædicatus. Hac eo faciebant, ut mactatarum victimarum sanguis illis illineretur. Quo autem modo hæc sanguinis adpersio in sacrificiis pacificis, pro peccato, sacrificio iugi, ex avibus paratis, quemque item usum in libaminibus vini & aquæ præstiterint, & quod præsidium cornuum horum apprehensio conciliaverit homicidis involuntariis, accurate docet. Ad illa tamen confugere necesse non habebat ludi moderator, vel parens, filium, vel discipulum, castigans, quoties legi vel institutioni magistrorum morem non gessisset, eundemque occidens. Quare autem *Joabo*, ad altare convolanti, ejusdemque cornua prehendenti *1 Reg. II, 28 seq.* spes veniæ facta non sit, anquirat, ac varias magistrorum de hoc argumento sententias expromit. *Dissertatio XII* de אורב & אורבית exponit. Per illos, qui hoc divinationum genere utebantur, non intelligit *ventriloquos*, nec *ὄραμαντεις*, quod *Juriso* & *Cel. Deylingio* est visum, sed *νευρομαντεις*, qui carminibus & incantationibus manes evocabant. Vox natales suos debet Arabico *أول*, *redire, reverti*, quoniam istiusmodi homines arte sua magica manes reducebant, & quasi redire faciebant. אורב igitur significant 1) *manes elicitos & reductos*, quo refert loca *Lev. XX, 27*; 2) ipsos *νευρομαντεις*, *Jes. VIII, 19*, *1 Sam. XXVIII, 7*. Ceterum Judæi dicunt, manes intra duodecimum a morte mensem, non ulterius, elici posse. Vox *σαυχέρος*, quæ apud *Phorium* occurrit, quæque summis viris crucem fixit, ipsi est Chaldaicum זכורה, quod respondet Ebraico ירעיני. *Dissertatio XIII* de חרטומים, aliisque orientarium Magis, nos docet. Vocem חרטומים conflata vult ex Chaldaico חור, *prospexit, vidit*, & טום, *clausit, abscondidit*, ut sic designentur rerum latentium & obscurarum interpretes. *Alexandrinus* interpres reddit *ἱεργηταὶς*, *mysteriorum interpretes*. *Aben-Esra* hoc nomine etiam *physicos* insignit, qui non solum rerum naturalium profundiore scientia pollent, verum etiam qui illa ad præstigias abutuntur. Cum his חרטומים confert *Ægyptiorum ἱερογλυμματῆς*, quæ symbola hieroglyphica interpretabantur, & astrologiæ periti erant. חרטומים est a חקר, *arctissime conjungere, copulare, ligare*. 360-370. 370-394. 395-410. 411-415.

- Id omnino Magis conveniebat, qui sibi persuadebant, se ipsos Deos ligare & constringere, inferos & dæmonas in potestate habere, serpentibus ac aliis animantibus nocendi vim adimere. Atque id quidem faciebant beneficio carminum magicorum, utentes simul certis quibusdam herbis, certo tempore & summa cura conquistis. כַּמְרִיִּים dicti a כֶּמֶר, *incendit, flagravit, Gen. XLIII, 30, Thren. V, 10.* Sunt igitur vi vocis *incensores*, qui suffitus Diis adolebant, ex quo divinationem de prospero vel adverso rei alicujus successu capiebant. *Dissertatione XIV de causis odii Judæos inter atque Samaritanos* agitur. *Prima* causa interneccini odii hujus est, quoniam Samaritani, homines ortu gentiles, in Judæorum possessiones sunt immissi. *Secunda* petenda a sacerorum diversitate. Templo enim in monte *Garizim*, tempore *Darii Nothi*, extructo, perpetua contentio inter illos de præstantia utriusque templi viguit, quo destructo, faciem tamen suam inter precandum ad illud perpetuo converterunt. *Pentateuchi* sui antiquitatem nimium jactitant, quem contra Judæi corruptionis insimulant. Porro a Judæis in multis discrepant. *Δευτερώσεως* omnes rejiciunt, legi scriptæ unice adherescentes. Num a polygania omnino alieni fuerint, pro certo affirmari nequit. Lotionibus ac lustrationibus multum vacant, ut etiam propterea omnes alios præ se contemnant & abominentur. Judæi ipsos *πολυθεότητος* ac hæreseos accutant, cum essent ortu Assyrii, ac tempore afflictionis Epiphaniæ illorum plures instituta Græcorum adoptarent, & quisquis ex Judæis criminis alicujus, in legem admissi, reus peragebatur, is ad Samaritanos, defectione facta, transibat. Illorum terra ab Romanis in provinciam redacta, alii eorum trucidati sunt, alii profanorum Deorum cultum admiserunt; *columbam* vero aliquam loco Numinis coluisse, pro certo asseverari nequit, nec de omnibus dici potest, resurrectionem mortuorum negasse. *Tertia* causa arcessenda est ab insidiis & fraudibus Samaritanorum, quibus Judæos quavis ratione circumvenire nitebantur. Inde factum est, ut Judæi cum Samaritanis commercium omnino refugerent, illorum vasis non uterentur, nec ab ipsis cibos sumerent, vel emerent, nisi summa necessitate urgente.
- Inimi-

Inimicitia hæc eo processerunt, ut Judæi ipsos publica devotionis formula sacris excluderint, ac omnibus diris subjecerint. Nec in Judæos solum odio flagrarunt Samaritani, verum etiam hoc inde ad Christianos transtulerunt, ut illorum audaciam reprimere Christiani Imperatores necesse habuerint. *Dissertatione XV* sequuntur *miscellanea orientalia*, quæ complectuntur *rudimenta lingue Hindustanica, Persica item hodierna*, qualis in Hindustania, aulis Regum Mohammedanorum in India, in usu est, denique *etymologicum orientale harmonicum*. In prioribus se multum profecisse fatetur ex *Miscellaneis de lingua Hindustana*, a Virò nobilissimo, *Jo. Josua Kettelaer*, Societatis Indiæ orientalis Legato & moderatore quondam Suratae, lingua Belgica consignatis, itemque iis, quæ Eruditiss. *Bayerus* Actis Petropolitanis de hoc ipso idiomate inseruit, literis denique e Bengala curatis, de variis alphabetis *Hindustanicis & Brabmanicis*, quæ sex tabulis separatim exhibentur, est adjutus. Succeedunt *elementa lingue Persica*, cujus usus pariter est in regione Hindustan, potissimum aulis magni Mogolis, ac multorum in India Regum Mohammedanorum. Qui in India generis nobilitate ac dignitatibus præstant, illi fere natales suos repetunt a sapientibus Persiæ, & hi quidem linguam patriam paulatim in aulas illas invexerunt. In *Etymologico orientali* voces Arabicæ ex versionibus Arabicis Vet. & Nov. Test. operose & erudite illustrantur. Subsequuntur *Orationes tres*, quarum *prima de Mohammedanismo, e veterum Ebraeorum scriptis magna ex parte composito*, habita est A. 1718 d. 21 Mart. cum post obitum Cæl. *Relandi* munus Professoris linguarum orientalium in Academia Trajectina auspicaretur, quam ipsam, ob ejus præstantiam, non multo post, quam typis exscripta esset, in elegantissima illa *selectiorum Orationum congerie P. I a pag. 434 ad 470* recudendam curavit Amplissimus *Kuppius*. *Secunda de variis virorum doctorum in Antiquitatibus sacris & orientalibus erroribus* agit, recitata d. 3 Nov. A. 1727, cum Professionem Antiquitatum adiret, repetita cura Cl. *Schlageri* in *Dissertationum rariorum de Antiquitatibus sacris & profanis Fasciculo a pag. 1 ad 30*. *Tertia de fabulis orientalium* inscripta est, qua ipsa Autor A. 1726 d. 25 Mart. magistratu Academico se abdicavit. Hic est

brevis conspectus præstantissimi Operis, quo Cel. *Millius* de novo orbem eruditum sibi obstrinxit. Quas pertractandas sumsit materias, non sunt vulgares, & si quidem illarum aliquæ ab aliis jamdum sunt occupatæ, illorum rationes novis tibicinibus fulciuntur, vel modeste excutiuntur. In stringendis argumentis, quæ in confirmationem sententiæ suæ adducit, ad primos fontes regreditur, ubi suspicionibus & conjecturis est locus, demonstrationes ita ornat, ut multum probabilitatis eisdem conciliet. Ex intimis linguarum recessibus, prætorumque populorum institutis, plurimis Scripturæ sacræ locis lucem affudit, ac nonnulla antiquitatum sacrarum capita illustravit. Omnia justo ordine disponit, judicium acre, solida nixum doctrina, ubique apparet, nec stilo sua deest castimonia. Quatuor Indices, accurate satis confecti, Opus claudunt, 1) locorum sacræ Scripturæ illustratorum, 2) vocum Ebræarum, Rabbinicarum, Syriacarum, Arabicarum, &c. 3) Græcarum, 4) rerum.

INTRODUCTIO IN NOTITIAM RERUM NATURALIUM & arte factarum, quarum in communi vita, sed præcipue in Medicina, usus est, exponens Materiam medicam, seu historiam simplicium, medicamenta composita, eorumque componendorum rationes, & therapeuticas remediorum classes, una cum terminis, apud Botanicos, Chemicos, & Pharmacopæos, vulgo receptis. Per Alphabeti ordinem digessit JOANNES CHRISTOPHORUS RIEGER, Riesenburgo-Prussus.

Tomus I & II.

Hagæ Comitum, apud Petrum Gosse, 1743, 4 maj.
Tom. I Alph. 6 plag. 10, Tom. II Alph. 6 pl-g. 16.

Cum prima nobis videndi hujus libri potestas facta est, magna ejus legendi cupiditas in nobis existit & expectatio. Videbatur enim ex eo librorum genere esse, quorum, etsi summa utilitas, tamen, ut in universum magna copia non est, sic
vel

vel minima honorum. Virium autem singularum medicinarum cognitio, quæ ex eo libro acquiri posse videtur, quantum vim habeat ad gravissima corporis mala tollenda, ex medicamentis nemo ignorare debet. Quare, cum ejus copia nobis facta esset, moræ impatientes statim ad eum legendum accessimus. Et, cum singulæ sive naturales res, sive arte factæ, ita seorsim in eo libro expositæ sint, ut, quæ sit totius Operis structura, vel ex singulis capitibus intelligi queat, tamen ex ipso Autore scire volumus ante, quam ad illa examinanda accederemus, quæ ipsius instituti ratio esset. Eamque deprehendimus expositam fuisse Præfatione Autoris. In qua, cum de physica doctrina in universum agitur, deque perversa ipsam colendi ratione, ea, quæ huc pertinent, doctè & copiose edisseruntur. Nil autem certum in physicis esse, Cl. Autor dicit, nisi quod de corporibus singularibus per ipsorum proprietates sciamus, sensuum ministerio observatas. Singularium ergo cognitionem physicam scientiam esse, si quidem est vera scientia, de quo, non pauci sunt, qui dubitant, & qui eam rectè docere velint, eos debere ipsos singula corpora explorare. Quod cum permultis plurimas ob causas facere non liceat, neque artifices ut plurimum ita rerum suarum gnari sint, ut ipsis fides haberi possit, non satis laudari posse cum Principes, Cl. Autor censet, quæ varias Academias instituerunt, & privatos, qui promovendæ Physices causæ societates inierunt, tum in universum omnes, qui Medico-Physicas Observaciones, similisque argumenti Epistolas, collegerunt. Earumque Academiarum, & Societatum, Collectionumque, quamplurima exempla allegantur. Debent autem, quicumque naturalibus corporibus utuntur, multos errores committere, sed gravissimos Medici, nisi vires proprietatesque eorum rite habeant exploratas. Ut enim sedes mali & natura tibi plane perspecta sit, tamen non tam levabis ægrum, quam certissimæ mortis dabis, nisi vel ipse expertus scias, vel ex fide dignissimorum hominum observationibus, cui medicinarum generi vis insit, illum morbum expugnandi. Ad hoc parum utilia sunt, quæ fere Medici de Materia medica scripserunt, quoniam naturalium corporum vires sive pro lubitu a

plerisque, five ex fictis principiis, exposita esse deprehendun-
 tur. Quod cum Cl. Autor vel primis temporibus intellexisset,
 quibus a Theologia ad medicam artem discendam se contulit,
 coepit aliquando errores in doctrina de viribus rerum natura-
 lium, potissimum a Medicis commissos, colligere. Ab hoc in-
 fituto se maxime errorum copia deterritum fuisse ait, neque
 rectam viam medicas corporum naturalium virtutes inveniendi
 tenuisse ante, quam in *Barbaavii* disciplinam se dedisset. A
 quo cum maxime ad artem faciendam informatus esset, fre-
 quentemque, ipsam exercendi, occasionem paulo post nancisce-
 retur, coepit ex omnis generis scriptoribus, quæ certa de Ma-
 teria medica, quam vocant, inveniebat, studiose colligere. In
 qua re etsi nihil in universum sit, quod non probari queat, hanc
 nobis datam occasionem esse putamus, de Materia medica, an in
 ea aliquid certi sit, pauca dicendi. Ut libere dicamus, quod nobis
 videtur, primo fatemur, mirum nobis visum, qui factum sit, ut,
 quod ante aliquot annos accepimus, atque ex editis quoque li-
 bris intelleximus, ex medentibus quidam sibi animum induxe-
 rint, esse naturalium vires corporum tam clare cognitatas atque
 perspectas, ut, ad quos morbos tollendos valeant, utique de-
 monstrari queat. Qui error, etsi in Philosopho excusari posset,
 si quidem posset, tamen in eo sane non potest, qui, quod ipse
 artem exercet, funestum, vel minimum nullum suæ medicinæ
 effectum, persæpe videre debet. Hoc cunctis omni tempore
 medentibus accidit. Quid ergo? Si quis aliquando tam fortu-
 natus esset, ut hoc minus experiretur, putamus, ipsi viventi
 ἀποδείξων decretum iri. Sed scimus, nullam fere eorum in me-
 dica arte famam esse, qui virtutes medicinarum demonstrandi
 rationem iniverunt. Deinde, ut non de omnibus rerum natu-
 ralium vires explorandi viis, sed de sola Chemia, dicamus, quis
 nescit, quæ de hac sapientissime *Barbaavius* monuit, plurima
 corpora vi ignis ita mutari, ut, quæ ex iis eliciantur, non na-
 tura insuisse, putandum sit. Quodsi vero in iis fuerint, vehe-
 menter metuimus, ut, corpori humano similem ipsa corpora sol-
 vendi vim inesse, aliquis demonstrare queat. Porro in ea ipsa
 via, quam, inter omnes convenit, certissimam in Medicina esse,
 commo-

commodissimamque eruendi veritatem, non omnia tam plana sunt, ut, ea facile ad certitudinem perveniri posse, Medici sibi persuadere debeant. Præterquam enim, quod non raro ejus indolis morbi sunt, ad quos vincendos solius naturæ vires sufficiunt, quis non videt, ex omni medendi ratione, quam sequimur, dum plures & simplices & arte factas medicinas adhibemus, in earumque frequenti variatione nescio quam gloriæ speciem quærimus, hanc ipsam experientiam quasi nullam esse, minimum vim nullam ad vires naturalium corporum demonstrandum habere? Ac, si de ipsis observationibus Medicorum etiam optimis dicendum est, in multis nec genus morbi facis declaratum esseprehendimus, aut ægrum ab urgente tantum symptomate data medicina levatum. Quocirca, si Cl. Autor, quæ certa se collegisse ex aliorum scriptis de corporum naturalium viribus ait, de iis intelligi vult, quæ docti homines non de medica corporum virtute, sed de alia quacunque, aut structura potius eorum, per experimenta cognoverunt, assensum ei lubenter & ex merito præbemus; si contra, ut videtur, de medica rerum naturalium & arte factarum virtute loquitur, veremur sane, ne, quod ipsi certum est, aliis quam maxime incertum esse videatur. Neque vero solas aliorum observationes se collegisse ait, verum & suas, cum practicas, tum Chemicas, addidisse. Artem enim, potissimum inter Curlandos & Ruthenos, per novem adeo annos exercuit, ibique faciendis Chemicis processibus secundum ordinem *Barbaavii* adfuit. Neque vero sunt adeo multa, quæ de suo addidit Vir Clarissimus; id quod modestiæ ejus, merito laudandæ, tribuimus. Alii cum ad simile argumentum pertractandum animum applicarunt, vel maxime operam dant, ut ipsi, quam plurima possunt, experimenta instituunt; id agentes scilicet, ut, si plura sunt ex Autore non maximæ autoritatis desumenda, quanta ipsi fides haberi debeat, intelligi possit, aut dubia quæque res sive confirmari, sive etiam prorsus rejici. Cum vero Cl. Autori propositum esset, earum imprimis rerum naturam explicare, quarum in Medicina præcipuus usus est, præter naturalia corpora, quæ simplicia vocat, etiam arte facta comprehendere

hoc Opere debuit. Quæ an vere a compositis corporibus diversa non sint, jam quidem nolimus disceptare. Res naturales, quæ etiam simplices vocari solent, ante hæc tempora in vegetabiles, animales, & minerales, dividebantur. Tria enim his nominibus insignita naturæ regna numerabantur. Satius autem fore, Cl. *Riegero* visum est, si porro in aereas, aqueas, & terrestres, dividerentur; de quo, ut dicamus, quod nobis videtur, novam fortassis eam divisionem esse putamus, sed in qua, non satis videmus, an sit adeo multum, quod physicam doctrinam juvare queat. Neque ipse hanc divisionem in exponendis naturalibus rebus secutus est, sed, quoniam, præter has, non solum arte facta, verum etiam plura alia, neque ad tria illa cognita naturæ regna, neque ad hanc novam divisionem, referenda, pertractare volebat, literarum ordinem commodissimum esse existimavit, quem sequeretur. In naturalibus rebus ita versatus est, ut primo historiam singulorum corporum traderet, deinde proprietates ac vires, & ultimo loco etiam usum, explicaret. Hunc ordinem neque in arte factis deseruit, addidit tamen varias ea parandi rationes. Scimus, olim de viribus medicinarum per solam experientiam constituisse; adeo enim multæ non sunt, quibus ob qualemcunque externam formam singulares morbos curandi vis est ab antiquis Medicis adscripta. Huic viæ recentiores Medici non institerunt, præsertim illi, qui *Cartesiana* Philosophiæ addicti erant. Qui, ut de aliis non dicamus, ex ficta imaginariaque elementorum figura corporum naturalium vires, imprimis medicas, optime deducere se posse, existimabant. Eaque opinio & his nostris temporibus inter mēdentes invenit, a quibus adeo defenderetur. Ab hac vero male sana Philosophia, quod ad cognoscendas medicinarum virtutes nullam utilitatem habet, Cl. *Riegerus* se quam alienissimum esse fatetur, ejusque neque habuisse aliquam rationem in his binis *Tomis*, neque esse in reliquis habiturum. Duas autem causas esse existimat, quæ hominem ad quævis naturæ imprimis opera consideranda impellere queant; quarum cum altera sit Dei, tanquam eorum auctoris, cognitio, altera humano generi præstanda utilitas, illamque præceptam ab aliis occupatamque

patamque esse deprehenderet, in eo potissimum laborandum sibi esse putavit, ut, quam utilitatem & naturæ & artis opera hominibus afferrent, cognosceret. Eaque res fecit, ut etiam, in quo singula artes mechanicas juvare possint, adjiceret. Omnés propemodum medicinæ a longo jam tempore ita divisæ sunt, ut aliis ab effectu, aliis a partibus corporis humani, ad quarum imprimis morbos pellendos valere existimabantur, nomen imponeretur. Hæc in universum specifica appellari solent. Utrumque genus non intactum reliquit Cl. Autor, verum ita exposuit, ut, quo jure alia medicamenta vomitoria, emmenagoga, diuretica, alia incrassantia, antispasmodica, essent, tirones artis animo comprehendere valerent. Præter hæc morbi etiam ibi expositiveniuntur, ad quos ea medicinarum genera utilia sunt; quæ res, si recte tractata fuit, insignem usum habere debet. Neque contemnendus is est, quem a Græcis, Anglicis, Francicis, Germanicis, nominibus, singulis rebus impositis, in legendis hærum gentium scriptis præcipue expectare possumus. Nam & hæc abesse a toto Opere Cl. *Riegerus* non passus est. Jam, quod exponendi singula rationem attinet, primo se ait populari scribendi genere usum esse, neque voluisse omnia ad limatos & subtiles Mathematicorum calculos revocare; deinde aliorum experimenta & dicta, ubi fieri potuerit, integra attulisse, aut summa minimum capita indicasse; denique abstinuisse judicium ferre, nisi necesse fuerit, quod ubi fuerit, libere dixisse, & cum noxios aliorum errores declarasse, tum proposuisse suas conjecturas. Hæc sufficere poterunt de instituto. Jam quoque specimina aliquot afferamus. Scimus, binas *Anacardii* species esse, quarum alia orientalis est, alia occidentalis. Hæc *Acajou*, illa proprie *Anacardium*, vocatur Cl. *Riegero*. Occidentale ipsi arbor est, in utraque India invenienda, quæ fructum pyriformem, admodum grati saporis, & super hoc semen reniforme, ferat, quod inter duplicem corticem causticum oleosum succum, ad verrucas similesque excrecentias & maculas tollendas idoneum, & intus nucleum, habeat, æque grati saporis, ac castaneæ fructus, si tostus fuerit. Orientale *Anacardium* fructum quidem esse dicit, sed cujus arboris, aut qua in ea
ratione

ratione nascatur, addere neglexit. Nobis utrumque *Anacardium* semen est, orientale siliqua inclusum, & fabam majorem referens, occidentale ejusdem fere formæ, atque coloris, & fructui, etiam *Anacardium* vocato, insitens. Hoc etiam inter duplicem, sed tenuiorem, corticem simile causticum oleum habet, minus tamen efficax. Hæc omnia fecerunt, ut binæ *Anacardii* species a scriptoribus minus accurate distinguerentur, idque fraudi etiam Cl. *Riegero* fuit. De *Amaracino* unguento hoc unum habet, nomen id accepisse ab *Amarato*, quod cum aliis recipiat, ejus descriptionem & virtutes apud *Dioscoridem* legi posse. Vellemus, hoc etiam addidisset Cl. Autor, quando hoc unguentum, & a quo, primum paratum fuerit. Sic enim doceri lectores potuissent, id jam ab *Hippocrate*, vel qui alius est librorum de morbis mulierum autor, in uteri suffocatione commendatum fuisse. Neque male fortassis operam suam collocasset, si, an semper eadem ratione compositum, nunquam ad alios morbos, quam ad quos a *Dioscoride* utile esse creditam fuerit, inquisivisset. *Amuleta*, postquam non omnia ridenda esse posuit, duplici ratione utilia esse posse, existimat, altera, effluvia subtilissima per poros cutis venis inmittendo, altera, aeris ambientis malignitatem corrigendo. Illo ut nihil dixit, quod non omnes probent, ita in hoc, non videmus, qui ipsi possimus assentiri, præcipue cum salia volatilia, fumos rerum tempore pestis accensarum, & castoreum, huc referat. *Amuleta* enim omnibus eæ medicatæ res sunt, quæ, ut edere effectum queant, ab homine in nudo ut plurimum corpore gestari debent. Quodsi vero, alia, quam priori, ratione vim suam exercere in corpore humano posse, credendum est, citius forte efficaciusque effectum edent, nervos primum in cute, hinc in toto corpore, commovendo, vel hoc solo, quod insoliti quid sive in pectore, sive in dorso, corpori applicatum gerimus. Ubi de *Absinthio* agitur, locus *Plinianus*, in *Ponto* pinguescere pecora *absinthio*, & ob id sine felle reperiri, sic explicatur: Prius assertionis hujus membrum eatenus tolerandum esse putarem, quod comesta planta vires coltrices juvet; posterius vero isa explicarem, quod nempe animantia obesa facta, compressa
magis

magis magisque habeant vasa, minus sanguinis, ejus materie omni fere in pinguedinem versa, & hinc minus secernant bilis. Sed liceat hic nobis amicum dissensum profiteri. Ex hominibus plures vidisse meminimus, qui, etsi copiosa pinguedine quasi facti erant, magnam tamen & solito aliquando majorem vesicam biliariam habebant, alios etiam, in quibus & parum pinguedinis, & parvum bilis receptaculum, inveniebatur. Absorbentia omnia, saltem acida, in ventriculo & intestinis hærentia, corrigere dicitur. Quis autem nescit, ut alcalina vera, sic acida quoque, raro in corpore humano inveniri? Tamen ipse Cl. Autor, frequentem esse debere absorbentium usum, indicat. Præterea inter absorbentia refert, quæ, ut maximam vim habere ponamus, tamen vincere, præter lenem acrimoniam, vitium nullum possunt; possunt autem mucilagine, quam continent, & quæ ipsa sane tutissima absorbentia præstat. In *Acaro*, insectorum specie, exponendo nimium brevis est. Allegare autem potuisset ea, quæ B. *Rivinus* in peculiari Dissertatione de pruritu exanthematum ab *Acaris*, alique, proposuerunt. Supra diximus, inveniri etiam in hoc Opere, quid sit *Errhinum* medicamentum, *Carminativum*, & ejus generis plura. Horum aliquot & natura & agendi modus satis fuse explicantur, contra de aliis, ut fere fit in hoc magno Opere, perpauca proferuntur. Exempla sunt: *Antepileptica*, *Antasthmatica*, *Antatrophica*, *Antidyfenterica*. In *Alterantibus* etiam, quæ integram medicinarum classem constituunt, & quorum vel nimium frequens usus est, justo nobis videtur brevior fuisse. Solus fere *Freindius* excitatur, cum, ut de aliis non dicamus, vel ex una illa Cl. *Schulzii* Dissertatione de momentaneo alterantium effectu in corpore humano permulta & utilia & curiosa afferri potuissent. Inter *Antapoplectica* & *Antepileptica* inveniuntur, quæcunque contra hæc gravissima mala excogitata unquam medicinæ fuerunt, etsi ne minimam vim habere posse intelliguntur; frustra tamen quæsimus *Oleum animale Dippeitii*, miræ efficacæ medicinam, sive per os, sive per cutem, corpori ingeratur. *Adjuvantia*, quæ in componendis medicinis vocantur, ne quidem an in omnibus, & si hoc non, in quibus

vel adhibeantur, dixit, vel debeant adhiberi. Vellemus, factem indicasset doctissimus Autor, apud quos ea legi possent. Sic, cum de *Arenatione*, vel *Saburratione*, agitur, consulere potuisset, ut de aliis non dicamus, *Franco de Franckenau* doctissimam Commentationem de Ψευδισμῶ. *Akumen* rupeum veteribus ignotum fuisse perhibetur, neque tamen exponitur, quo *Alumen* liquidum, rotundum, melinum, magni apud veteres usus, referri debeat. Unum modo addamus de potu *Chocolatæ*. Non enim invenimus, mentionem factam esse ejus medicatæ *Chocolatæ*, quæ, si recte meminimus, a celebri apud Parisenses Chymico, *Grossio*, in usum Ducis Aurelianensis ante viginti quinque circiter annos parata fuit, & nunc *Passii*, loco ob aquas medicatas claro, venditur. De quo argumento etiam est Dissertatiuncula *Hyac. Theod. Baroni* Parisiis A. 1739 habita, qua quaestio agitur: *an Senibus Chocolatæ potus salutaris sit?* Ceterum, quod ad simplicia, sive composita, miramur, nihil ab Autore dici de *Alica*, de *Aqua ferrata*, de *Absinthiatibus* veterum, de *Sicharistis*, sive *Emplastris*, sive *Collyriis*, de *Athanasii*, *Ascalabotis*, *Aceto* disquillio, de *Arete*, epithematis specie, de *Emplastro Attalo* dicto, de *China China*, de *Cuscarrilla*, de *Antidoto*, καλκή dicta, & hujusmodi aliis numero non paucis. At forte non desiderarentur hæc, si vel *Nicolai Myrepsi* opus consulere visum fuisset *Riegero* doctissimo. Et, ut aliquam laudem meretur eo, quod, quibus quæque nominibus a Græcis, Francis, Anglis, Germanis, appellentur, indicavit, ita majorem meriturus fuisset, si synonyma, quantum potest, omnia addidisset, & conciliare adeo omnis ætatis ac generis scriptores de Materia medica studisset. Quæ res quantam utilitatem habere debeat, non opus est dicere. Sunt tamen, ne videamur carpenti studio hic aliquid dedisse, ii quoque loci indicandi, in quibus multa utilia afferuntur. Tales sunt locus de *Aere*, de *Aceto*, *Acidulis*, *Aere*, *Antimonio*, *Arsenico*, *Auro*, & *Aqua*, etsi hic non adeo multa de *Aqua fontana* & *fluviatili*, ac nihil prorsus de *calida* uti in vulneribus & ulceribus, ad quæ am est ab antiquissimis scriptoribus commendata, itemque de *tepidâ*, olim ad vomitum utili habita, proponantur. Legi etiam

cum

cum fructu possunt, quæ de *Cantharidibus*, *Calceo*, *Camphora*, *Cinnamomo*, & *Causiis* medicinis, habet, etsi de his, quantum ad varii generis abscessus aperiendos scalpello præstant, plura potuissent scitu digna ex recentioribus Chirurgicis scriptis, & aliquot Parisiensium quodlibetariis Disputationibus, allegari. Neque silentio est prætereundum, *Tom. I pag. 1069* ex avtographo afferri testimonium Notarii, quod vocat, de convenientia Essentiæ dulcis *Christiani Ernesti Kleinfeldi*, Medici Regiomontani, cum Essentiâ dulci Halensi, & *Tom. II pag. 54* etiam ex Avtographo proponi *Frid. Ruyschii* Methodum veram, qua præparantur, & ceu in statu vivo conservantur, cadavera humana. Jam efficiamus, ut, quo ordine omnia pertractata sint, intelligatur. Exemplum sit *Ambra grisea*, cujus primum descriptio datur, ubi inveniatur, quomodo legatur, & quæ sint bonitatis notæ, indicatur, deinde proponuntur variorum de natura *Ambre* sententiæ; alii enim ad bitumen, alii ad naphtham, sulphur nativum, succinum, alii ad terras, imo ad gemmas, retulerunt; nec desuere, qui ad vegetabile regnum, imò ad animale, pertinere existimarunt. *Neumannii* vero sententia probatur, qui, bitumen esse, dixit, ad succinum proxime accedens, ejusque & aliorum experimenta allegantur, porro usus declaratur in odoribus conficiendis, & in medicina; possidere enim asserunt vires stimulantés, calefacientes, hinc cardiacas, cephalicas, alexipharmacas, aphrodisiacas, denique quæ ex ea parantur, & quibus, quod ingreditur, nomen dat, medicinæ harumque usus exponuntur. Hæc de simplici medicina. In compositis qualis est, *Balsamum Locatelli*, ut rem exemplo illustremus, primo varii componendi parandique ejus modi recensentur; hinc ex *Ill. Hofmanno* usus ejus in phthisi perfecta, ex *Cl. Schulzii* Prælectionibus quantitas, qua sumi solet, & quod ad contusiones, renum & vesicæ ulcera, neque minus ad ambusta, & vulnera, valeat, indicatur, & quali compositione *Barbaavins* ad vulnera pura uti solitus fuerit. Hoc unum, superest, ut addamus: nimirum in Præfationis sine legitur, hoc totum Opus jam ante triennium prelo subjectum fuisse, curaturum tamen *Cl. Autorem*, ut reliqui *Tomii* proxime edantur,

tur, &, cum eos prævideat non omnia comprehensuros esse, effecturum certe, ut, quod desit, in Supplementis legi possit, pariterque additurum ipsum in fine Operis Indices nominum, quibus a Germanis, Anglis, aliisque gentibus, singula appellentur, nec non morborum, qui propositis medicinis vinci tollique possint.

PHILOSOPHIA PRACTICA UNIVERSALIS, Methodo scientifica pertractata. Pars posterior, praxin complectens, qua omnis praxeos moralis principia inconcussa ex ipsa animæ humane natura a priori demonstrantur. Autore CHRISTIANO WOLFIO, Pot. Suec. Regis, Hassiæ Landgravii, Consil. Regiminis, Mathemat. ac Philof. Profess. Primario in Acad. Marburgensi, Prof. Petropolitano honorario, Academiæ Reg. Scient. Parisinæ, Societatisque Reg. Britann. ac Borussicæ, Membro.

Veronæ, typis Dionysii Ramanzini, 1742, 4 maj.

Alph. 2 plag. 12.

Prodiit primum Francofurti & Lipsiæ, in Bibliopolio Rengeriano, 1739. 4.

Alph. 4 plag. 16.

Notatu digna est Dedicatio, quam Ill. Autor Operi præmisit. Inscripta enim idem *Fridérico Wilhelmo*, Regi Borussicæ, A. 1740 vita defuncto. Nemo est, qui nesciat, qualia fuerint fata Cel. Autoris Halk, postquam per integros 17 annos Mathesin & Philosophiam ibidem cum invidendo applausu docuerat, & quod Rex Borussicæ, de innocentia ejus certus, lautissimis conditionibus oblatis, eum Halam revocaverit, quas tamen accipere noluit, memor, quam honorifice exceptus fuerit a Serenissimo Hassiæ Landgravio, & quam commoda sibi sedes esset Marburgi sub protectione Potentissimi Suecorum Regis, qui, cum Serenissimo Parenti in terris Hassiacis succederet, gratiam, qua Noster antea usus fuerat, non imminuerat, sed auxerat.

Nec

Nec minus ubique percrebuit fama de testimonio innocentiae, quod Auctori perhibuerunt viri probatae doctrinae ac vitae, postquam Rex Borussiae ipsis examinandos dederat errores, eisdem denuo imputatos ab adversario Halensi, & omni religione eos adstrinxerat ad animi sui sensu candide aperienda, tanquam rationem reddituros sententiae suae & Regi, & toti Ecclesiae, & ipsi olim Deo. Cum vero malevoli non erubescerent omni animi contentione persuadere aliis, quasi Rex Borussiae de *Wolfio* nunquam bene sensisset, nec unquam ipsi animus, cum Halam revocandi, fuisset; ut de veritate factorum posteritati constaret, Noster haec omnia in Dedicatione recenset, ac publice Regi gratias agit; id quod Majestati ejus adeo placuit, ut eundem denuo in terras suas invitaret, & iteratis literis reditum in Academiam Halensem urgeret. Noluit tamen Noster Marburgum, sedem Musis suis adeo commodam, relinquere, donec tandem A. 1671 Rex Borussiae, qui nunc sceptrum tenet, a Potentissimo Sueciae Rege impetraret, ut circa finem istius anni Halam redire ipsi liceret, ad munus Procancellariatus & Professionem Juris Naturae ac Gentium atque Mathematicos subeundum vocato, & dignitate Consilarii intimi, cum salario bis mille imperialium, aucto. Haec de fatis Ill. Auctoris; veniamus ad ipsam tractationem.

Propositum est Cel. Auctori, praxin Philosophiae moralis ad principia generalia revocare. Monet enim in Praefatione, eam suis legibus adstringi, quas homo in determinandis actionibus suis violare nequit, & secundum quas agit, etiamsi eas ignoret, nec, quod eas observet, sibi conscius sit. Hac vero de causa praxin moralem a priori demonstrari posse ex ipsa hominis natura; id quod haecenus vel non agnatum, vel inter ea relatam sit, quae sphaeram intellectus nostri transcendunt. Quamobrem, hunc defectum ut suppleret Noster, nunc praxeos moralis principia generalia demonstrat, suo loco ac tempore praxin specialem inde derivaturus. In Philosophia practica universali enim quae traduntur, ea loco notionum directricium esse in specialibus investigandis. Dividit autem totam tractationem in *quatuor Capita*, quorum *primo* agit de generali actionum humana-

rum directione, *secundo* de modo consequendi summum bonum & felicitatem terrestrem, *tertio* de custodia conscientiae & culpa vitanda, *quarto* denique de conjectandis hominum moribus.

Cap. I. Generalis actionum directio huc redit, ut actiones liberae omnes cum inter se, tum cum naturalibus, consentiant, determinando actiones liberae per easdem rationes finales, per quas naturales determinantur, minime autem per diversas; quo ipso obtinetur, ut non modo actiones singulae legi naturali reddantur conformes, verum etiam vita moralis, quae in complexu actionum liberarum consistit, reddatur perfecta, & homo virtutem sincere colat, Deoque vivat. Ut vero etiam appareat, quomodo ad vitam perfectam pervenire detur, ideo porro demonstrat, quanam mentis acies ad hoc acquiratur, ut actionis cujuslibet cum fine ultimo nexum perspicere valeat, & quomodo ea acquiratur. Ostendit hic usum systematis legum naturalium, per quod intelligit eam ipsarum compactionem, qua omnes inter se connectuntur; ubi etiam ingenue docet, quomodo systema quodlibet doctrinarum condatur. Ostendit reliqua, quae ad mentis illam aciem sibi comparandam requiruntur. Hinc porro inquit, quid fieri debeat, ut fine quaesito potiamur, cumque demonstret, distinguendos esse casus in executione actionis possibiles, investiganda esse media, in quolibet casu ad finem via brevissima ducentia, detegenda esse impedimenta, quae in unoquoque sese offerre possunt, & quaerenda denique esse remedia, seu modum, impedimenta ista removendi, de hisce singulis prolixè agit. Quoniam casus determinantur per circumstantias, circumstantiae autem vel ad actualitatem, vel ad moralitatem, actionis aliquid conferunt; hinc ampla nascitur tractatio de modo, quo quid in actualitatem actionis influere possit. Pertinet huc imprimis concursus ad actionem alterius, qui cum efficiat, ut facti alieni fiamus participes, idemque nobis imputetur, doctrina haec non modo suum habet usum in praxi morali, verum etiam in Jure, quando de reparando damno, & communicatione poenae, agitur. Pertinet etiam huc tractatio de occasione, quae in oblatione circumstantiarum favorabilium consistit, hoc est, earum, quae faciunt,

ut

ut agens adu agat, vel actionem facilius & commodius absol-
vere possit. Ceterum, cum plerique homines sint empirici in
agendo, alios imitantes, ideo Noster de imitatione quoque sibi
agendum esse duxit, quam definit per conformationem actio-
nis nostræ ad alienam, vel etiam præsentis ad præteritam pro-
prium. Distinguit autem eandem in rationalem & empiricam,
cum illa probetur, hæc sit improbanda.


In quonam summum bonum consistat, Ill. Auctor jam docuit Cap. 2.
in *Parte prima Philosophiæ practicæ universalis*, ibidemque di-
cta hic supponit. Demonstrat itaque, eum, qui summum bo-
num consequi velit, vitæ perfectæ studere debere, consequen-
ter omni animi contentione in id emittendum ipsi esse, ut actio-
nes suas omnes quoad minima legi naturæ conformet. Requi-
ritur hic ardor nil quidquam agendi, quod legi naturæ adversa-
tur, quem Auctor definit per actum, voluntatis cupiditate, & actum,
voluntatis fuga vehemente, stipatum, ut adeo appetitus ratio-
nalis & sensitivus ad idem tendant. Docet autem, quomodo
ardor iste accendatur, hoc est, in volente cupiditas, in nolente
fuga, excitetur, ministerio aliorum affectuum. Actus voluntatis
& noluntatis supponit cognitionem vivam; viva nimirum dici-
tur cognitio, quæ sit motivum voluntatis & noluntatis. Quam-
obrem proluxa nascitur tractatio de cognitione viva, quæ via
demonstrationis acquiritur a priori, per exempla illustratur, &
confirmatur a posteriori. Quanam hic sit exemplorum vis &
experientiæ domesticæ, multis ostendit Noster, & quanam sit
fabularum usus, commonstrat. Agit etiam hoc loco de æmu-
latione, hoc est, studio, quod in eo collocatur, ut aliis pares,
vel etiam superiores, evadamus. Cum in *Psychologia empirica*
ostenderit, nullam dari volitionem, nullam nolitionem sine mo-
tivo, unde motiva petenda sint, & quomodo in casu particu-
lari detegatur, immo quomodo pro diversitate subjectorum
varianda sint, demonstrat. Si motiva agendi prævalent motivis
non agendi, & contra, vel nulla prostat ratio in contrarium, ad
propositum agendi, vel non agendi, adducimur; quando vero
idem non subsequitur, non unam ob rationem contingit.
Quodsi nulla ratio emergens decretum & propositum in dubi-
tationem

rationem adducat, nec ex proposito oriatur pugna inter partem superiorem ac inferiorem facultatis appetendi & averfandi; decretum exequimur. Subsistit autem propositum servandi legem naturæ, si ardor nil quidquam agendi, quod legi naturali adversum, nec quidquam omittendi, quod eidem conforme, conservetur. Ut vero idem exequaris, memor ejus semper sis, necesse est; quod quomodo obtineatur, apud Autorem legi potest. Usus insignem præbent ceremoniæ, quæ sunt signa eorum, quorum in executione propositi alicujus meminisse debemus. Atque hæc ratio est, cur Ill. Autor theoriam ceremoniarum dederit demonstratam, tam in iis dijudicandis, quam excogitandis, instituendis, ac reformandis, utilem. Monet Cel. Autor, Sinas optime pervidisse usum ceremoniarum in praxi morali, inter quorum libros classicos est etiam liber Rituum, hæcenus in aliam linguam non translatus, qua a nobis legi posset. Ostendit etiam, quale nobis competat jus circa ceremonias vi legis naturalis. Impedimenta agendi legi naturæ convenienter oriuntur a sensu, imaginatione, & affectibus; quod quomodo fiat, a priori demonstrat Noster. Consistit autem in eo statu, quo homo sensuum, imaginationis, & affectuum, dominio subicitur, servitus moralis, felicitati humanæ prorsus adversa, unde deducitur, tum vere liberum esse hominem, si voluntatem suam ad actiones legi naturæ conformes determinat, nec hanc libertatem confundendam esse cum licentia vivendi, determinatione actionum, prouti liber, nulla prorsus habita legis naturalis & divinæ ratione. Vincit homo se ipsum, si appetitus rationalis adversus aversationem sensitivam, & aversatio rationalis adversus appetitum sensitivum, prævalet. Unde nascitur arduum problema cum de dominio in sensus, imaginationem, atque affectus, acquirendo, tum de sensu & imaginatione ad consensum cum intellectu in representando bono atque malo, ac appetitu sensitivo ad consensum cum rationali reducendo. Tanto apparatu præmissis, tandem solvitur problema de modo, quo ad vitam legi naturæ conformem vivendam adducamur, consequenter ad veram virtutem perveniamus, & summum bonum ac felicitatem consequamur.


Theoriam

Theoriam conscientię ac culpę dedit Ill. Autor in *Parte* Cap. 3.
prima Philosophię practicę universalis; in altera igitur addit ea,
 quę ad praxin spectant. Docet itaque, quęnam observanda
 sint, ut conscientia utamur recta, ut certa; quomodo tollan-
 tur scrupuli conscientię, quomodo moribus ejus sit menden-
 dum, & quomodo iidem leniendi; quid fieri debeat, ut con-
 scientia sit libera, tranquilla, nec somno obnoxia; quomodo
 denique custodiatur. Ad hanc custodiam requiritur etiam cul-
 pę evitatio. Quę de causā Noster doctrinam de culpa evitan-
 da cum illa de custodia conscientię conjungit. Quemadmodum
 vero varię dantur culpę species, quas cum cura a se invicem
 discrevit alibi; ita quoque hic non modo in genere docet, quę-
 nam ad culpam vitandam necessaria sint, sed & quę ad vitan-
 dam unamquamque in specie requirantur.

Hominum mores conjectandi duplicem modum præscri- Cap. 4.
 bit. Conjectare nimirum eosdem licet vel ex affectibus, seu
 passionibus animi, vel ex liberis quibuscunque actionibus. Per
 mores enim hominum intelligit modos constantes ac perpetuos,
 determinandi actus facultatum animę, quatenus a libertate no-
 stra pendent. Quamobrem, cum appetitus & facultas averfan-
 di determinetur per motiva, quę supponunt notiones genera-
 les boni ac mali, sive veri, sive apparentis, easque sive con-
 fusas, sive distinctas; hinc mores conjectare idem est, ac ex
 affectibus, quatenus in sensus incurrunt, & actionibus externis,
 determinationem generalem appetitus & averfationis quoad
 actiones certi generis vel speciei probabiliter saltem colligere.
 Quoniam vero ea, quę in sensus incurrunt, & ex quibus gene-
 ralis determinatio appetitus vel averfationis quoad actiones cer-
 ti generis vel speciei ad mores requisita colligitur, sunt signa;
 ideo Autor monet, artem conjectandi hominum mores dici
 etiam Semioticam moralem. Atque hinc apparet, cur in Phi-
 losophia practicę universalis non nisi principia generalia hujus ar-
 tis tradat; specialia enim in Philosophia morali, seu Ethica, suo
 tempore exhibebit. Ceterum, quando ex actionibus conje-
 ctura fieri debet, necesse est, ut sincera a simulata distinguatur.
 Quare Autor etiam de simulatione, dissimulatione, & pretextu,



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963 A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1743

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 613 L 4⁰

agit, ne quis in conjectando decipiatur. Prolixum nimis foret, si ad specialia descendere vellemus, quæ apud Autorem legi possunt. Illud tantummodo adhuc monemus, eum mores naturales, tam communes, quam proprios, ab adventitiis distinguere; ubi etiam distincta notione explicat, quid sit instinctus naturalis, quid inclinationes & reclinaciones naturales, ac unde eadem oriantur. Postquam vero demonstravit, conformationem partium corporis, ac ceteras differentias, quæ in corporibus humanis observantur, inclinationibus & reclinacionibus naturalibus respondere, a quibus pendent mores naturales; possibilitatem Physiognomiæ adstruit, ubi multum tribuit similitudini hominum cum brutis. Eam tamen huc usque parum excultam confiteretur.

Ceterum vix prelum reliquerat *posterior Pars Philosophiæ universalis* Veronæ, cum anno superiore mense Martio tota officina libraria & typographia *Ramanziniana* ferali flamma consumeretur; ut adeo etiam hoc incendio interierint editiones nitidæ Operum philosophicorum *Wolfianorum*, una cum *Tomo primo* Elementorum Matheseos, nitide ac correcte impresso, figuris elegantibus ipsi textui insertis. Prodiit in Germania, præter *Philosophiam practicam*, *Pars etiam prima, secunda, & tertia*, Operis amplissimi *de Jure natura*, de quo proxime dicturi sumus.

NEVROPATHIA, SIVE DE MORBIS HYPOCHONDRIACIS & HYSTERICIS Libri III, Poema medicum. Cui præmittitur Dissertatio Epistolaris prosaica ejusdem argumenti, Autore MILCOLUMBO FLEMING, Med. Doct.

Amstelædami, apud Henricum Boussiere, 1741, 8 maj.

Plag. 9½.

Quare Doctissimus Autor de morbo hypochondriaco disserere instituerit, hæc præcipua fuit causa, quod ipsemet, cum gravioribus ejus symptomatibus aliquamdiu constitatus, multam in eo perquirendo curam & operam, tum præstan-

stantissimorum scriptorum lectione, tum meditatione & observatione practica, per duodecim & amplius annos collocavit, sibi que nunc nonnulla, prætermissa aliis, lectu tamen non prorsus indigna, esse traditurus videtur. Ad metri autem leges ea redegit, quod nemo ejusmodi quid tentavit adhuc, atque oratio vorsa fortius vividiusque, quam prosa, movet lectorum animos, & quælibet iisdem præcepta altius inscribit. Ne quis vero de obscuritate quadam & perplexa tractandi ratione conqueri haberet, brevem lucubrationem, quæ soluto sermone, eoque facili & simplicissimo, idem argumentum persequeretur, præmittendam putavit. Malum hypochondriacum in viris, & hystericum in foeminis, unum esse idemque, cum aliis consentit, illiusque descriptionem, qua ab aliis morbis omnibus distingui queat, hanc exhibet: Morbus est duratione longus & chronicus, ventriculum plerumque, & primæ coctionis sedes, mentem vero sensusque internos ac spiritus semper peculiari ritu afficiens, vitamque ipsam magis minusque infelicem, prout hoc vel illo sævit gradu, reddens, ita tamen comparatus, ut licet multiplici & fere infinita symptomatum varietate affectis molestiæ multum, tædiosæque ægrimonix, afferat, ac ipsorum plerumque sententia plurimum periculi videatur intentare, re tamen vera tutior multo existat, quam malorum præ se ferat magnitudo, in Britannia, quam alibi, frequentior. Quæ descriptio an cognoscendo rite, discernendoque ab aliis, huic morbo sufficiat, id est, de quo nos valde dubitamus. Utriusque morbi unam eandemque naturam & rationem esse, unamque sedem primariam, videlicet cerebrum & nervos, inde oriundos, nervorumque liquidum, cum *Willisio* contendit pariter, atque existentiam spirituum animalium a dubiis *Eduardi Stuart* copiosius vindicat. Quoniam nervi a suis spiritibus animalibus nutriuntur, omnes vero in corpore partes solidæ ex nervis compactis atque coagmentatis coalescunt, hinc, quicquid compositionem partium solidarum ingreditur, fuit ante in nervorum liquidis. Quæ cum terra consistit, oleo, aqua, ac sale quodam, animalibus proprio; utique hinc consequitur, spiritus animales omnia hæc in se continere principia, ac proinde velut

Pag. 63

7.

9.

10 seq.

30 seq.

- quintam esse sanguinis succorumque reliquorum essentiam, cu-
 jus vehiculum aqua est, purissima atque mobilissima, fluxu
 per vala, quæ ex capacioribus gradatim angustissima, & super
 omnem imaginationem subtilia, evadunt, admodum attenuata,
 calore rarefacta, & vaporis potius, quam fluidi sensibilis, natu-
 ram referens, quæ simul imbuitur terra, oleo, & sale, jam di-
 ctis, itidem tenuissimis, maximeque elaboratis & subactis, &
 intime permixtis, neque ulla sentium vi comprehendendis,
 antequam, propiorum canalium nutritione peracta, in substan-
 33 seq. tiam solidam & consistentem fuerint conversis. Ad cogno-
 scendam vero hujus mali naturam multum tribuit insignis
 illa, quæ inter cerebrum intercedit & ventriculum atque inte-
 stina, consensio, tum ex aliis, tum hoc imprimis indicio, per-
 spicienda, quod, quo quis cogitat intentius, eo, ceteris paribus,
 ingestos cibos difficilius tardiusque concoquere solet, & con-
 tra, quo quis animum a graviore cogitatione liberum magis ha-
 bet, eo felicius citiusque alimentorum digestio procedit. Un-
 de fit verisimile, spiritus animales non cotemendum in cibo-
 rum concoctione præstare officium, in capite autem intentâ me-
 34. ditatione retentos, in ventriculum atque intestina minus influe-
 re, ut concoctio hinc imperfecta & tarda evadat. Et viden-
 tur profecto naturali lege spiritus animales in ventriculi & inte-
 stinorum cava per nervos, qui suis emissariis nerveam illorum
 tunicam penetrant, eruclari, ut per istos, novis ingestis, haud
 parva copia permixtos, juvetur coctio, chylo concilietur fluor,
 ipsique spiritus, cum chylo in sanguinem delati, cerebro ac ner-
 36 seq. vis, quodam velut circulo, reddantur. Posita igitur universi
 nervorum systematis debilitate, si chylus & proinde sanguis
 ab imperfecta alimentorum coctione in primis viis crudior jugi-
 ter conflatus in venas admittatur, liquida, quæ in minimis fe-
 runtur vasculis, quæcunque ea demum fuerint, & quocunque
 appellantur nomine, quos Noster spiritus vocat, & nervorum
 cava penetrare credit, aquea nimis & tenuia, principisque ani-
 malibus paucioribus prædita, ac proinde effæta, nimis mobi-
 50. lia, ac facile dissipanda, evadent. Ipsa proinde omnis morbi hy-
 pochondriaci atque hysterici natura consistit in laxa cerebri ac
 NERVO-

nervorum debilitate, in aquea nimis paupere & effœta, minus mobili, nimisque fugaci & dissipanda spirituum animalium indole, depravata alimentorum in primis viis cœctione, succorum cruditate, viscerum, chylo faciendo inservientium, ipsiusque cerebri, obstructionibus, ab inæquali liquidorum per multiplices canalium series propulsione exortis. Ut vero hæc vitia connectuntur inter se & concatenantur; ita labente tempore quasi per circulum augentur, & in pejus eunt omnia, donec morbus ad *ὄγκον* pervenit. Accedit etiam ut plurimum qualiscunque succorum acrimonia, ex spontanea degeneratione propter ingesta imperfecte animalis naturæ assimilata, & quæ propriam adhuc indolem nimium retineat, enata. Ex his rationibus quædam horum morborum proprietates, eorundem naturam maxime illustrantes, sigillatim explicantur, quare scilicet hypochondriacos, & hystericas, si confirmata fuerit labes, morbi acuti, sive epidemii, sive intermittentes, rarius aggrédiantur; quare, si morbus febrilis nervorum debilitate laborantes invaserit, feliciterque superetur, cerebrum & nervos firmiores plerumque, quam prius fuerant, relinquat, morbumque priorem vel tollat, vel minuat, eoque potentius benignum illum effectum producat, quo acrior fuerit & vehementior; quare hi morbi cum ætate sponte fugiant, consenscentesque desinant, & quando id fit, quare homines, ita liberati, cruda viridique senectute postmodum fruantur, & longævi plerumque evadant. His præmissis, sensus ipsius Carminis heroici planior redditur atque facilior. Ipsemet Autor se *Lucretii* fateatur imitari exemplum, quem sublimem, nervosum, uberem, dulcissimumque vatam, appellat. Et nos consentimus omnino, ejus versibus hos ipsos nostri Autoris esse admodum similes, nec in eo ab illorum indole recedere, quod sæpenumero parum suaves, & leviter profluentes, sed aliquantum horriduli, esse vel primo conspectu intelligantur. Omne Carmen in tres divisum est *Libros*, quorum *primus secundusque* morbi causas, naturam, & proprietates, exitusque, *tertius* autem medendi rationem, persequitur. Speciminis loco ex *Libro tertio* eos versiculos, quibus de usu remediorum emeticorum & cathartico-

corum, in his morbis præcipit, afferemus. Ita vero, post con-
 Pag. 54. stitutas medendi leges, de istis mentem suam explicat:

*Ventriculum cura imprimis; hoc viscere læso
 Non salubres facile humores in corpore fiunt;
 Non vigeant stabiles, animalia robora, nervi.
 Quem si, ut multoties contingit, fœda suburra
 Oblinat, aut acidi succi, aut lentæ pituitæ,
 Plurimaque hoc morbo vexatis semper abundat,
 Aut alius pepsi infestus forte obruat humor;
 Tum sibi irritans acri, radice vel Indæ
 Sapius expurga verrens, vomitumque cieto.
 Inde aloë pura, & gummi solventibus ipsum.
 Intestinorum teretem costumque canalem
 Eluito, & caute repetitis dosibus insta,
 Nempe viæ ut primæ chyli ductusque alimenti
 Emundentur, & in venas iter expediat.
 Ast turbas, vomitu factas, atvumque movendo,
 Tempestive opio prudens lenire memento*

**JO. GUIL. MARCKARTI PROBABILIA RECE-
 ptarum Lectionum Juris Civilis.**

Pars II.

Trajecti ad Rhenum, apud Guil. Kroon, 1738, 8.

Plag. 13.

Diximus jam *Mense Julio* Anni superioris de *priori Parte* li-
 bri hujus elegantis, qui doctissimum *Marckartum* Autorem
 habet. Gratum fore Lectoribus nostris, opinamur, si & de *alte-*
ra hac *Sectione* vel brevissimis dixerimus. Leges Romani Juris,
 quas, adhibita arte critica, sub examen revocavit Clarissimus
Marckartus, sunt ordine sequentes: l. 37 §. 1 D. de Relig. &
Sunt. Funer.; l. 34 D. de Legibus; l. 1 D. de Donat. inter vir. &
uxor.; l. 2 D. Qui & a quibus manum.; l. 2 C. de Sepulcro violato;
 l. 25 §. 2 D. de Acquir. vel amitq. possess.; l. 1 §. 2 D. de Rer per-
 mut.; l. 17 C. de Fide instrument.; l. 8 pr. D. de Peric. & com-
 mod. rei vend.; l. 42 pr. D. de Procurat.; l. 7 §. 8 D. de Inju-
 riis; l. 4 I. de Nuptiis; l. 3 pr. D. ad Exhibendum; l. 5 D. de
 Transact.; l. 197 D. de R. J.; l. 1 C. de Questionibus; l. 33 §

2. D. de Procurat.; l. 177 §. 1 D. de R. J.; l. 16 C. de Nuptiis; l. 17 D. de Sponsalibus; l. 2^a l. de rer. divisione; l. 39 D. de Ritn nuptiar.; l. 54 eodem; l. 4 §. 1 D. de Usu & habit.; l. 79 §. 1 D. de V. S.; l. 2 pr. D. de Pactis; l. 2 §. 1 D. de Procurat.; l. 15 D. de in jus vocando; l. 60 §. 6 D. Locati; l. 52 §. 3 D. pro Socio; l. 7 §. 2 D. Quib. mod. pign. vel hypoth. solvitur; l. 5 D. de Prævaric.; l. 35 §. 9 D. Ex quibus causis major; l. 29 D. de Admin. & peric. tutorum; l. 24 §. 5 D. Soluti matrim.; l. 4 C. de Testam. tutor.; l. 43 §. 10 D. de Furtis; l. 7 pr. D. de Jurisdic.; l. 2 C. de his, qui accus. non possunt; l. 5 pr. D. Ex quibus causis majores; l. 3 D. de Divort & repud.; l. 9 D. de Officio Præsidis; l. 1 §. 1 D. de Bonor. possess. sec. tabulas; l. 1 §. 21 D. de Acquir. vel amitt. possess.; l. 1 §. 4 D. Depositi; l. 35, 36, D. pro Socio; l. 33 pr. D. de Usuris; l. 12 §. 2 D. de Legatis I; l. 20 D. de his, qui not. infamia; l. 99 D. de Solutionibus; l. 18 D. ad Exhibendum; l. 8 D. de Tutelis; l. 7 pr. D. de Capit. minut.; l. 3 §. 1 D. de Sepulcro violato. Adscripsimus has Leges omnes ideo, ut Lector curiosus facile animadvertere possit, quænam inter illas usibus ipsius apta videatur. Judicii acumen & doctrina Autoris vel ex duobus speciminibus elucebit. Pag. 15 disquiritur, num in l. 2 C. de Sepulcro violato recte mentio fiat servi. Ita enim prima Legis verba: Si servus in demoliendis sepulcris fuerit deprehensus, &c. Græci, Basilicorum Lib. LX Tit. 23 dictam Legem de verbo ad verbum vertentes, his usi sunt voce *ἐμέρης*. Muretus autem Cap 2 Observat. Juris, sprete Græcorum autoritate, legere mavult: Si quis in demoliendis sepulcris. Argumenta ejus non levia esse, proficitur Clariss. Autor. Primum enim ait Muretus, vocem *dominus*, quæ in Lege occurrit, non esse accipiendam de domino servi, sed potius de domino sepulcri; deinde relegationem, de qua in sequentibus Legis verbis dicitur, non esse pœnam servorum, quippe quibus relegatione tribuatur potius beneficium; denique in l. 1 C. Theod. de Sepulcro violato, quæ in Codicem Justinianicum transit, similiter legi *si quis*. Nihilominus tamen aliam fovet doctissimus Markartus sententiam; & cum omnis eo quæstio redeat, an relegatio

gatio servilis pœna fuerit, eleganter docet, relegationem in servis non eum quidem habuisse effectum, quem in liberis personis habebat, fuisse tamen pœnam, tantumque abesse, ut pro manumissione, aut remissione servitutis, eadem fuerit, ut omnino servi a dominis offensis in villam quasi relegarentur, secundum *l. 35 §. 3 D. de Hæred. instituend.* & relegati molestam servirent servitutem. Et hanc quidem privatam fuisse relegationem. Sed injungere etiam domino nonnunquam confuisse magistratum, ut servum relegaret, teste *Suetonio in Aug. Cap. 24. Pag. 89* expenditur *l. 52 §. 3 D. pro Socio*, ubi hæc: *Damna, quæ imprudentibus accidunt, hoc est, damna fatalia, socii non cogentur prestare.* Errorem esse, putarunt Critici, in voce *imprudentibus*. *Franç.* igitur *Hottomanus Observ. Lib. IV Cap. 16* plane reponendum esse censuit *prudentibus*. *Gilbert. Regius Enantioph. Cap. 20*, ita etiam in quibusdam Codicibus legi, testatur, maluit tamen *imprudentes* hic interpretari ut *prudentes*, quam mutare quidquam. Dura sane expositio, quam improbavit jam olim Illustris *Synkershækius Lib. II Observ. 10*, qui longe probabilius conjicit, olim scriptum fuisse *imprudentibus*, una & continua voce, quæ si separaretur, plana erit Legis & sententia & locutio. Aliter *van de Water Observ. Lib. I Cap. 6*; ubi suspicatur, exaratum antiquitus fuisse *em prudentibus*, & *em* per compendium pro *etiam* positum. Clariss. Autor opinatur, *Ulpianum* discessisse hic ab *imprudens* nozione juridica, & grammaticam tantum in mente habuisse, quo sensu *imprudens* & *insciens* synonyma sunt; ideoque, quia id illi exciderat, quasi se ipse corrigeret, statim subjecisse: *hoc est, damna fatalia*, ne scilicet voci usitata & juridica illa notio adscriberetur. Nos ceteroquin non possumus non doctissimi *Marckarti* diligentiam iterum de meliori commendare, euntlenique, ut in illustranda Jurisprudencia strenue pergat, quam fieri potest, humanissime cohortari.

*SYNOPSIS UNIVERSÆ PHILOLOGIÆ, IN QUA
miranda unitas & harmonia Linguarum totius orbis
terrarum occulta e literarum, syllabarum, vocumque,
naturæ*

natura & recessibus eruitur; cum Grammatica Linguarum orientalium harmonica, synoptice tractata; nec non descriptione orbis terrarum quoad linguarum situm & propagationem, Mappisque geographico-polyglottis. In gloriam linguarum conditoris, usumque tam exegeticum, quam scholasticum, quo linguae a studiosa juventute breviori negotio disci, emphasesque vocum uberiori modo colligi, possint, adornata a GODOFREDO HENSELIO, Scholæ A. C. apud Hirschb. Rectore.

Norimbergæ, in commillis apud hæredes Homannianos, 1741, 8.

Alph. 1 plag. 9, cum Mappis geographicis 4, atque aliis tam figuris, quam scripturis, æri, peculiaribus in foliis, incisis.

Quam improbandum est, rebus relictis, in verbis con-
 tinescere; tam utile, tam conveniens tamen homini
 erudito, linguarum studium jure poterit suo gereri. Laudabile itaque institutum secutus est Clarissimus hujus libri Auctor, dum utili dulces, ad illarum etiam cognitionem, diversitatem, consensionem præsertim, quod attinet, miscere tam ingeniosè voluit. Non quidem omnino primus est, qui consensum linguarum in tanta diversitate scrutatur. Astoleteus jam, cum in Lyceo Gorlicenti literis operam navaret, librum vidit, qui vel simile quidquam suscipiendum, atque rem omnino altius tractandam, ipsum conceitavit. Est ille inscriptus: *La Reunion des Langues, ou l'Art, de les apprendre toutes, par une seule. Auteur P. Besnier.* Cum hoc scripto deinceps conjunxit *Neumanniana* atque *Lasberiana*, ex quibus perlectis facile intellexit, latere omnino in linguis, præter convenientiam externam, adhuc aliud quid magis harmonicum, quo linguae omnes *ἑμφατικῶς* conspirent in unam. Neque tamen ideo *Iliada* hoc loco post *Homerum* scribit; quippe cum *Neumanniana* opinio de literarum Ebraicarum hieroglyphica significatione antiam saltem ipsi præbuerit ulterius progrediendi, & a cortice figuræ externæ in interiora, ut loquitur, universæ Philologæ penetrandi. Dividit autem institutum suum in *Sections & Capita.* Ita *Sectione I*

Sectione I generaliora αἰτιώματα, de linguarum unione & harmonia interna emphatica, traduntur. Hic *primo* agitur de origine linguæ vocisque humanæ in genere, rationisque atque orationis convenientia ac diversitas significatur. Definitur ibi sermo, sive vox humana, quod sit sonus animalis articulatus, a glottide, ex percussione respirati aeris, formatus, animique conceptus explicandi causâ productus. Atque hac occasione dux propositiones, quæ per se fidem mereantur, stabiliuntur. Altera est: Inhaeret linguis humanis Θεῶν τι, sive emphaticum quid, providentiæ divinæ; altera vero: Voces linguarum non sine ratione formantur, hinc & ratiocinando quam felicissime, ad pondus quod attinet, eruuntur. Illis succedunt *Capite secundò*, quod ortum diversitatis linguarum considerat, aliæ dux, quarum prior est: Linguarum immutationes certis naturæ legibus, Deo sic moderante, subsunt, & non nisi pederentim fiunt; posterior autem: Non absolum est, vocum recentiorum origines ex veteribus, transpositione, permutatione, deletionem, & additione literarum quarundam, investigando adstruere. Ista autem antequam proponuntur atque illustrantur, qui sit dialectus, maxime inquiritur, eademque, ad ductum Cel. Schwarzii, ita definitur, ut sit linguæ alicujus communis (inprimis secundum singulas voces) immutatio peculiaris, eaque levior, &, pro diversis temporibus ac populis, illa eademque lingua utentibus, diversâ. *Capiti autem tertio*, de unitate & harmonia linguarum occulta, quinta hujusmodi propositio adjungitur: Latet in linguis omnibus humanis harmonia quædam, qua invicem conspirant, & quasi in unam coalescunt. *Sectione II* inscribitur de literis, earumque natura & emphasi; ibique agitur de literis fictis, sive ante diluvium adhibitis; de pictis, sive hieroglyphicis, vel de antiquissima scribendi ratione per imagunculas, de literis scriptis, sive artificialibus, & proprie sic dictis, deque earum origine divina & propagatione per orbem terrarum; tandemque de literis naturalibus, sive de literarum recessibus, in natura fundatis, earumque valore emphatico. Eaque data occasione literæ Ebrææ, Græcæ, Latinæ, Germanicæ, linguæ proferuntur, atque elegantissime explicantur. Isthis annectitur aliud *Caput*, de accentuum notis atque emphasi, Ebræorum, Græcorum, aliarumque gentium.

etiam. Accentuum nomine vocantur signa ista literaria, quæ proprie sonum vocalem non habent; sed notæ sunt toni, moræ, conjunctionis, divisionis, atque modulationis, & hunc in finem vocibus scriptis adduntur. Nimirum musicum etiam accentus, nominatim Ebraici, usum exhibent; quod fufius demonstrat Cl. Autor, qui & de usu atque origine accentuum Græcorum accurate disputat; neque Latinorum hic antiquiorum, ut & aliarum gentium, consuetudines tacet. *Sectio III* agit de syllabis, earumque compositione & variatione in linguis; ejusque *Caput I* tractat literarum compositionem emphaticam, aut formationem syllabarum & flexionem per partes orationis: ubi singularim diversâ syllabarum genera & moræ, secundum principia *Danziana*, lastrantur. *Caput II* sistit synopsis Grammaticæ harmonicæ linguarum, Ebrææ, Chaldææ, Syriacæ, Arabicæ, Æthiopicæ, Copticæ, & Græcæ. Hic per omnes partes orationis itur, eademque, tabulis synopticis arri incisis, omnes adduntur. *Caput III* de harmonia syllabarum, secundum quantitatem poeticam, singularim etiam de poeti Ebræorum sacra, quæstionem proponit. In tres hic potissimum sententias abeunt eruditi. Sunt, qui putant, nullam fuisse unquam poesin metricam, nec etiam esse potuisse, quos inter *Jos. Scaliger*, *Sam. Bohlius*, & *Matthias Wasmuthius*; alii metricam quidem concedunt, sed vel inde terminatam atque incertam faciunt, vel certam ac determinatam; neque demura desunt statuentes, divinari quidem posse hodie, qualis in genere fuerit forma & ratio poesios Ebræorum, nempe metrica, in sensu hitori sic dicta, intimam tamen ejus & specialem formam determinare, seu describere, hodie nemini esse integrum; cui quidem sententiæ ipse Autor noster, post *Augustum Pfeifferum*, *Ol. Borrichium*, *Gerh. Jo. Vossium*, *Sal. van Till*, *Jo. Corr. Danhauserum*, *Jo. Georg. Dorschaum*, *Jo. Fechtium*, & alios multos, calculum adjecit. *Sectio IV* de vocabulorum in diversissimis linguis consensione interna, ex literis & syllabis emphatica, doctrinas instillat. Et quidem *Capite primo* de occulta vocabulorum consensione in diversis linguis emphatica agitur. Sic, verbi gratia, inter vocabula **FN**, *ἀδελφός*, *frater*, *Bruder*, consensionem in recessu syllabarumque valore quærit; docens quippe, vocabulum Ebræum aliquid (halicu) extrusum, & produ-

rum, in conjunctione sibi (lingua versus palatum alligata) at-
 tissima denotare. Ideo quod sic frater unius mecum originis,
 mihiq; arctissime & natura & affectu (de jure) junctus. Reli-
 qua vocabula conjunctum quid pariter inagitare. Siquidem
f, b, literæ sint, quæ combinatis labiis effertantur, & sic etiam
 hujus naturæ syllabam efficiant. Itaque secundum prolationem
 hæc vocabula quæquam arcte conjunctum, unius derivationis
 atque interni affectus, denotare, quod etiam *Morbofius* observa-
 rit. *Capite II* agitur de miranda symmetria linguarum, & re-
 gulis, sive legibus, secundum quas Deus sapientissime familias
 vocum procreari, linguasque immutari, jussit. Quibus obser-
 vatis, magna copia vocabulorum, in quavis lingua, comparari
 potest. *Capite III* de præcipuis idiotismis vocabulorum & lin-
 guarum orientalium, in utum exegetico-biblicum, nempe de
 pleonasmis, ellipsi, enallage, significationum varietate, disseritur.
Sectio V agit de Geographia philologica, sive dispersione & pro-
 pagatione linguarum per orbem terrarum, vel de orbe polyglot-
 to; & quidem singulatim 1) de linguis Asiaticis, præcipiam
 linguarum orientalium, ex primitiva prognatam, & Semitarum
 potissimum vernaculas, discutendo; 2) de linguis Africanis,
 præcipiam linguarum meridionalium, & potissimum Chamita-
 rum vernaculas, sistendo; 3) de linguis Europæis, præcipiam
 linguarum occidentalium cum cognatis septentrionalibus, in
 posteritate *Japheti*, considerando: ubi inter alia linguæ Persicæ
 sororia cum Germanica affinitas ostenditur; et 4) de linguis
 Americanis populorum in novo orbe, incertæ originis. Sæ-
 pius ingenium magis elucet, quam qualiscunque denium cer-
 zitudo. Sed ea etiam est Vir doctissimus modestia, ut, quæ
 profert, obtrudit nemini. Nonnulla, de remotissimis linguis,
 literis saltem Latinis secundum pronuntiationem, ob defectum
 in typographia literarum istarum, exprimere coactus fuit. Eo
 tamen id facilius fecit, quo magis ipse quondam *Cel. Leibni-
 sius* in Otio Hannoverano desideravit, ut voces orientales,
 in gratiam tironum, literis Latinis exprimerentur, donec ma-
 gis assueti literas proprias addere discerent. Cumque idem
 ille Vir summus optarit, ut in Geographia philologica regiones
 dividantur per linguas, hæcque in chartis notentur; hoc etiam
 consilium Notter diligenter secutus est.

L' ENLEVEMENT D' HELENE &c.

id est,

HELENÆ RAPTUS ET SUBDUCTIO, POEMA
de Græco COLUTHI traductum, cum Animad-
versionibus.

Parisii, apud Jo. Franc. Robastellum, 1742, 12.

Plag. 3½.

Coluthus, ut *Fabricius* memorat, e Lycopoli, Thebaidos in Ægypto civitate, ortus, clarus sub Imperatore *Anastasio*, qui A. C. 518 obiit, præter *Καλυδωνικῶν* Libros VI, *Ἐγκώμια* versibus herois, & *Περσικὰ*, quæ omnia, commemorata quidem a *Suida*, injuria temporis perierunt, scripsit *Ἑλένης ἀρπαγὴν*, Poema heroum, versibus 384 compositum, ac repertum in Calabria a *Bessarione*, patre purpurato. Hoc ipsum Poema est, quod, post varias variorum editiones, & post Anglicam Germanicamque versionem, Gallico nunc habitu indutum, ac simul in pedestrem orationem conversum, apparet. In eo, docente id Præfatione, conveniunt præcipui literati, quod satis hoc in Carmine reperitur eruditionis, quod stilus ejus sit bene comparatus, quodque nec florido destitutum sit genere dicendi. At sunt etiam, qui huic Carmini parum pretii statuerunt. *Bailletus* versificatorem habet *Coluthum*, ac *Suidæ* sese testimonio munit, licet hujus verba sententiam contineant longe aliam. *Rapinus* deinde & rem carpit, & stilum frigidum languidumque appellat. Verum enim vero reprehendit, jure quodam suo, nasum ac severitatem horum Criticorum Interpres noster. Tantum igitur abest, ut hac ratione deterritus fuerit ab instituto, ut magni nominis virorum, qui de *Colutho* bene meruerunt, exemplum sequatur. Inter editiones eam præcipue commendavit, quæ a *Mich. Neandro* in Opere ipsius aureo, ac Tomo quidem secundo, exhibitæ sunt. Præterea commemorat, *Lascherum* editionem ceteris omnibus exactiorem atque ampliore præparasse, eandemque Scholiis Græcis, lectionibus variantibus, observationibus philologicis, Glossario Græco, illustrare voluisse. Scriptum est Poema dialecto Ionica, in Asia atque in insulis usitata. Sed nos potius ad limatissimas Notas properamus. Spectant illæ partim historiam, partim antiquitates,

partim mythologiam. Non abs re fuerit, p̄r lancem quasi facturam quasdam proposuisse. Ad historiam p̄rinent e. g. pag. 43 observatio, cui ansam dedit *Cælius Rhodiginus Lect. antiq. Lib. X Cap. 59*, iudicium *Paridis* ita nonnunquam explicari, ut princeps ille juventutis, post insignes in literarum studiis factas progressionem, orationem habuerit, canticumque consignavit in honorem *Veneris*, ubi quidem isti *Dæ* p̄rogativam concesserit p̄r *Junone* atque *Minerva*; item quæ pag. 46 ex *Herodoti Lib. VII Cap. 109* observantur; & pag. 50, ubi, *Terapneam*, *Laconicæ* urbem, etiam *Teramneam* dictam fuisse, ibidemque *Hele-nam* & *Menelaum* fuisse sepultos, commemoratur; denique pag. 56 seq. ubi, nomen *Argivorum*, quo Græcos subinde designat *Homerus*, ab *Argis*, ob urbis celebritatem, deductum fuisse, docetur. At enim potest etiam ideo dictum esse, quoniam urbs illa nobilis *Achajæ* plurimorum fortissimorum hominum patria existit; quo & nomine celebratur a *Pindaro Nemeon Od. X*. Avide enim Græci fortium virorum laudem capiebant, unde & *αἰγιόχευς* ac *βελ-τιττοῦς* optimos esse, arbitrabantur. Sed in medio illud relin-quimus, haud spernendam potius animadversionem, ad an-tiquitates quæ referri poterit, quamque pag. 24 reperimus, ad-dituri. Significat illa, malum apud antiquos signum fuisse amoris; unde recens maritus cotoneum malum nuptæ dona-verit, idque lege etiam *Solonis* fuerit ordinatum. Hinc malo *Acontium* amorem indicasse erga *Cydippen Ovid. Her. XX*. Hinc & *Virgilius* in *Bucolicis*: *Malo me Galatea petit lasciva puel-la, & Aurea mala decem misi, cras altera mittam*. Sed potiore inter observationes Anonymi nostri partem constituunt mytho-logicæ. Ibi discimus e. g. pag. 14, quod *Phrygiæ* fluvius *Xanthus* solus inter fluvios sit, *Jovis* qui filius habeatur, quod-que illum *Dii* quidem *Xanthum*, homines autem *Scamandrum*, appellarint; pag. 17, quod *Harmonia* filia fuerit *Martis* ac *Vene-ris*, nupserit deinde *Cadmo*, inque leonem fuerit conversa, ut in leonem maritus; pag. 18, quod *Tytanos* fuerint filii *Cæli* & *Terræ*, ac dicti *Oceanus*, *Coeus*, *Hyperion*, *Crius*, *Japetus*, & *Sa-turnus*; pag. 23, quod *Hesperides* fuerint filia *Hesperis* ac neptes *Atlantis*, *Mauritaniæ* Regis, quodque nonnulli p̄r se ferant, dra-conem, aurea mala illarum custodientem, fuisse pastorem, qui oves ipsarum paverit, quæ aureæ dicantur, quod in iis ipsis maximæ

maximæ tunc divitiæ constiterint, dum *μύλον* & *πόμυρον* indicet & *gregem*; fuisse autem Hesperides *Æglam*, *Arethufam*, & *Hesperibufam*. Atque tali se modo habent plurimæ, quas contextui subiectas invenimus, animadversiones, ut adeo ex ungue leonem cognovisse sufficiat.

**INDEX SCRIPTORUM EDITORUM ET
edendorum a JULIO CAROLO SCHLÆGERO, Phi-
logiæ Græcæ & orientalis in Academia Julia
Professore Ordinario.**

Helmstädtii, ex officina Drimborniana, 1742, 4.

Plag. 1 $\frac{1}{2}$.

In tres Index iste partes dividitur, quarum prima jam edita complectitur, altera elaborata & propediem edenda, tertia vero affecta, & horis succisvis perficienda. Libri, a Celeberrimo illo Viro jam editi, notiores sunt, quam ut enarratione nostra indigeant; nondum profus elaborati votum præsertim exigere videntur, ut vires supremum Numen largiatur ad perfectionem necessarias, atque adeo periculum ab orbe literato avertat, quod sæpius jam expertus est, casibus literatorum ingemiscens, ac spei, citius conceptæ, vanitatem deplorans. Sed media Indicis pars nostram nominatim animadversionem meretur; quod isti sunt libri, quorum de publicatione multo sumus, non sine causa, securiores. Pertinent autem eo 1) *Dissertatio de Vestibus veterum pella-vidis*, ad illustrandum *Es. III. 23*; 2) *Historia litis de Medicorum, apud veteres Romanos degentium, conditione*, iterum, sed emendatior & longe locupletior, edenda; 3) *Dissertationum variorum de Antiquitatibus sacris & profanis Fasciculus secundus*. Præter Indices necessarios accedet, loco Præfationis, Schediasma de jure cælibatus apud Lacedæmonios. Hic *Fasciculus*, quem complures sequentur, sistit a) *Jo. Phil. Casselii Dissert. de templo Oniæ Heliopolitano*, cum aliquot Celeberrimi Autoris accessionibus recudendam; b) *Gustav. Peringerum de Zabiis*; c) *Jo. Henr. Maji, Filii, Diss. de Zabiis*; d) *Jerem. Loffum de Epispasmo Judaico*; e) *Andr Rivinum de Petalifmo Syracusanorum*; f) *Jo Reiskii Programmata, quo nimbium divinum ex veteribus commentatur*; & g) *Joach Kubnium de Lotionibus & balneis Græcorum*. 4) *Antiquitatum gentis Hebrææ sacrarum civilium, & domesticarum, brevis delineatio*, in usum auditorum. 5) *Chrestomathia Chaldaico-Rabbinico-Talmudica*, in usum Collegii Rabbiuici. Libelli, quos hæc *Chrestomathia* complectitur.

plectitur, sunt a) *Brevis, sed perspicua, Introductio in lectionem scriptorum Rabbincorum & Talmudicorum*; b) *Jonathani Ujelidis Paraphrasis in vaticinia Jona*; c) *R. Salomonis Ben Melech, R. Salomonis Jarchi, & R. Davidis Kimchi, in eundem Prophetam Commentarii*; d) *R. Isiac Abarbanelis Dissertatio de pœna excidii, excerpta ex ejus Commentario ad Num. XV, 30*; e) *R. Mosi Maimonidis Tract. de Regibus & bellis*; f) *Tractatus Mischnicus, qui inscribitur אבות פירקי, capitula patrum*; & g) *הלך, five Cap. 11 Codicis Gemarici de Synedrith.* 6) *Commentariolus de veterum Hebræorum, Græcorum, & Romanorum, obfetricibus, quo bene multa scriptorum, tam sacrorum, quam profanorum, loca partim illustrantur, partim explicantur.* 7) *Commentatio de satis Judæorum, Romæ degentium, sub Seculo post C. N. primi Imperatoribus, ad illustranda varia sacræ Romanæque historiæ capita.* 8) *Utilitatis, quam penitior rerum Judaicarum peritia juris præbere potest, specimen* 9) *Summa veteris Palæstinæ fertilitas a Jo. Tolandi, ejusque asseclarum, calumniis, numerum veterum auxilio, vindicata.* 10) *Dissertatio de Numismatum veterum apud veteres usu extraordinario.* 11) *Inscriptiones Judæorum Græcæ & Latina, justo Commentario illustratæ.* In fine, ob raritatem præstantiamque, accedunt: *Monumenta antiqua Judaica, Augusta Vindob. reperta & enarrata, studio Matth. Frid. Beckii.* 12) *Pan, tutelare pastorum numen, urbis Pheenæ, in Arcadia quondam percelebris, symbolum.* 13) *Bibliotheca suppellectilis antiquaria, five recensio Autorum, qui de Numis, gemmis, marmoribus, ponderibus, & mensuris antiquis, sunt commentati, cum Indice triplici, per nationes, rerum classes, & secundum ordinem chronologicum, digesto.* 14) *Maris Atticis de vocibus Atticis & Hellenicis, cum pluribus MSis Codicibus, illis inprimis, qui in Bibliotheca Christianissimi Galliarum Regis, nec non Coisliniana, Lutetiæ Parisiorum asservantur, collatus.* Adjectæ sunt integræ virorum eruditorum Notæ, tam editæ, quam ineditæ. 15) *De Diis hominibusque Servatoribus, ex numis & marmoribus vetustis, Libri duo. Liber prior, jam antea editus, Deos Principesque, qui usque ad medium Seculum post C. N. primum floruerunt, & Servatoris titulo fuerunt insigniti, majori, quam tunc factum est, numero sistit, variaque Epistolarum Paulinarum loca illustrat. Posteriori vero, qui Imperatores aliosque primariæ dignitatis viros, eodem encomio, post illud tempus, condecoratos, enumerat, complura historiæ Romanæ aliarumque gentium momenta explicantur.* 16) *Convenientia sermonis Hebraici & Attici.* 17) *Hebræarum & Atticarum legum collatio.* 18) *Ritus sacri & domesticæ, quos Athenienses cum Judæis communes habuerunt.* 19) *Schediasma de Mohammedanorum circumcissione.* 20) *Historia critica jurisjurandi Judaici, in Christianorum foro dati.* Vel nudi harum Commentationum tituli licet excitant eruditorum insignem, atque efficiunt, ut non modo editas illas, sed & quamprimum edendas, omnibus votis desideremus.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno MDCCXLIII.

Pars I.

CHRONOLOGIA UNIVERSALISSIMA, PRÆTER
doctrinæ temporum epidiſtice ac practicæ traditionem,
omnium & singulorum annorum seriem a principio re-
rum ac temporum usque ad ingressum eternitatis me-
thodice complectens, atque celebriorum quarumlibet Æra-
rum computos annorum expansos distincte exhibens, nec
non aphoristicam omnium historiarum, rerumque per
singulos annos gestarum, eventorumque memorabilium,
synopsin succincte comprehendens, subjuncto denique Tra-
ctatu de Paschate & Computo Ecclesiastico, cum Com-
puto novo ac Tabulis Paschalibus, concinnata, ac luci pu-
blicæ data, ab A. R. P. ANGELO FLOERCHEN, Ord.
S. Bened. in Celeberr. Abbatia S. Michaelis Arch.

Hildeneshem. professo.

Hildesii, typis Christoph. Jo. Hieronymi Hartz, 1742, fol.

Alph. 5.

Magnam hoc Opus Pl. Rev. Autor summo Romanæ civita-
tis ecclesiasticæ Pontifici, *Benedicto XIV*, inscripsit, ac in
formula Dedicacionis candelabrum Apocalypticum de
throno Apostolico, id est, Romano, exposuit. Ostendit ini-
bi, computationem temporum *Lilianam*, a *Gregorio XIII* re-
ceptam & promulgatam, defectibus navisque laborare, nec id
inficiatos fuisse post *Clavium*, Jesuitam, Pontifices *Clementem VIII*

P p p

&

& *Gregorium XII*, eamque ob causam computationi Paschali medicinam & reformationem esse adhibendam. Eum in finem produxit Autor sedulus sub suam Operis *Cap. 12* tractationem, de Paschali computatione institutam, ibique *S. 10* computationem novam cyclicam tum æquinoctii verni, tum Paschatis Christiani, quæ non solum ab omnibus veterum supputationum defectibus immunis sit & exempta, sed facillima etiam & expeditissima deprehendatur, dimidio paginæ comprehensâ ex æsse, pluribusque aliis excellens prerogativis. Idem eodem fine omnia Paschata, in tabulis Paschalibus jam supputata, exhibuit. Quæ cum exposuisset Autor, monuit, Pontificem summum esse virum illum *Apoc. XIV*, quem *S. Joannes* vidit nubi candidæ insidentem, filio hominis similem. Institutum suum Autor ipse in Præfatione copiosius exposuit, præmonens, sese nec disertæ dictioni, nec conto tersoque sermoni, in concinnando hoc Opere studuisse. Lectoribus id ipsum facile suboliturum, existimamus. Fontes consuluit, nec tamen multos. *Saliani* Epitomen Annalium adhibuit usibus suis frequenter. Nonnunquam *Tornielli* Annales ecclesiasticos operæ suæ applicavit. *Dion. Peravii* Opera haud legit, excepto *Rationario temporum*, e quo tamen nil decerpit. *Eusebii* Chronicon consuluit. In Epochis indicandis securus fuit *Gabrielis Bucelini* nucleum, eumque ab æræ *Diocletianæ* initio usque ad annum 1600 ad verbum fere expressit. Olympiadum initium ad annum ante Christi natalem 775 retulit, licet *Riccioldus* alique summi viri malint annum ponere 776. Adjecit Autor Chronologiæ suæ *Caput 7* instar supplementi, quo sententiam suam corroboraret copiose. Adjecit Operi *Diatribas quatuor*, per *Capita quatuor* distinctas, nempe *Caput 9* de Fastis Consulium Romanorum, *Caput 10* de Epocharum insigniorum probationibus, & *Caput 11* de Chronologiis particularibus omnium ac singularum regnorum, cum singulis Regum eorundem a diluvio usque ad Christum natum Catalogis novis, nunquam antehac visis. Addidit ibidem præterea Catalogos Pontificum Romanorum, Imperatorum, ac Regum, qui a nato Jesu exstiterunt. *Capite* denique *12* adjunxit Commentationem, Chronographiæ astronomicæ addictam, & de *Computo ecclesiastico Paschali* inscriptam.

scriptam. Dolemus, Auctori defuisse notitiam supputandi eclipses solis ac lunæ, immo cometas majores observandi diligentiam. Nisi enim magnopere fallimur, genuinum diluvii universalis tempus non nisi ex supputationibus cometicis firmatur. Eclipsium priscarum accurata notatio, quam subinde scriptores veteres literis consignarunt, insigni est adjumento eis, qui epochas veras ac puncta temporum certissima figere contendunt. Dolemus præterea, doctrinam de æquinoctio verno ab Autore haud astronomice tractatam, nec illius rationes accuratissimas opera calculi astronomici subductas. Ipse autem dolet de infelicis heterodoxarum animarum statu, nec eis succenset. Angelos eo ipso, quo mundum Deus ex nihilo produxit, creatos fuisse, verisimile ac rationi apprime consentaneum arbitratur. *Dionysio Areopagite* supposita fuerunt Seculo IV vel V scripta, quæ ipse adhuc pro genuinis habet, ratus, *Dionysium* anno C. N. 48 interesse funeri *Mariæ* Deiparæ potuisse. Chronologiam existimat esse *temporum præteritorum accuratam dinumerationem, & per gestorum memorabilium notas distinctionem*, licet ipse computationem suam chronologicam ad annum usque C. N. 2114 perduxerit, in cujus die 23 Martii, *punctoque mediæ quasi noctis subsequenti*, diem novissimum figit. *Capite secundo* differit de temporibus ac temporum mensuris universalioribus, ætatibus, seculis, anni distinctionibus ac calendariis diversis. Horam dividit in minuta 64. Annum solare naturalem seu astronomicum determinat diebus 365, horis 5, minutis novis 52, & momento uno. Ipsius autem minutum novum complectitur momenta quatuor. Hinc calendaria diversa inter sese componit ac confert. Ex *Ricciolo* exhibet Calendarium Romanum, festis ludisque & sacrificiis vetustis insignitum. Addit schema intercalationis *Julianæ*, Calendarium antiquitatum Hebræarum, Calendarium *Nabonassaricum*, & *Alexandrinum*. *Capite tertio* exponit de mensuris temporum particularibus, sive de diebus, horis, minutis, momentis, secundis, ac de meridiano. Intervallum solis a centro telluris medium computat 1024 semidiametris terræ, ac, omnem circuitum solis 6144 ejusmodi semidiametris parem esse, arbitratur. Ex hac

Pag. 5.

419.

5.

13.

- hypothesi distinctionem minorum novam firmare contendit
- Pag. 19. hunc in modum: Si 6144 dividantur in 24 horas, competunt unicuique horæ 256 semidiametri, seu spatia semidiametralia, quæ sol in ista distantia intra suam circulationem quotibet hora percurrit, intellige motu communi diurno, non autem proprio, seu annuo. Si porro 256 dividantur per 64 minuta nova, prodeunt semidiametri 4, singulis minutis novis 4 sole percurrenda. Unde 5 minutum novum in quatuor æquales dividimus partes, quas vocamus momenta. - - Porro, sicut horam in 64 minuta nova, ita pariter a potiori circulum cæli maximum æquinoctialem non in 360 gradus communi more, sed in 384 gradus novos, distingui-mus; 5 quadrantem circuli non in 90, sed in 96, gradus, 5 quodlibet Zodiaci signum non in 30, sed in 32, gradus novos di-
 21. vidimus. Hæc enim est naturalis eorum divisio. Eadem licen-
 tia utitur, cum milliæ Germanicum vocat milum, ac Meri-
 dianum primum ad Hierosolymam reducit, orientaliorem Pro-
 23. tolemaico gradibus communibus 60, addens: Astronomis hortator
 sim, ut suas tabulas astronomicas 5 ephemerides ad Meridia-
 num potius Hierosolymitanum deinceps construant, quandoquidem,
 cum is primus in mundi constitutione fuisse jam memoratus est,
 hanc videtur habere prærogativam, ut motus cælestes siderum in
 multis melius ad hunc congruant, quam ad quemvis alium. Ad-
 dit hæc tabulam geminam, conversioni particularum tempo-
 27. ris expediendæ intervirurum, utens minutis secundisque suis
 novis in posteriori, ac communibus in priori. Succedit hæc
 tabula longitudinis ac latitudinis locorum, adjecta differentia
 29. temporis eorum Meridiani ab Hierosolymitano. Ex *Doppet-
 maieri* tabula, ac recentioribus observationibus, multa ibi loca
 addi possunt. Excipit hanc tabula denuo gemina. Prior com-
 plectitur conversionem graduum & scrupulorum novorum in
 gradus scrupulosque communes. Posterior continet conver-
 sos gradus scrupulosque communes in gradus scrupulosque no-
 vos. Tum vero ostendit modum convertendi gradus & scru-
 pulos graduum in horas & scrupulos horarios, & contra. *Ca-
 30. pite quarto* exponit de Epochis & Æris Chronologicis. No-
 tabimus paucula. Persuadet sibi Autor, cadere Jubilæum post
 captivi-

captivitatem Babylonicam undecimum in annum Christi Domini duodecimum, quando hic in templo in medio doctorum fuerit inventus. Anno certe 150 aera Seleucidarum annus celebratus fuit sabbaticus, *1 Macc. VI, 49, 53.* Annus 177 de-
 nouo fuit sabbaticus, id quod ex collatione *Josephi Ant. XIII, 14, 15,* & *2 Macc. XVI, 14,* patescit. Scopulus, qui ex *Josephi* com-
 memoracione *Lib. XIV Cap. ult.* enascitur, ab Autore evitatur, ut credat, *Josephum* obsidionem Hierosolymorum Romanam
 ratione memorati anni Sabbatici confundisse cum obsidione eorum *Pacoriana,* seu Parthica. Hebdomadas 70 *Danielis* con-
 templatur propius, easque de annis potius solaribus, quam lunaribus, accipit. Instantem Judæorum copiosorem ad Jesum
 aggregationem collocat in annum a C. N. 2107, quantum ad ejus initia attinet; anno autem 2110 in *Augusto* adventurum, ac fasces regni capessiturum, putat, Antichristum, provocans ad
Dan. IX, nec non *2 Thess. II* & *Matth. XXIV.* Instantem vero illam Judæorum pietatem comprobatum ite ex *Rom. IX, 27,*
XI, 26. Quærit deinde, quis sit sensus verborum *Danielis IX, 25, 26:* *Ab exitu sermonis, ut iterum edificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem hebdomades septem & hebdomades 62 erunt: & rursum edificabitur platea & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus.*
 En rationem, qua illum putat a sese fuisse inventum: *Non te latere velim, benevole Lector, me, cum, hac in re cuncta perscrutando, mihi nondum satisfecerem, sapius Deum instanter precibus & sacrificiis obsecrasse, ut germanum mihi hujus oraculi intellectum ad gloriam Jesu dignaretur aperire, nunc ecce evenges, inveni solutionem, ut arbitror, sacri hujus anigmatis ipsissimam; sed utinam non ex fonte turbido & profano. Inventum illud est hujusmodi. Josephus Ant. XI, 7, retulit, Joannem Pontificem, Jude filium, Eliasibi nepotem, fratrem suum Jesum, qui Bagosis, Persarum militiæ ducis, favore sese Pontificatui intrudere conatus fuerit, in templo trucidasse, ideoque gentem Judaicam a Rege Persarum per 7 annos servituti fuisse addictam. Hoc servitutis septennium si eximatur e numero LXX hebdomadam *Danielis,* tum restant septem anteriores*

Pag. 38.

39.

41.

45.

46.

- & 62 posteriores. Ingeniosa sane & commendabilis enodatio! Ii enim, qui restant, 434 anni incidunt in annum mortis Christi. Non est, quod de æra Olympiadum disseramus. Cui enim non dictus Hylas? Æram Christi communem Autor retinet, annumque nati Jesu credit esse 4031 ab orbe condito, & quartum Olympiadum 194. Christum putat in cruce suffixum obiiisse anno Æræ vulgaris 33, quarto Olympiadis 202 anno, *Phlegontis* suffragiis munito. In Æra Romæ conditæ texenda
49. sequitur *Varronem*. De *Periodorum Calippicarum* æra commentatur diligenter. Æram *Seleucidarum* triplicem accurate describit. Significat idem *pag. 62*, sese moliri historiam universalem antiquam omnium ante N. C. regnorum celebrium, Regumque, & rerum memorabilium, sub iis gestarum. Quo minus eam, quæ natali Christi est recentior, firma spe antecapiat, impedit ipsum contemplatio vitæ brevis. Apprecorur ipsi merito & vires & annos, molitioni tantæ suppetentes. Idem *Capite quinto* edidit Chronologiam practicam, quæ in libellis mathematicis tradi solet. *Christum fuisse natum in die Sabbati*,
55. statuit *pag. 82*. Ostendit, elapso annorum 6144 curriculo æquinoclia singula ad easdem horas redire, ad eadem minuta & momenta, nec tamen ad dies hebdomadæ eosdem. Redibunt vero ea ad eosdem dies post spatium annorum 43008. Tabulam annorum *Nabonassaricorum* exhibet ex *Ricciolo*. De Calendario Judaico ea habet, quæ ex libris ac elementis mathematicis nostratum suppleri queunt. Infernum dividit in limbum, gehennam, & puteum abyssi. Istum collocat in intervallo medio inter centrum & superficiem terræ; illam ponit in intervallo medio inter centrum & limbum; hunc in centro telluris & circa illud. Inferni creationem alligat primo creationis diei. Dari cælum beatorum chrySTALLINUM, & quaquaversum ignem elementarem, seu cælum empyreum, sibi persuadet, provocans ad *Apoc. XXI*. Sub cælo empyreo locat primum mobile. Ignem distribuit in terrestrem, cœlestem, & infernalem. Desinit luminare, quod primo triduo diem collustravit, illudque putat fuisse stellam Luciferum seu Venerem. Ad diem primum refert pravariationem diaboli, ejusque angelorum. Cometas
120. creatos

creatos esse septem, tradit, eosque vocari ollas *Jer. 1, 13*, sibi
 persuadet. Suspiciatur, emanationes stellarum fieri a cometis.
 Cometas, in prima rerum creatione conditos, adjungit. Plane-
 tarum dimensionem tradit methodo avtodidactica, quæ est pro-
 lixior, tabulisque illustrata. Stellarum fixarum circuitiorem de-
 finit annis 24576. Fixarum complures in fine mundi casuras
 in terram, fortassis & in solem ac lunam, credit. Semidia-
 metrum firmamenti æquat radicali cubo 8589934592 passuum
 illius semidiametri. *Capite septimo* agit de duratione mundi
 præterita, adoptans *Ctesia* fidem. Olympiadum initium esse
 Jesu natu antiquius annis 775, multis argumentis it compro-
 batum, ac *Riccioli* argumenta, anni 776 stabiliendi causa allata,
 resolvit. Canonem *Protemei*, annos 424 a *Nabonassari* regno
 ad *Alexandri Magni* exitum complectentem, addit. *Capite*
octavo exponit de duratione mundi universali, ac temporibus
 futuris. Finem mundi ponit in eo temporis articulo, quo æqui-
 noctium, ceu anni naturalis initium, rursus incidat puncto mediæ
 noctis, sicut in principio creationis, & eapropter motus solis
 ac æquinoctium ad primævum revertantur temporis locique
 terrestris æque ac cœlestis punctum. Objectiones eorum remo-
 vere contendit, qui, inquirere in articulum diei novissimi, ne-
 fas ducunt. Ductum in hisce sequitur *Cornelii a Lapide*. Ra-
 tiones vero ipsæ suas ita subilucit, ut perhibeat, tot annis du-
 raturum mundum, quot momentis constat dies naturalis solaris.
 Atqui dies habet momenta 6144. Ergo totidem annis durabit
 mundus. Ecquid vero? Momentorum hæc divisio ab arbi-
 trio pendet, ac alia ratione etiam institui potest. Addit deinde,
 stellas fixas annis 24576 periodum magnam absolvere, hujus
 vero quadrantem esse partem annis 6144. At cur præcisè qua-
 drantem ex duntaxat conficiant? Quidni periodi dimidium?
 Quidni omnem ambitum? Adhuc annis illis 6144 Auctor tri-
 duum, eo quod primum mundi triduum sine sole fuerit cla-
 psium. Addit tamen: *Hæc sunt probabiles congruentis, cum ra-
 tionabili formidine oppositi.* Cum vero monuisset Abbas *Gum-
 sberus*, hanc de duratione mundi sententiam videri vaticinio
Miluchis contrariam, ipse Auctor monuit quoque, si fides huic
 vatici-

Pag. 131.

150.

164.

167.

169.

- Pag. 172. vaticinio habenda sit, Deum omnino citius daturum esse mundo finem. Nec tamen argumenta, quibus vaticiniorum illorum fides corrui, omisit. *Caput nonum* Chronologiæ Romanæ & Fastis Consularibus intersit, Fastos Consulares, post eorum fundamenta bene jacta, exhibet, ipsos probationibus subjunctis munit. *Caput decimum* inscriptum est de gestis & eventis insignioribus, vulgo Epochis dictis, tum profanis, tum sacris.
204. Apostolos divisisse inter sese terras, singulis Evangelium nuntiaturos, docet. In historia Apostolica exhibuit nonnihil, priori examini subjiciendum. Chronologiam *Benedicti*, Patriarchæ sui, Autor Pl. Rev. subtexit. *Capite undecimo* disserit de Chronologiis singulorum regnorum particularibus. Ab Assyriorum Regibus orditur, *Ctesiam* affectatus. *Sahmanassar*, ipso judice, idem existit ac *Theglarpetassar* ob *Caput primum Tobie*. Pergit deinde ad *Ægypti Reges*, ad *Reges Sicyonis, Argivorum, Græciæque* reliquos. Tabulas deinde subjicit, exhibentes complexum omnium Regum, Pontificum, Imperatorum, Electorum, Ducum. Omisit autem *Duces Brunsvico-Luneburgico-Wolferbuttelanos pag. 276*. Tandem adjicit tabulas chronologicas, a mundi initio ad finem, ex ejus sententia determinandum, per textas, adscriptisque eis res memorabiles. Non est omittendum, tabulis illis octo simul æras exhiberi, ac æquinoctii verni diem annis singulis adscriptum esse. *Adamum* anno conditi mundi septimo Paradiso ob peccatum recens ejectum fuisse, ex *Synkello* tradit. Fabulas *Berosi* hinc inde inter memorabilia exhibuit. *Caput duodecimum* de Paschate, generatim æque ac speciatim considerato, inscribitur. Initio statim contendit, eis, qui a vera alieni olim erant religione, cognitum fuisse e lumine rationis, causam condendi ac reformandi Calendarii ad Pontificem Maximum spectare. Est in eo, ut demonstrat, *Lilianam* computationem, quam *Gregorius XIII* quadantenus approbavit, jam defecisse, atque a sese methodum computandi, *Liliana* præstantiorem, proponi, summæ Sedis judicio ac autoritate, si ita videatur dignum, comprobendam, ratamque habendam. Methodus hæc exhibet rationem & æquinoctii ad momentum computandi, & Paschatis Christiani

Christiani ad unguem ratiōneque inveniendi, nec veteris computationis erroribus minus obnoxius est, aut esse potest, si credimus Auctori. Constitutum fuit in Synodo Nicæna, ne Christiani inchoarent celebrationem Paschatis eodem die, quo Judæi. Ex quo autem Judæi, Seculo IV exeunte, perpetuum Calendarium adornarunt, Christianorum est, hoc ipsum nosse & impexisse, ni velint Nicæni Concilii auctoritatem labefactare. Auctor Judæos artem docet, inveniendi reclusus suam Pascha. At quid, si illi ab instituto suo nolunt recedere? Nec tamen animadvertimus, Auctorem rationem habuisse Calendarii Judæorum perpetui. Adde, quod Christiani, in remotissimas telluris partes delati, eodem sæpius die, quo Judæi, Pascha celebrant, licet instituto *Gregoriano*, vel illo, quod Auctor tradidit, utantur. Tutissimum ac certissimum Paschatis figendi adminiculum constituitur, si illud ratione immobili in certo anni die determinatur ac collocatur. An vero Pascha unquam futurum sit festum immobile, nostrum non est augurari. In veteri computatione nec æquinoctii verni punctum, nec novilunio, pleneque hæc tempora, navis fuerunt immunia. At nec in Pag. 422.
Gregoriano Calendario evitari potest pronitas in veterem errorem relabendi. Addit Auctor, satisque ostendit, in constitutione Synodi Nicæne Paschali deprehendi contradictionem. Patres enim Nicæni statuerunt, ut Pascha celebretur in mense anni lunaris primo, simulque diem Martii 21 pro fixo & individuo æquinoctii verni limite reputarunt. Hac enim ratione fieri haud potest, quin Pascha sæpius in mense secundo minus legitime celebretur. Inde colligit, cessare respectu æquinoctii verni determinandi legem Synodi Nicæne. Poterat id etiam exinde invenire ratiocinando, decreta Conciliorum non semper esse *ἄπληκτα*, nec ubique ab errore immunia persistere. Ipse hoc ipsum largitur, contendens, patres Nicænos Astronomos ævi sui in errore facti secutos esse. Deinde perceret defectus computationis *Julianæ*, seu *Gregorianæ* correctionis, hosce. Primo enim Pascha serius toto mense accideret annis 1981, 2000, 2010, 2038, aliisque. Tum vero ex Epactarum defectu Paschata serius 7 diebus indicantur annis Christi

1744, 1747, 1778, 1798, 1876, 1896, &c. Tandem præterea *Litiana* computatio subinde Lunam XIV die una citius iusto monstrat, ac Pascha Christianum in die primo Paschali Judæorum figit, e. g. anno 2106, 2119, 2132, &c. Quid vero statuit Autor de Calendario reformato Protestantium Germaniæ? Hi enim decreverunt, ut Pascha celebretur Dominica plenilunium verum, ex tabulis astronomicis *Kepleri* congruenter Meridiano Uraniburgico colligendum, proxime sequenti. Desiderat in hoc decreto varia. Displicet ei potestas Principum Protestantium, in rationes temporis determinandas excubans. Hanc enim non nisi Pontifici suo cupit stare intactam. Meridianum Uraniburgicum odit, eo quod arx Uraniburgi fuit destructa, ac inter rudera ibi *Picartus* cadavera invenit. Addit, nec Synagogam Judaicam, nec Ecclesiam Christi, olim utam tabulis fuisse astronomicis. At nonne Patres Nicæni sententiam Astronomorum ævi sui sequebantur? Nonne astronomi homines docuerunt primi longitudinem anni? Instat idem, monens, ex tabulis astronomicis haud dilici artem inveniendi diem plenilunii & Paschatis, sed locum lunæ in cælo. At nonne ex loco lunæ in cælo invenitur punctum temporis, quo plenilunium, æquinoctium vernalis proxime sequens, contingit? Pergit, dicitans, tabulas illas inveniendi Paschati minus esse idoneas. At Pascha nostri in tabulis illis haud quæruni, sed ad illud inveniendum redduntur idonei, exquisito plenilunio paschali. Instat, perhibendo, ipsum plenilunii diem, si sit Dominica, esse Paschalem diem congruenter decreto Nicæno & consuetudini ecclesiasticæ antiquæ. Petitionem principii hæc spirare omnino videntur. Indignatur, quod Protestantes comperendant Pascha, quoties alioquin Paschalis dies primus incidit in diem primum Paschatis Judaici. At decretum Synodi Nicæni id exigit. Gravius est, quod addit, objectionis momentum: *Protestantium constitutio non est satis pro omni casu universalis. Quid enim agunt Protestantes, si tam Æquinoctium, quam Plenilunium, proxime sequens, incidat ante 21 Martii, ut fiet annis 1981, 2000, 2019, 2038, &c. Si calculum astronomicum secuti, illud plenilunium statuunt Paschate, agens contra consuetudinem*

nem Nicenam; si non, tunc agent Pascha mense secundo lunari. Idque denuo contra Nicenum. Retorquent hoc telum Protestantes, eandemque quaestionem Pontificiis proponunt. Hinc ad suam anni lunaris & Paschatis computationem novam catholicam, seu universalem, exponendam sese accingit Autor. In ea autem sibi concedi postulat duo momenta. Primo contendit, ipso plenilunii Paschalis die, si is sit dominicus, legitime Pascha celebrari, rationibusque, ut hoc obtineat, pugnat. Secundo distinguit inter Pascha Judæorum legitime celebratum, & ex errore vel superstitione constitutum. Ad hoc respiciens Pag. 425. dum esse negat, siquidem hac ratione non nos Pascha cum Judæis, sed Judæos nobiscum, celebrent. An utrumque momentum ipsi ex decreto Synodi Nicenæ concedi possit, aliis permittimus judicandum. Ni vero hæc concedantur Autori, computatio ejus nova corrumpitur. Meridianam ipsè suam Hierosolymis adstringit. Terminum æquinoctii vernalis, in 21 Martii olim collocatum, tollit. Docet supputandi æquinoctii artem, ab astronomica haud admodum abhorrentem. 457. Computationis hujus ratio indicat plenilunium medium, quod æquinoctio verno proxime occurrit, ac tempus, ab æquinoctio ob lunationum progressus non raro ad secundi mensis plenilunium usque excrefcens, docet amputare. Credit ipsè, in computatione sua locum haud esse errori, quandoquidem modo inconcinno diem plenilunii haud determinet, sed ipsam plenilunii medii momentum doceat supputando exquirere. Ne quis vero objiciat, intra systema ejus plenilunium in ipsam æquinoctii diem ante meridiem post æquinoctii momentum, rarissime licet, incidere posse; ipsè respondet, sese ei casui in regula satis prospexisse, ac, eo usa veniente, mensem unum extraordinarie intercalasse. Addit tandem, novilunia & plenilunia sua media proxime ad calculum astronomicum accedere. Ipsè tabulas exhibuit, plenilunia media vernalia suppeditantes, ab anno conditi mundi 2543 ad annum Christi nati 1700, & postea ad annum usque 6145, deductas, in quibus ad singulos annos occurrunt neomeniæ Judaicæ, seu initia mensis Nisan, plenilunia civilia Judæorum Paschalia, cyclus solis, literæ dominicales, ac

Pascha Christianum. Adjicit regulas, inveniendō æquinoctio verno & plenilunio paschali exquirendo, lunæ XV dispiciendæ, & calendario suo novo ordinando, aptas & accommodatas. Inusitatam sane & stupendam Cl. Autor Operi huic impendit operam, eoque nomine admiratione omnium est dignissimus. Ipsum huic negotio, suoque argumento, fuisse imparem, ne invidia quidem evincet. Restat itaque, ut eventum destinationis, quam sibi proposuit, expectemus, ipsumque pancratice valere jubeamus.

JACOBI WILDE, SUÆC. HISTORIOGR. PRÆparatio hodegetica ad Introductionem Puffendorffii in Suetici status historiam, ex regni tabulariis accurandam & continuandam. Per Epochas revolutionum generalium atque successuum omnes ad hunc usque diem, & migrationum temporis ad hunc usque ad æram communem constituti A. A. C. N. CXVI imperii Magnæ Germaniæ. Ex versione ANDRÆÆ WILDE, ex JACOBO geniti. Accesserunt Acta publica de novissimo successuum jure, & Autoris Notæ criticae & politicae, cum Appendice de Præjudiciis circa Regalia.


Holmiæ, 1741, 4.

Alph. 3 plag. 13, cum Tab. Chronol. 2.

Mandatu superiorum, & ex officio, Autor Cel. *Puffendorffianam* in res Suecicas Introductionem iterum accuravit. E. re itaque ipsi visum, certas determinare statuas mercuriales, ad quas respici possit in tractatione per vastissimas Seculorum 23 ætates. Originem imprimis historiæ probabilem investigare conatus, profligavit Sphingas, sub introitum obstantes. *Puffendorffius* in Historia Sueciæ vix rationem ullius æræ habuit. Subsidia Nostro meliora ex tabulario regio fuerunt ad manus, quibus adjutus, solidum Chronologiæ fundamentum, in antiquitatis radicibus defixum, exquisivit. Fidem hujus rei jam dederat in *Historiæ Pragmaticæ Cap. 2 §. 39*, ac primo Supplemento Introductionis Sueticæ, ante triennium evulgato. Opera filii in inter-

interpretando ac edendo hoc Opere usus fuit, laborans quippe luminibus suffusione oculorum interceptis. Ipse Chronologiam antiquam exoticam cum domestica comparavit, singulasque æras usque ad Christum natum collegit. Nec tamen novos Tzinensium, vel Ægyptiorum, qui ærates admodum diduxerunt, ac secula multiplicarunt, correxit, Æras domesticas ad periodum Julianam revocavit, quæ æram Christi nati superat annis 7980. Oritur ab Æra elementorum ex *Edda*. Subtexit ei æras haud unas, nominatim materiæ indigestæ, *Audumbia & Buris*, *Bergthoris & Belfæ*, antiquorum Scytharum & Alarum 1, filiorum *Boris* 710, *Bergheimeri* 2335, *Thorgeithi*, *Kolaxais*, & primorum septentrionalium Thuslorum in Imeslandia, Umalandia, seu Lapponia, 3201, *Bragi* annosi & *Sif Hilde* 3530, collium aliarumque sepulcrarum epochæ in Scythia Magna 3938, 3961, 3967, incolarum *Kimi* in Norlandia 4074, 4178, *Jotunorum* in Quenlandia 4184, 4201, *Fornioteri* 4314, *Karis* in Quenlandia, & fratrum ejus *Logis* in Suecia ad lacum Melerum, *Hleris* in Hlestoæ, atque in septentrione nostro æræ gigantum 4376, 4390, 4402, *Thoris* in Finlandia 4464, *Goris* & Sueciæ status 4481, migrationis *Odiniane* ex Asia 4587, status Gardaricensis sub *Sigurlamo* Anglo-Saxonici in Germania magna 4593, temporis mythici & cremationis funetum in Suecia 4594, *Heidis*, filie *Gylfii*, 4596, Tribunalis & delubri *Sigtun* 4599, partitionis *Munheimi* post *Odinum* 4620, Regis Sueciæ *Niordi* 4676, Regis Upsalensis *Ingonis Freyeri I* anno periodi Julianæ 4684, templi Upsalensis 4685, patrimonii Upsalensis & juris gentilitii Inglingici 4690, Pacis Frodiæ 4706, 4711, Æra mortis Regis Upsalensis, *Ingonis II*, & Sueciæ collium sepulchralium 4714. Hæc æras Cel. Vir in rebus Sueticis eruit, natalicio Jesu antiquiores. Posteros *Odini*, quos in Suecia, Norrighia, Dania, Italia, Anglia, & Germania, floruisse olim tradidit, una Tabula complexus fuit. Gothorum enim, qui Italiam occuparunt, majores ab *Odino*, seu *Voden*, deduxit, Regesque Northumbriæ derivavit ab *Ida*, ad *Odinum* referendo. En *Odini* posteros:

Odin, seu Voden.



Tractatio omnis *duabus Partibus* distincta fuit ab Autore. *Parte priori* exponitur isagoge in epochas Historiæ Suevicæ. Contendit Autor, traditiones temporis obscuri esse in historia illa oppido commemorabiles, præsertim de origine regni, de creatione, de diluvio, ac de ipso Creatore, de primis ad septentrionalem plagam populis. Sunt, qui putant, mythos vetustissimi orbis esse explodendos, nec eis micam veritatis inesse. Notiter contra tradit, fabulam, seu mythum, esse famam pervulgatam de traditione incerti auctoris, quæ pro certa fuerit accepta, rarus, historiam temporis mythici, ejusque fidem, nisi convictione interna, traditionibus confirmata, nec non politico statui accommodatam fuisse, & auctoritati verum superstructam. Mythicam theologiam fuisse arcanum status politici, addit. Eos æque esse ridiculos, qui mythos simpliciter approbant, ac eos, qui eos ad unum omnes spernunt, arbitracur. Primi mortales cogitata mentis consignarunt interventu symbolorum, antequam invenirentur alphabeta. Inde stilus exortus fuit symbolicus. Nec expediebat scriptoribus postea scribere simpliciter & luculente. Regnorum enim stabilitas multis stetit omnium in omnes bellis. Theogonias primi accinuerunt sacrificiis, recensentes progenitores suos inde ab *Adamo* procreatos, ne omnem generis perderent historiam. Ex quo Philosophi planius cogitare & scribere didicerunt, mythis defuerunt sentim interpretes. Unde evenit, ut interpretationes eorum pervetustæ & seculo mythico superstiterent nullæ. Autor, historiam Suevicæ mythicam ad medium usque Seculi XII decurrere, docet. Vicissitudines domitus in Suecia existerunt septem, præter Finnicas, illis antiquiores. Argumentum antiquitatis Suecorum insigne Autor deducit ex *Ymeri* mythologia, siquidem ejus posterius *Thuffi* atque *Gotuni* ab exteris, præsertim *Herodoto*, fuerint agniti, primique in Sueciam venerint. Septem Epochas constituit hunc in modum. Primam collocat in forma dominatus, patrumfamilias proprii; secundam appellat mythologicam, ab *Odino* ad annum usque Christi 120 decurrentem, sub qua legislatoria Regum potestas fuerit invecata haud secus ac distinctio patrumfamilias in Regulos, Jarlos, Herteros, & viros

viros sui juris. Tertia epocha mutationibus formæ reipublicæ fuit fecunda. Nam, oppressis A. 650 regulis, potestas comitalis & arbitrium legislatorum invaluit, salva Regis excellentia ac potestate qualicumque Jarlorum sui que juris hominum territoriali, præcipue Regum, promontoria ac maria accoleantium. Intra quartam epocham hierarchia pontificia sensim invaluit, paulatim A. 1319 proveda, Clerici invasèrunt rerum summam, majestasque Regis & libertas populi fuit enervata. Quinta Epocha complectitur imminutionem hierarchicæ potestatis, cui quippe A. 1527 decreta Arosiensia opposita fuerunt, potestas Regis fuit limitata per senatoriam & comitalem, nec tamen certis terminis circumscripta. Sexta Epocha mutationes formæ reipublicæ novas exhibet. Nam dubii potestatis regie limites A. 1630 in comitiis fuerunt decisi, ac ipsa quidem evasit plena limitibusque superior, legibus tamen fuit adstricta, ac formula regiminis confirmata est actis publicis ac modulo peculiari. Tandem vero A. 1719 majestas & potestas Regis, Ordinumque libertas, & Senatus autoritas, novam peperit regiminis formam, nitentem unione Regis regni que semper individuâ. Hæc cum edisseruit Autor, contendit, electionem, in Suecia alias liberam, semper juri stirpis regie legibus certis adstrictam fuisse, ratus, duodecim notandas esse mutationes; in ipso domestico primoque regni statu peculiare quoddam domus regnatricis jus, successione hæreditaria fecundum, ortum fuisse, ac rationem meritorum ab initio habitam; jus regie stirpis in *Odino & Ingevonibus* mutatum esse, constituto Upsâliensi dominio seu peculio; tertiam juris gentilitii epocham contigisse sub *Suavidis & Lodbrochidis* Regibus; quartam juris gentilitii epocham existisse sub stemmate *Stenbilliano*; quintam pertinere ad stirpem *Suercheri & Erica*; sextam ad Reges *Birgeridas*, seu *Folchungicos*; septimam conjunctam fuisse cum electione iterata sub Regibus extraneis; octavam incidere in hæreditariam *Gustaviani* stemmatis formam; nonam complecti jus successionis, ad sexum fœmineum A. 1590 & 1604 prorogata; decimam pertinere ad jus gentilitium, *Carolo Gustavo* ab Ordinibus addictum; undecimam renovationi unionis Norco-pientis

piensis esse propriam; duodecimam continere renovatum jus succedendi hæreditarium A. 1650 & 1720. Ipse negat, jus successionis hæreditariæ, limitibus vacuum, in Suecia unquam valuisse, ratus, actis omnibus jus probari mixtum. Francofurtanum prodromum *Puffendoriana* ad historiam Sueciæ Introductionis sæpius suspectat ac refellit. Et hæc quidem ad *Partem priorem* dicta sunt. *Parte posteriori* ad æras enarrandas sese accingit, negans, in monumentis Suecicis nequicquam æras quæri. Vocem *ære* a Gothis ad Hispanos pervenisse, arbitratur, siquidem Gothi fundamentum & principium ævi vocaverint *Ar, Aer, Er*. In mythologia ipsorum hæc leguntur: *Ar var alda bab er ecke var*, id est, *primordium ævi erat, cum nihil existeret*. Scaldi duas creationis æras constituerunt, unam materiæ indigestæ, alteram mundi, seu cœli ac terræ. Sinenſium ac Ægyptiorum æras numerosissimas haud censet Autor confictas, ratus, ipsas astronomia & cursu siderum, nec non mythologia, niti. Scaldi olim indigestam primæ materiæ massam adumbrarunt per allegoriam prægrandis ac informis gigantis, *massamque* vocarunt *Ymir*. Idem retulerunt, filios boreæ occidisse illum gigantem, ac mundum ex corpore ejus, atque primum virum *Ask* feminamque primam *Embla* ex ligno, creasse. Fertur *Bergbielmerus* cum uxore sua se e diluvio in cymba sua subduxisse, novumque genus hominum & novam æram deduxisse. Genus sepulturæ antiquissimum Autor tradit fuisse simplicissimum, ejusque vestigia putat in sepulcris gigantum, *Kumbi*, reperiri. Secundum fuit genus, cum omnia cadavera fuerunt cremata, & cineres sepulti, ob *Odini* legem. Tertium, cum vel integra, vel combusta, inferrentur, pro conditione & dignatione cujusque constructis collibus sepulcralibus. Quî mos cœpit in Regis *Ingii Freyeri* junioris sepultura, qui fuit *Odini* pronepos. Ex ritu hoc triplici deduxit *Asbiornus* æras haud unas. Ipse enim, ne introduceretur Christiana religio, in Comitibus Frostoensibus ita disseruit: *Modo insolito in servitutem redigimur, & ad deferendam doctrinam, quam majores nostri secuti sunt tam ante, quam sub æra cremationis, & postremo sub æra tumulorum*. Posthæc Autor exponit de æris, que


Pag. 90.

93.

95.

114.

- solent a Chronologis tractari. Æram collium sepulchralium cum æra N. C. vulgari componit. Reges Sueciæ omnes in decem diversas stirpes distribuit, in quibus inveniuntur 1) 7 progenitores, qui ipsi Sueciæ haud imperarint; 2) supremi arbitri 13 ante titulum Regis usû receptum; 3) 30 Reges simul dominati; 4) 50 Monarchæ; 5) 5 Reges, per dissensionem intestinam aliis oppositi; 6) 4 principes regni, vel gubernatores, qui sine titulo & diademate regium imperium obtinuerunt; atque 7) duo *Erici*, simul electi, nec tamen dominati, ultimi ex stirpe *Lothbrochica*. Recenset 111 hoïce dominos deinde ex ordine, ac ab anno 400 ante C. N. atque a Rege *Forniatr*
124. telum orditur, usque ad *Fridericum* Regem pertexam. Omisit in hoc recensû quadraginta ad minimum Reges, & ultra, qui in *Journals Magni* Historia & in aliis libris, secundum eam adornatis, inter Reges Sueciæ referuntur, quoniam de iis nullæ reperiantur traditiones. Inter eos sex sunt, qui *Carolorum* nomine veniunt, & a quibus numerari solent omnes reliqui *Caroli*. Numerum tritam haud mutavit Autor, licet fides historica sex tantum *Carolis* faveat, quorum primus exstitit Rex *Carolus Suercheri*, ac secundus ipse *Carolus Kanuti Bondii* filius. Ad Geographiam Sueciæ commonstrandam posthæc processit Autor. *Imaus* mons videtur ipsi dictus quasi *Yma Haus*, id est, *Caput Ymiri*. *Ymirum* confectum cum *Adamo* Rabbitorum, æque gigante procero latissimoque. Uterque videtur esse symbolum dominatus primorum hominum, late longeque parentis. *Ararath* ipsi est *Scythia*. Filios Dei, seu *Ajsar*, designare putat in mythis *Scythicis* homines primos sanctiores. Traduntur hi
130. orti a *Bore As*, id est, Deo *Bore*, & ab ejus tribus filiis, *Odino*, *Vile*, *Vei*. Per quos Autor existimat significari *Noachum*, ejusque filios tres. Gigantes vero, quibus nomen est *Tettarum* & *Toufforum*, alio gavisi sunt progenitore, atque ab *Ajsis* illis dissenserunt. *Boream* haud ignorarunt Græci, ipsi hostia cæsa, atque posita, operati. Emendat & illustrat Cel. Autor *Rudbeckii* opiniones, in *Atlantica* propositas ac divulgatas. Per *Swichnod* intelligit terram *Scythicam* veteris magnæque. Inter domesticas *Scythicæ* magnæ descriptiones antiquas excellere ipsi videtur
134. 137.

videtur ea, quæ reperitur sub initio Sturlesonii *Heimskingla*, id est, *oreis habitati*. Tanain olim a Romanis *Danubium* fuisse dictum, arbitratur. Germanorum initia Scythis, non Celtis, deberi, statuit. Celtas habet pro convenis ex Phrygia, Græcia, & Scythia. *Tanaquist* ipsi est *Tanais principium*. *Cotkiath* ipsi est *Jutlandia*, *Mainheim* vero *Germania magna*. Opinione *Bayeri*, qui in *Memor. Scyth. Tom. III Comment. Petro-* Pag. 141.
pol. pag. 330 Sturtonide autoritatem repudiavit, ipse repudiat vicillim. *Herodoti* origines Scytharum sub examen vocat. Nomen *Tborgauth* exponit ex *thor*, sicco, seu *thora*, audace, & *Gaut*, cognomine *Odiui*. *Scolos* interpretatur per *venatoriam terram*, *Sacas* per *vulnerantes*, *Scythas* per *jaculatores*, *Sarmatas* per *viros vulnerantes*, *Taraman*, &c. Chronologiam & antiquitatem, quam Scythis tribuit *Herodotus*, sufragiis pronuntiat indignam, siquidem *Pomponius Mela* & *Tragi* Epitomator, 158.
Scythas fuisse antiquissimas gentes, tradiderint. *Hyperboreos* vindicat contra eos, qui de iis dubitant. In *Rudbeckii* Geographia accuratorem desiderat chronologicam. *Homericum* ac 162.
Hesiodum eodem vixisse Seculo, ex Marmoribus Arundelianis & *Herodoto II, 53*, ostendit. *Hædonum* traditam de Hyperboreis narrationem defendit, fabulamque de *Aristea* extirpat. *Herodoti* examinat Scythicæ. De Laponibus & rhenonibus (*rhenar*) disserit. *Capripedes* *Herodoti* pro Laponibus habet. 185.
Exponit distinctionem inter *Sib-Finnar*, Finnos maritimos, *Reid-Finnar* mediterraneos, & *Skrid* seu *Skid Finnar*, id est, *selvis lignis, oblongis, & antrosum curvis, currentes*, seu *venatores*. Postremi dudum *Thellfinnar* dicuntur, id est, *Finni montani*. 185.
Herodoti fabulas de gryphibus explicat idem, ratus, intelligi per eos *Gripur*, id est, *gazam*, olim ad Septentriones effusam, de qua vicini certaverint. Originationem *Armasparum* 189.
Herodoteam rejicit, ratus, *Arimos* designari *colonas*, *Arimasbu*. Rusli terram by *Arima*, Inai vicinos, vocant *Blarma*, *Permitan*. Etruscæ linguam putat esse originis Scythicæ. *Arimi* vocantur ex  *Aramæis*. Riphæos judicat dictos ex *Rif*, *costa*. Addimus, voces nostras *fædum* & *allodiam* esse 197.
fæ-od & *all-od*, id est, *terram*, seu *prædium*, cujus *pecus* ad possessorem,

- sefforem facit alendum, ac *terram ex universo suam*. Ar-
 gippaxos *Herodoti* perlustrat. Getas & Tuffos fuisse gentes co-
 pag. 207. gnatas, putat. Getas a Jotunis & Gothis distinguit, Getasque
 credit vetustiores. Contendit denuo, *Posidonio*, *Diodoro Si-*
 culo, *Strabone*, *Plutarcho*, & *Sberingbano*, Anglo, suffragatori-
 211. bus, Cimmericos atque Cimbro communi cognatione & origi-
 ne gavisos, licet *B. Th. Sigefridus Bayerus* secus senserit. *Kimi*
 sunt *mapalia* & *tuguria fumosa*. *Cacidaros Plinii* dictos existi-
 mat ex Scythicis vocibus *ga skidari*, id est, *ire soleis ligneis*.
 215. Kimensem terram esse *Herodoti regiones plumarum*, confunden-
 tis mare glaciale cum Bosphoro Cimmerico. *Cimmeria tenebra*
 profecto ad Chersonesum Cimmericam haud quadrant. Quo-
 modo diversæ ævi sequioris opiniones de *Odino* primo, & tri-
 bus vel quinque aliis *Odinis*, accipiendæ sint, nititur determina-
 re. Edisserit rationes eorum, quæ *Herodotus IV, 105*, de Neu-
 227. ris ac Budinis tradidit. Originationem Thuscorum & Thusso-
 rum ex Scythico *thuff*, quod *tacitum* notavit, deducit. Ger-
 mani, silentium alicui imperantes, adhuc utuntur voce *thus, tis*.
 Superest inde Latinum *tacere*, ac Germanorum *zusen*, tacite ex
 insidiis prouere. *Sisyras Herodoti* de lutrarum & aliarum be-
 stiarum pellibus exponit. *Issedonas* fuisse inter primos maris
 Balthici incolas, arbitratur, quippe dictos ex *Eist*, oriente, &
thon, vel *thun*, id est, mari. Notat *Rudbeckium*, qui eos Esto-
 231. niæ inclusit. *Feningia* nomine Vistulam venisse ævo *Plinii*,
 animadvertit. Ad oram maritimam orientalem maris Balthici,
 docet, incoluisse Issedones & Jotunos, ac eos, qui in Esto-
 niæ adhuc sint noti, Wirros, Hirros, seu Harrios, quorum en-
 put olim Revalia. Glesariæ seu Electrides insulæ, ad Borussiam
 sitæ, ab incolis ætate *Plinii* vocatæ fuerunt *Austurwag*, seu *Au-*
stervia. Credit *Noster*, per hanc vocem designari *viam pivata-*
 238. *rum in mari Balthico*. *Massugetarum* nomen videtur ex voca-
 bulo Eltonico *maes*, id est, viro, deducere. *Quenlandicum*,
 Finniæ partem, putat dictam ex *Quen*, scæminis, quasi *terram*
 242. *faminurum*. Existisse Amazonas, haud negat, conjiciens, ipsas
 fuisse appellatas a *Maussing*, quasi *sorores*, qua compellatione
 servæ puellæ in Livonia & Curonia Lettice sese ad pugnam ite-
 randam

randam impellant. Cum *Odino*, Turcarum Rege, ex Asia in Pag. 257.
 Septentrionales terras venisse dicuntur *Asiemen* & *Turcar*. *Asios*
 Autor per *Deos* exponit. *Asalandiam* ponit in Phrygia, Tur-
 cas interpretatur per *Teucros*. De Asia gente affert varia, ea-
 que haud tralatitia, ratus, *Asios* Lydorum a mari Hyrcano ve- 263.
 nisse, ac primam horum stirpem descendisse ab *Atta*siis, sic dictis
 ab *Atta*, *Athino*, *Athye*, seu *Odin As*, id est, patre *Deorum*.
 Nomen *Cotys* ipsi est *Scythicum*. *Asios* Lydorum & *Hetrusco-*
rum ex *Asalandia* *Scythica* ante bellum *Trojanum* ortos fuisse,
 sibi persuadet. *Asios* post multas & diurnas expeditiones ad
Mæoridem confedisse tandem, addit. *Edda* & *Sturlei* tradi-
 tiones de *Odino*, ejusque imperio *Asaheimensi*, ab exteris con-
 firmatas, perlustrat. Dogma de trinitate *Scythis* conjectat fuisse
 cognitum. Verum tempus & causam *Odiniane* in Septentri-
 onem demigrationis eruit ex collatione *Sturlei* & scriptorum re-
 rum Romanarum. Locat illum in ætatem *Mithridatis Eupatu-*
ris ac *Pompeji*. Germanorum *Teut* ipsi est *Odinus*, quocum
 convenire credit *Thotum* *Ægyptiorum*, *Taauten* *Sanchoniatho-*
nis, & *Hermen* *Græcorum*, ac *Thorem* borealium, immo *Asce-*
nasem. *Cimbros* aliosque Germanos ab *Odino* in Romanos cre-
 dit sollicitatos fuisse. Expeditionis *Gothicæ* autorem æque pu-
 tat *Odinum*. De inventione runarum agit deinde, quam *Baul-*
thuro, *Odini* socero, assignat. Genealogiam *Jornandis* *Go-*
thicam vindicat. Scandiam credit dictam ex *Gothiscanzia*, quæ
 est apud *Jornandem*. Dania, quod feudum *Asiorum* ipsa fuit
 primum, dicta ex *tham*, unde sit *undertham*. Danicos & *Boras-*
sicos scriptores, qui *Suecos* & *Jornandem* arguunt erroris ra-
 tione expeditionis *Gothicæ*, Autor revincit. *Suitharum*, seu
Suedorum, cognomen putat abiisse in *Scytharum* nomen. Ad-
 jungit posthæc nonnihil de usu *historiæ* *mythicæ*. Confusionem
Babelicam exponit de dissensione & secessu hominum haud in-
 vito, ratus, sapientiz *Dei* haud convenire miraculosam lingua-
 rum confusionem. *Nimrodum* nomine *Sospitatoris* imperium
 affectasse, suspicatur. De *Sabiis*, *Zoroastre*, loco *Act. XVII,* 472.
 23, aliisque rebus perquam memorabilibus, ac de forma regi-
 minis *Suecici*, ad finem usque differit. Acta publica, quæ huic

tractationi sunt subiecta, spectant ad jura successionis in Suecia regiae, A. 1718 & 1720 firmata. Oceanum antiquitatis reconditæ & abstrusissimæ cum Autore fuimus ingressi. Delati sumus præter opinionem citra scopulos in portum. Quid restat, nisi ut Cel. Autori agamus gratias, & votivam ipsi tabulam suspendamus?

JACOBI GUSSETII, BLOESENSIS, THEOLOGICÆ, Philologicæ, & Hellenismi, in Academia Groningensi olim Professoris, Lexicon Linguae Hebraicæ, in quo præcipua opera impenditur primario significatus vocum phrasiumque accurata investigatione definiendo, homonymiis & interpretationibus vagis, ancipitibus, arbitrariis, eliminandis; locis insignibus S. S. Scripturæ explanandis; parallelis Vet. & Nov. Testamenti tum peculiari discussione, tum collatione mutua, firmandis ac vindicandis. Editio secunda, priori auctior & correctior.

Lipsiæ, sumptibus Wolfgangi Deer, 1743, 4 maj.

Alph. 9 plag. 16.

De hoc Opere Gussetano, A. 1702 Amstelodami, forma majore, prima vice, *Commentariorum Linguae Hebraicæ* titulo, in lucem edito, jam nihil attinet dicere, cum, quam varix eruditionis & quantæ utilitatis sit, satis jam aliunde constat; siquidem inter complures, quos ab illo tempore nactum est, præcones, hæc ipsa *Actu Erud. A. 1702 Mensis Octobris pag. 443 seq.* in illo laudando otium nobis fecerunt. In præsentem, quid illi hæc nova editio accesserit, exponemus. Prodit ista studio Viri doctissimi, deque literis Hebræis, &, quæ eas non parum adjuvant, Arabicis, ceterisque orientalibus, quas in hac Academia publice docet, meritissimi, *Jo. Christiani Clodii*. Ejus enim opera consilioque imprimis uti decreverat optimus hujus urbis civis & industrius bibliopola, *Deerius*, postquam impensis haud contemnendis sibi comparatas ipsius Autoris *Gussetii*

setii Notas marginales, quibus hoc suum Opus post ejus natales locupletaverat, MStas, cum erudito orbe communicare, in animum induxerat. Quo negotio quomodo functus sit, ipse in Præfatione docet. Nempe figuras, priori editioni passim insertas, nunc æri incisas, ad Operis calcem annecti curavit. Errata, tum in sine editionis prioris ab Autore notata, tum alia quamplurima, a se ipso observata, non sine multo labore correxit. Quæ autem *addenda* Autor fini Operis subjecerat, nunc ipsi textui inseruit. Notas autem illas marginales MStas, supra commemoratas, quarum gratia imprimis hæc editio suscepta est, in suum singulas locum retulit quidem, sed peculiari signo manus a textu distinxit. Sic *pag. 198*, post lineam 28, verba: *Huc refero Ej. XLIX, 3, usque ad quasi dixerit בִּישְׂרָאֵל*, in Amstelodamensi *pag. 113 a.* non habentur, hic autem ex additionibus, calci ejus adjectis, leguntur, nisi quod signo manus opus fuisse non videbatur. Illud enim, ex consilio Editoris, indicium notarum MStarum marginalium recentium, non vero additionum, esse debebat. Sic & *pag. 640*, quæ *lin. 35* vocem *Ostendunt* sequuntur, a *confirmabitur tamen* usque ad *aptum saccharo*, ex additionibus Amstelodamensis finalibus sunt interta, reliqua autem sub signo manus, a *ad questionem usque ad ac judicandi*, e Notis recentibus MStis marginalibus sunt adjecta. Hæc duplicis generis augmenta hancce editionem tum usui lectorum multo priore accommodatiorem, tum multo etiam locupletiozem, efficiunt.

Sed & hoc diligentissimus Editor sedulo egit, ut, quæ *Gursetius* a se errata, & post impressionem accuratius ponderata, in emendationibus finalibus retractavit, in hac nova editione ex mente illius corrigeret. Hinc factum, ut v. g. figura sanctuarii *pag. 123 u.* nunc quadrata æquilatera compareat, quæ in priori latitudinem longitudine multum superat, & basilicæ anterioris longitudo dupla sit latitudinis, quæ ibi multo est ærior; & vestibuli latitudo cubitos 10, non 20, ut in prior editione per errorem scriptum extat, habeat. Hæc etiam est causa, cur, quæ v. g. in prior editione sub *lit. 4 pag. 417 h. lin. 34* a verbis *Etiam* & usque ad *quod habuimus sup. 1*, deleri voluit,

voluit, in nostra pag. 799 a. lin. 22 deleta sint. Illis enim locum *Lev. V, 4*, השבע לחרע או לחיטיב, interpretatus fuerat: *jurare de male aut bene faciendo*, quasi ל, post השבע positum, subjectum (quod forte alii objectum dicerent) juramenti indicet; & reponi vult: *notare actum illum, quem effectorum se jures*. Et רֹעַ לְכַרְתִּי *Eccles. III, 18*, non esse posse a צַרְרָא, ut excidat, prius dixerat, quia hoc esset malignum votum; sed, quia curis posterioribus vidit, rationem hanc interpretationi per excisionem non satis adversari, pro ea substitui voluit hanc: *quia רֹעַ צַרְרָא de loco, non de homine, dicatur*. Et sic etiam ex retradatione *Guffesii* nunc in nostra legitur. Quæ pauca illustrationis ergo adduxisse sufficiat. Ex quibus correctionibus multo magis, quam ex additamentis, quibus hæc *Guffesiana* opes auctæ sunt, apparet, quanto hæc editio posterior illa priori sit præstantior; quia verendum est, ne illa ab imperitis lectoribus, & quos piget additamenta finalia consulere, multis in locis non sine magno periculo, eundem cum Autore errorem errandi, evolvatur; hæc autem absque illo metu lecuris manibus versari potest.

Porro & hoc faciendum novæ editionis diligentissimus arbiter duxit, ut, quæ *Guffesius* Hebraica vocibus & phrasibus Gallicis illustravit, iis versionem Germanicam adjecerit, ne, qui Gallica non intelligunt, commodo, exinde ad Gallice doctos redundante, plane careant; quanquam, hoc non ubique factum esse, forte quia in multis nostræ linguæ idiotismi Gallicissimi non obsequuntur, usus libri lectores docebit.

Denique huic augmento suas etiam animadversiones & supplementa eruditissimus *Clodius* additurus quidem erat, in quibus, quæ ipsius in Præfatione verba sunt, vel ad voces, ubi *Guffesius* nihil, aut pauciora saltem, annotavit, aut ubi significationes plane delevit, novasque substituit, neglecta dialectorum harmonia; vel explicationes locorum Codicis S. novas, contortas, minusque convenientes, afferre videtur, est commentatus. Sed moles Operis jam satis sumtuosi non nimis augenda erat; hinc illas animadversiones seorsim excusas extare vult, propediem e prelo, cui jam sunt subjectæ, proditurae.

Accessit

Accessit & hæc consilii de separatim edendis Animadversionibus ratio, quia Cl. Editor, ita se effecturum, vidit, ut vel alii, qui Amstelodamentem possident, accessiones hæc novas sibi comparare, censurarumque *Clodianarum* utilitate frui, possint, neque tamen propterea hæc novam comparare necesse habeant. Non est dubium, quin is *Clodianus* labor sacræ exegeticos studiosis acceptissimus sit futurus, cum eximia Autoris doctrina eos optima quæque de se sperare jubeat.

RICCIARDI DE ANTIQUIS, D. MEDIO-
lanensis, Epistola, qua HERMANNI CONRA-
DI F. SINCERI sententia de usu Juris Feudalis
Longobardici in Germaniæ terris exponitur
ac trutinatur.

Coloniæ, ad exemplum Venetum, sumtu Oberti van
 Leenhof, 1738, editum, recusum 1739, 4.

Plag. 11.

Libellus iste, Dialogi more compositus, bis jam editus fuerat apud Venetos, & splendide quidem in majore forma. Cum autem in Germania vix magno comparari pretio posset; optime fecit Bibliopola Coloniensis, quod eum iteratis typis luci exposuit. Merebatur enim hoc Opusculum, & propter argumenti gravitatem, & propter floridum dicendi genus, sæpe elegantioribus jocis conditum, ut in plurimorum notitiam ac manus perveniret. Scripsit hoc ipsum doctissimus *Ricciardus de Antiquis* ad Avunculum suum, *Joseph. Gerardum de Beneficiis*, occasionem præbente itinere Autoris in Germaniam. Ibi scilicet Germanorum quorundam Jurorum libros pervolutans, & eruditissimorum virorum colloquiis fruens, gravissima de Jure Feudorum dissidia animadvertit, de quibus, in Italiam suam redux factus, paulo sibi accuratius differendum esse judicavit. Perfecit consilium, ut diximus, laudabiliter, nulloque partium abreptus studio, quod vel ex iis patere arbitramur verbis, quæ pag. 11 nostris se oculis obtulerunt. Hoc enim loco mentionem injiciens *Methodi Juris controversi*, quæ

autore Nicol. Vigelio de Dreisa olim prodierat, non videram, inquit, eum, & fere abjecissem, qui nostræ gentis mos est, cum Germanum se dicat. At, libello curatius volutato, longe alia mihi mens sedit, & Alemannos etiam sapere, deprehendi. Quæ deinceps pag. 14 addidit, dubium est, illinc magis, an ipsis nostris imputanda civibus sint. Memorat enim ibidem, studuisse se lingue Germanicæ, & superatis difficultatibus, libros Alemannicos legere potuisse, locutioni autem non ita deuisse operam, pronuntiandi ratione id impediente, præsertim cum, quæ gentis stoliditas sit, ipsum, dicere occipientem, non tam correxerint, quam potius juvenesque senesque deriserint. Excerpimus summa totius libelli capita, dummodo prius monuerimus, tres de Jure Feudali Longobardico inter se colloqui ac disceptare, Autorem nimirum, & qui suis sese nominibus occultari voluerunt, *Sincerum*, atque *Elpistium*. Ipsa autem disputatio instituta fuit Ulmæ, in ædibus *Sinceri*, cujus hospitalitatem, doctrinam, humanitatemque, plus vice simplici amplissimis Autor laudibus extollit. Præmissis quibusdam generatioribus, Clarissimus de *Antiquis* §. 5 & 6, in Germanico suo itinere Augustæ Vindelicorum se substituisse, refert, ibique invenisse *Harppechti de non usu Speculi Alemannici* librum, & ex eo longe alia didicisse de Jure Feudali Longobardico, quam antea intellexerat. Confirmatum tamen se in consilio fuisse, olim suscepto, cum audivisset, Germanos lege quadam Longobardicis alligari, §. 7 docet. In §. 8 significat Autor, Augustæ Ulmam se contendisse, ibique a *Sincero*, amicitia sibi juncto, de patris sententia, Jus Romanum & Longobardicum in Germania, quod ad receptionem, probatione indigere, certiore esse factum. Consideravit hæc Autor satis diligenter, & plurimum interim eruditorum notitiam acquisivit, uti ex §. 9 perspicitur. Qui sequuntur, *Paragraphi 10, 11, 12, 13, 14*, complectuntur colloquium Autoris & *Sinceri* alterum de Legum peregrinarum autoritate in Germania; cui cum intervenisset *Elpistius*, doctissimus de *Antiquis* illi lampada tradidit: quo facto *Elpistius*, multa pro utu Juris Romani congerens, cum *Sincero* ad Jus Feudale Longobardicum delabitur. Uterque diu disceptavit,

ptavit, num Jus Romanum & Longobardicum Germanis sint communia. *Par. 15 & 16* tertium colloquium inter *Sincerum & Elpistium* de nomine Juris Communis, Juri Feudali Longobardico competente, & quomodo tandem hæc lis composita fuerit, exponitur. Deinceps in disputatione quarta contendit *Sincerus*, Jus Feudale Longobardicum Germanico semper cedere, probatis hoc ex Jure Longobardico ipso, & more Sicularum, ab *Andr. de Barulo* relato. Respondet *Elpistius*, Juri Germanico, in usu existenti, non antiquo illi, cedere Longobardica. *Sincerus* adversario causæ præsidia suppeditat. *Elpistius* plures Scriptores, inprimis omnes Camerales, pro sua causa nominat. *Sincerus* autem, Longobardorum Jus non majoris esse auctoritatis, perhibet, quam quivis alius Autor, pro ratione adducendus. Statu controversiæ amplius formato, *Elpistius* usum Juris Longobardici a tempore *Caroli IV* ad *Maximilianum* usque *I* deducit. *Sincerus*, transitu factò, nullum usum Longobardicorum judicarium admittit, & ad annum usque 1495 progreditur. Eximit tamen Constitutiones Imperatorias, in campis Roncaliis promulgatas, potiusque Jus Germanicum ubique receptum fuisse tradit. *Elpistius* respondet, Jus Longobardicum in Camera Imperiali Seculo XVI & XVII viguisse; cui intercedit *Sincerus*, & Jus illud neque Constitutionem introduxisse Imperii, neque postea etiam invaluisse in foro, negat; quæ omnia a §. 17 ad §. 31 expediuntur. Tum in conflictu quinto a §. 32 ad 58 *Elpistius*, sensim minimum Jus Longobardorum esse receptum, & obliterasse Germanica, existimat. Quod cum argumentis pluribus in dubium vocet *Sincerus*, *Elpistius* denuo de reliquis Germaniæ Juribus concedit, de obsoletis non item. Mox contentio de Juris Longobardici usu cooritur, & demonstratur præcipue ab *Elpistio*, nil obesse Speculis, si contenta tantum, non ipsa volumina, sint allegata. *Sincerus* non admittit nisi usum Academicum, nullum Juri Longobardico forenses attribuens, negans etiam, usum sufficere, quandoquidem is nullam imponat necessitatem, ulterius utendi eo Jure, quod hæcenus observatum est. Longobardica esse in foro plane obsoleta, evincere studet *Sincerus*, &

quæ Juri Germanico antiquo opponi solent, diluit. Id ipsum porro agit, & objecta in Jus Longobardicum retorquet, atque pleniorum Germanicorum Jurium Feudalium notitiam struit; quam ille materiam continuat, longe ordinatius Jus esse Germanicum, simul demonstrans. Subjungitur de Doctoribus nonnullis judicium, illique confutantur, qui usum forensem pariter ac historicum antiquis Juribus denegant. Deducitur potius iste usus speciatim, & simultanea inprimis investitura toti Imperio Germanico vindicatur. Eandem tempore *Henrici VI* non esse sublatam, probatur, congestisque eam in rem compluribus ante & post *Henricum* exemplis, ad Leges consuetudinarias Franciæ Salicæ, Franciæ Ripuariæ, & Alemanniæ, provocatur, pariterque vox *Erbmanleben* feudum esse, non nisi ad filios aut filias transiens, ostenditur. Pergit in stabilienda thesi sua *Sincerus*, & tam Leges Bavaricas, quam Saxonicas, nominat, unde colligi posse credit, Jus Germanorum Feudale in simultanea investitura commune esse, nec de conservatione simultaneæ investituræ in Feudis Imperii, & reliquis Germaniæ terris, dubium restare ullum, profiteretur. Idem denique causâ meminit, cur aliqui persuasum sibi habeant, simultaneam investituram ab usu penitus recessisse. Sextum Colloquium a §. 59 usque ad Opusculi finem producit. Agit illud de simultaneæ investituræ speciebus, & quidem de Longobardica; de Germanica communi, ubi per curatorem recipitur; de simultanea investitura universitatum; de simultanea investitura Germanica successiva; & de simultanea investitura dominorum. Colophonem imponunt judicia de Scriptoribus quibusdam, qui Feudalis Juris notitiam tradiderunt. Nos Bibliopola, qui edidit libellum, jure huc transcribendam putamus commendationem: *Lector eme, lege, & gaudebis.*

SPECIMEN CALCULI FLUXIONALIS,
quo exhibetur generalis methodus, duarum pluriumve
quantitatum variabilium, in semet multiplicatarum,
Fluxiones & Fluentes cujuscunque ordinis ope serie-
rum

*rum infinitarum adinveniendi. Accedunt alia quædam
miscellanea. Autore GERARDO MEER-
MANN, JCro.*

Lugduni Batavorum, apud Danielem Goetval, 1742, 4 maj.

Plag. 14.

Hoc Opusculum Cl. Autor erudita Præfatione ornavit, in qua Algebrae historia a prima ejus ætate ad nostra usque tempora succincte traditur. Analysin Mathematicorum, quæ hodie Algebra vocatur, jam olim Græcis, velut *Euclidi*, & ante hunc *Platoni*, innouisse, ab iis tamen sollicitè occultatam fuisse, Autor pro certo habet. Sed primus, qui Analysin in certam methodum redegit, & singulari opere exposuit, fuit *Diophantus Alexandrinus*, de cujus ætate controversiam Cl. *Meermannus* tollit testimonio *Gregorii Abulpharagii*, qui in Historia Dynastiarum, hunc *Diophantum* cum *Themistio* Philosopho sub *Juliano Apostata* vixisse, scriptum nobis reliquit. In hujus *Diophanti* Opus celebris *Hypatia*, *Theonis Alexandrini* filia, prima Commentarios, *Suida* teste, scripsit. Deinde post novem circiter seculorum intervallum duos priores ejus Operis libros interpretatus est Monachus *Maximus Planudes*, cui Scholia illa tribuenda sunt, quæ *Guil. Xylander*, primus *Diophanti* editor, A. 1575 in lucem protraxit. Nam, etsi, *Planudis* illa Scholia esse, ipse *Xylander* ignoravit, tamen, *Hypatia* illa non adscribenda esse, partim ex Indica multiplicandi ratione, de qua Scholium ad *Lib. I Defin. 9* loquitur, partim ex Algebrae vocabulo, *Hypatia* temporibus inaudito, & in Scholio ad *Lib. I Quest. 24* occurrente, Cl. Autor probat, imo, *Planudi* ea Scholia in vetustis quibusdam Codicibus tribui, *Bernardum de Montfaucon* in *Bibliotheca Bibliothecarum MScorum* testem citat. A Græcis primi hanc artem Analyticam acceperunt Indi, qui usum ejus longe expeditiorem reddiderunt, figuras quasdam, pro literis alphabeticis in numerando substituendas, excogitantes. Harum enim figurarum inventionem Indis non abjudicandam esse, satis idoneis argumentis Cl. Autor evincit. Ad Arabes dein ab Indis pervenit ars Analytica, & lingua eorum Algebra

gebra fuit appellata, & apud eos non leve incrementum cepit, eo potissimum, quod æquationes cubicas resolvendi modum invenerant. Nam, ante *Scipionem Ferreum* dudum innotuisse Arabibus harum æquationum solutionem, conjicit Autor ex libelli cujusdam Arabici, ab Amplissimo *Warnerio* in Oriente descripti, & Bibliothecæ publicæ Lugdunensi relicti, inscriptione, quæ Latine sic se habet: *Omar Ben Ibrabim Al Ghajamei Algebra cubicarum æquationum, sive de problematum solidorum resolutione.* Europæi denique, qui jam circa medium Seculi decimi, ut *Wallisius* colligit, figuras numerorum ab Arabibus acceperant, ipsius etiam Algebrae scientiam sub finem quarti decimi Seculi ab iisdem acceperunt. Et in Italiam quidem primus hanc artem attulit *Leonardus de Pifa* initio Seculi decimi quinti, quem de quadratis numeris librum conscripsisse, *Guil. Xylander* perhibet. Post hunc Pisanum *Lucas de Burgo*, *Mich. Stifelius*, *Hier. Cardanus*, *Raphael Bombellius*, & alii, quos *Vossius Lib. III de natura Artium*, & *Wallisius in Algebra*, nominant, Algebram in Europa coluerunt, parum tamen ejus limites promovisse Autori nostro videntur. Circa finem autem decimi sexti Seculi *Franciscus Vieta* novam huic arti faciem induxit, cum & quantitates omnes, tam datas, quam quæsitæ, literis alphabeticis designare institueret, & Algebram ad Geometriam quoque applicaret. Paulo post magnam eidem arti accessionem fecit *Thomas Harriotus*, Anglus, qui omnium æquationum algebraicarum genesis & naturam primus distincte docuit in posthumo Opere, quod, *Artis analyticae Praxis* inscriptum, Londini A. 1631 prodiit. Quanta deinde, & a quibus viris, Analysis cum universâ Mathesi cepit incrementa, quia id est fama pervulgatum, paucis tantum verbis indicasse, Autori satis esse potuit. Sub finem hujus Præfationis aperit consilium, quo hoc Opusculum conscripsit. Videlicet, cum alii huc usque fluxionibus & fluentibus primi, secundi, tertiæ ad summum, ordinis usi fuerint, ipse *Cl. Tayloris* exemplo generalem regulam ad fluxiones cujuscunque gradus datæ quantitatis investigandas præscribere, & exinde novam methodum pro reversione serierum fluxionalium deducere, voluit, fluentes

in hęc perpetuo considerans ut fluxiones negativas. Itaque in *prima Propositione* tradidit formulam universalem pro inveniendā ejuslibet ordinis fluxione vel fluente quantitatis factę ex fluxionibus sive fluentibus quibusvis duarum quantitatum variabilium, per se invicem multiplicatis. Hanc formulam huc transcripturi, monebimus prius legentes de notis, quas Cl. Autor *Taylorianis* longe commodiores adhibet. Nam incrementum, vel decrementum, ordinis a quantitatis variabilis R sic designat

$\overset{a}{R}$; quę nota, si a est numerus positivus, indicat fluxionem quantitatis R , si $a = 0$, quantitatem R ipsam, si vero a est numerus negativus, fluentem ipsius R . Nunc ordinis m fluentem

$\overset{a}{R} \overset{b}{S}$ vel fluxionem quantitatis $\overset{a}{R} \overset{b}{S}$ Autor hac formula exprimit:

$$\overset{a}{R} \overset{b+m}{S} + \frac{m}{1} \overset{a+1}{R} \overset{b+m-1}{S} + \frac{m \cdot m - 1}{1 \cdot 2} \overset{a+2}{R} \overset{b+m-2}{S}$$

$$+ \frac{m \cdot m - 1 \cdot m - 2}{1 \cdot 2 \cdot 3} \overset{a+3}{R} \overset{b+m-3}{S} + \&c. \text{ vel etiam hac:}$$

$$\overset{b}{S} \overset{a+m}{R} + \frac{m}{1} \overset{b+1}{S} \overset{a+m-1}{R} + \&c. \text{ quę precedenti omnino}$$

similis est. Utriusque autem formulę lex progressionis nemini obscura esse potest, qui theorema binomiale *Newtoni* novit. Ejus quidem demonstrationem Cl. *Meermannus* non addidit, (neque difficilis ea erit illis, qui calculi differentialis non omnino rudes sunt,) usum autem multis exemplis docuit, inter quę unum occurrit, quod ostendit usum illarum formularum ad inveniendam quantitatem, cujus data aliqua quantitas

fluxio vel fluens est. Si enim detur quantitas $x^4 y + 4 x^3 y^2 + 6 x^2 y^3 + 4 x y^4 + x^4 y$ (puncta inter literas & numeros, secundum sęmiologiam Autoris scribenda, hic omisimus, quia iis literę commodius carere posse videntur,); non difficulter perspicietur

spicietur ex collatione unciarum & indicum hujus quantitatis cum iis in formula prima, datam quantitatem esse fluxionem ordinis quarti quantitatis x^4 , quam Autor fluxionis reversionem appellat. In *secunda Propositione* exhibet tres divertas formulas pro invenienda quantitatis trimembris fluxione vel fluente dati ordinis; in *tertia* quatuor pro quantitatis, ex quatuor factoribus compositæ, fluxionibus vel fluentibus; in *quarta* generalem regulam, qua cujuscunque ordinis fluxio vel fluens quolibet quantitatum variabilium, in semet multiplicatarum, inveniri potest; in *quinta* denique seriem infinitam generalem pro quavis fluxione vel fluente quantitatis variabi-

lis x , ad potentiam quamvis r elatæ. Sed de hisce formulis, quæ omnes tantum quædam quasi corollaria sunt, ex primo theoremate operosa magis, quam difficili, ratiocinatione deducenda, hic dicere nihil opus erit. Ex prima & quinta propositione derivavit Autor theoremata, quod in *sexta Propositione* traditur, & quod primum id intuentibus paradoxon apparebit. Hoc theoremata est quantitatis variabilis, sive puræ, sive fluxionalis, & quocunque dimensionum, expressio universalis per seriem infinitam fluxionalem. Prolixior est illa series, quam quæ huc transcribi possit; hoc tamen annotabimus, quod

ex ea fluit, scilicet x^2 esse æquale seriei $2x^1x^1 - 2x^2x^0 + 2x^3x^{-3} - 2x^4x^{-4} + \&c.$ Quod verum esse, concessa theorematis primi universalitate, omnino concedendum est. In eundem quantitatis x^2 valorem fluxionalem Autor jam antea, in exemplo quodam, primæ Propositioni subjuncto, incidere, ibique veritatem hujus valoris eo probaverat, quod, si capiatur fluxio prima prædictæ seriei, omnes termini, primum sequentes,

se invicem destruant, & primus, qui solus relinquitur, sit $2x^1x^1$, quem esse quantitatis x^2 fluxionem primam, nemo negat; cui consequens est, ipsam quantitatem x^2 , prædictamque seriem fluxionalem, inter se æquales esse, cum, quorum primæ fluxiones æquales sunt, ipsa inter se æqualia habenda sint. Typis fere

fere jam totum descriptum erat hoc Opusculum, cum Cl. *Meermannus* audiret, Cel. *Colinum Mac Laurin*, Edinburgensem *Matheseos* Professore, in Opere de Fluxionibus, quod prelo jam commiserat, fluxionum quoque superiorum ordinum, quæ relatæ ad alias evanescent, & hinc vulgo negliguntur, in calculo Fluxionum rationem habuisse. Hoc Autorem nostrum impulit, ut in *Addimento* aliud theorema traderet, cujus ope

quantitatis *R S* fluens vel fluxio quælibet capi potest, non neglectis terminis, qui ad ceteros infinite exiguum rationem habent. Denique huic Opusculo, ut id iusta forma lucem adspicere posset, miscellanea Problemata algebraica cum eorum solutionibus adjunxit, quæ nobis non inelegantes esse videntur. Gratulamur Cl. Autori hos conatus, quos ipse juveniles modeste appellat, sed qui eo majori laudi ipsi cedunt, quo majorem de eo spem faciunt. Talis enim visa nobis est hæc scriptio, ex qua argutum Autoris ingenium, ac in contemplandis agitandisque rationibus industria, colligi possit; & eum esse Autorem, accepimus, qui juvenilem suam ætatem, qua egressus nondum est, non solum studiis Mathematicarum dicavit, sed etiam in Juris scientia addiscenda ita profecit, ut summis *JCo*-rum Academicis honoribus dignus jam tunc, cum hunc librum ederet, habitus esset. Quæ omnia nos hanc de eo spem concipere jubent, fore, ut, si Mathematicarum studiis porro vacare ipsi libuerit licueritque, in celebrium Mathematicorum numerum olim referatur.

BIBLIOTHECÆ PHILOSOPHICÆ STRUVIANÆ
emendatæ, continuatæ, atque ultra dimidiam partem
auctæ, a LUDOVICO MARTINO KAHLIO, P. P. O.
Tomus I, Scriptores Philosophiæ contempla-
tivæ; Tomus II, Scriptores Philosophiæ practi-
cæ, percensens.

Gottinæ, impensis Vandenhœeck & Cunonis, 1740, 8 maj.

Tom. I Alph. 1 plag. 7, Tom. II Alph. 1 plag. 6.

Ttt

Quatuor

Quatuor, quæ jam exstant, editiones *Bibliotheca philosophica Struviana*, librum hunc tulisse plautum, *Eusebio Gottbeiff Struvio* dignum, dudum probarunt. Uti vero *deurtheus Oportides*, ac labores novi, addi, vel ipso *Struvio* iudice, debebant; ita *Jouannes Henricus Ackerus*, Vir pereximie eruditionis, Supplementa quædam jam anno Seculi hujus 14 composuit, postea a Celeberrimo *Jouanne Georgio Lottero* accessio- nibus locupletata, atque maxima ex parte inserta editioni libri hujus, A. 1728 evulgata. Quamvis vero Viri hi meritissimi insignem ei applicaverint diligentiam; *Struvius* tamen ipse, majorem exoptans, A. 1737 literas dedit ad *Ludovicum Martinum Kablium*, Göttingensium Professore, iisque significa- vit, in voris tibi esse, ut *Kablius* novam uberioremque adorna- ret *Philosophicæ Bibliothecæ* editionem. Respondit igitur *Kab- lius*, se opus istud suscepturum, & publicæ luci com- missurum. Inde enatus est, quem descripturi jam sumus, *Commentarius Kablii ad Struvium*, isque perpetuus, in quo Scriptores, quos omne ævum tulit, præcipui, ad Philosophiam spectantes, recensentur, haud raro insertis textui *Struviano* in- tegris *Sectionibus*, quemadmodum omnes notæ, textui subje- ctæ, a *Kablio* elaboratae sunt. Quæ enim ab *Ackero* & *Lottero* hanc in rem concinnatae fuere, & ex parte retinenda *Kablio* visæ, in ipso textu *Struviano* comparent, ita connexa atque adaptata *Kablii* opera, ac si ipse ubique *Struvius* disserteret; ne annotatio- nibus, modo minus coherentibus, modo repugnantibus, modo mutilis, confusi & perturbata redderetur oratio. Pari indu- stria non carentem nævis textum *Struvianum* repurgavit, in- sertis ei satis longis Capitibus, & suppletis iis speciatim, quæ ad *Wolffii* Philosophiam spectare videbantur. Quorum in cen- su sunt *Tom. I* inde a pag. 126 usque ad pag. 137, pag. 280 290, pag. 293-297, pag. 306-318, pag. 353-356, & *Tom. II* pag. 60 us- que ad pag. 66, pag. 170-173, pag. 351 356, proposita. Præci- puam vero diligentiam ad id attulit *Kablius*, ut de singulis Phi- losophis, eorumque scriptis, curate cognosceret, graviter sta- tueret, & tanquam æquus æstimator judicaret. Id quod præ- cipue probandum est institutum, quoniam a *Struvio* & Com- menta-

mentatoribus, antea nominatis, plerumque fuit neglectum. Id igitur religiose servavit Autor, ne per cujusquam injuriam famam quærere voluisse videretur. Il tamen, qui libertatem judicandi, modestia conditam, agre ferunt, impedimento esse non potuerunt, quo minus Noster ingenue mentem suam profiteretur; quemadmodum Autores, qui vitas Philosophorum persecuti sunt, inprimis rariores, adscripsit, indicavitque, quanta iis fides habenda sit. Quæ cum adhibita sint editioni huic omnia; fieri non potuit, quin moles operis valde accresceret, & ultra dimidiam partem augetur Bibliotheca philosophica. Haud ulla igitur in omni libro occurrit pagina, sine *Kablii* annotationibus impressa; unde quilibet facile intelligit, brevibus explicari haud posse editionis hujus præ reliquis prærogativam. Ut tamen exempla quædam proferamus in medium, ex observationibus, ei junctis, unam & alteram delibabimus. De *Pythagora* Tom. I pag. 85 ita erudite disputat: *Sub involucribus omnem Philosophiam proposuit, insuper mysteria tantum vendens discipulis suis; hinc oblivioni, quæ ad erudicandum istum philosophandi modum pertinent, tradita sunt plurima. Perpauci itaque veterum inseri possunt catalogo Scriptorum Philosophiæ Pythagorice. Mathematicis claustris obscurata præcipua sunt dogmata, quoniam de numeris, figuris, harmonia, semper fere sermonem instituebat Pythagoras. Suos Mathematicos habere volebat; lingua hinc mere mathematica utebatur. Hac quidem ratione inductus, figuris geometricis, arithmeticeis, & musicis, tanquam literis hieroglyphicis, designabat placita. In Physica v. c. asserbat, ex tetragono nasci cubum solidissimum & stabile corpus; pyramidem & cubum ex eodem tetragono prodisse, cujus idea sit τετρακτύς & sexcenta similia omittimus. Metaphysica & moralis Philosophia Pythagoræ plane abelica non minus est; quam Historiæ Philosophicæ scriptoribus detegendam, si divinatione potest explicari, relinquimus. De Porphyrio pag. 88 hæc attulit: Porphyrii etiam in Ptolemæi Harmonica Commentarius MSus exstat in Bibl. Magdalenensi Oxonii, ubi eum perlustravimus. Titulus est: Περὶ Φυσικῆς οὐκ ἀριθμητικῆς Πτολεμαίου ὑπερμνημα. Sed Ptolemæi*

Harmonica MSto etiam vidimus ibidem in Bibliotheca Bodlejana, qui Codex tribus libris constat, quorum primus 16, secundus 15, tertius 16, Capita habet, cum tamen Porphyrii hi Commentarii desinant in Capite 7 Libri secundi; neque, an ulterius Commentator processerit, dicere possum. Hostentius in Dissertatione de vita & scriptis Porphyrii, libro ejusdem de Pythagora vita addita, Cap. 6, Porphyrii Commentarium in *Harmonica* asservari, affirmat, tam in Bibliotheca Vaticana, quam in Gallorum Regis male literaria; asserit quoque, Porphyrium non in universum *επιμνηστικόν* opus, sed in 4 duntaxat prima Capita, scripsisse, ceteraque dein Pappum pertexuisse, id quod titulo MSti, in Vaticana reconditi, comprobatur. Sed hujus rei nec ullum vestigium reperi, cum tamen tres Codices MStos, quorum unus in Bodlejana, alter in Barroviiana, tertius in Magdalenensi, asservatur, curate & diligenter manibus volverim revolverimque. De Sixto, vel Xysto, Philosopho & Pontifice Romano, pag. 90 hæc leguntur: Usserius omnia fere ex antiquitatum ecclesiasticarum monumentis collegit documenta, qua Sixti, sive Xysti, illustrent personam, in MSto Codice Bibliotheca Bodlejana, qua in ea & legi, & descripsi, alio forsitan tempore publici faciendæ juris. Rursum pag. 116 ita adumbrat: Quam voluitus est mutationem Philosophicæ Rami, ea multis displicuit jure, eoque summo. Apud Græcos enim hujus viri est incredibilis. Principiis plane nullis visuntur ejus placita, miseroque Philosophiam rationalem cum arte rhetorica & Poesi confundit. Hinc mera *ἀραξία* Rami τὰς δειξις dicitur, licet id, quod pueri in faba, se invenisse videatur. Inter ea, qua de Philosophis exosis tradidit Cel. Editor, pag. 142 hæc legimus: Huc pertinet Jordanus Brunus, qui libro de immenso & innumerabilibus se injuriam reddidit, hinc Roma A. 1600 damnatus in flammis coniectus est, licet atheismi impietate placita demonstrari ex scriptis ejus nequeant. Vid. *Memoirs of Literature* Vol. II pag. 243 Art. 52. De genere, loco, & tempore mortis hujus Philosophi consulatur quoque a *Collection of several pieces of Mr. John Toland*, edit. Lond. 1726. *Spaccio della bestia trionfante*, &c qui liber tanquam monstrum horrendum, ingens, a multis describitur, atheismum quoque continere debet,

debet ex eorum sententia, licet vix unquam id evinci possit. Codex hic, impressus Parisiis A. 1584, inter rarissimos numeratur, & asservatur in Bibliotheca Bodlejana, cui exemplari adscripta sunt hæc: This Book was sold for 27 L. in the Auction of Mr. Charles Bernardis Books in April 1711. Mr. Clavell of the Middle-Temple bought it. &c. De Newtono pag. 359 hæc commemorantur: Philosophi magni hujus elogium nonnemo ita protulit:

*All Nature and her Laws lay hid in Night,
God said: let Newton be; and All was light.*

In Diario, cujus titulus est: *New Memoirs of Literature*, Vol. V. Mense Mart. A. 1727 pag. 238, laudibus hic ornatur Newtonus: We have lost the glorious Founder of the best Philosophical School, that ever appeared in the World. The celebrated Sir Isaac Newton died on Monday the 20th of this month, about one of the Clock in the morning in the 85th Year of his age, &c. I shall only say, after Dr. Halley, that no mortal can come nearer the Deity: *Nec fas est propius mortali attingere divos.* Epitaphium Newtoni idem fere loquitur, tum illud, quod sepulchro ejus fuit insculptum, omnibusque notum est, quam id, quod Joannes Eames composuit, & legitur in *Miscellaneous Thoughts in Prose and Verse*, written by I. Watts, Londini, 1734. Andreas Motte Newtoni Principia Philosophiæ naturalis mathematicæ e Latino fonte in Anglicum sermonem transtulit, typisque exscribi curavit Londini A. 1730 in II Volum. in 8. Sed, quam multa fide interpretatio hæc composita sit, vel ex unico demonstrari potest exemplo. Sect. II Propos. 7 in Schol. pag. 253 edit. 1657 Newtonus ita scribit: In literis, quæ mihi cum Geometra peritissimo, G. G. Leibnizio, annis abhinc decem intercedebant, cum significarem, me comparem esse methodi determinandi maximas & minimas, ducendi Tangentes, & similia peragendi, quæ in terminis surdis æque ac in rationalibus procederet, & literis transpositis, hæc sententiam involventibus, (dura æquatione, quotcunque fluentes quantitatus involvente, fluxiones invenire & v. v.) eandem celarem; rescripsit Vir Clarissimus, se quoque in ejusmodi methodum incidisse, & methodum suam communicavit, a meo

vix ablutensem, præterquam in verborum & notarum formulis; Interpres Anglus vero, ne tantus honos Leibnitio & Germanis conservaretur, eo usque procedit impudentia, ut Vol. II Lib. II Propof. 7 in Schol. pag. 21 plane diversa verba, iis scilicet omis-
 sis, adhibeat; qua appingere liceat, ut veritas rei inter eos constet, in quorum manibus utraque non est editio: In a letter of mine to Mr. J. Collins, dated December 10, 1672, having de-
 scribed a method of Tangents, which i suspected to be the same with Slusius's method, which at that time was not made publick; i subjoined these words: This is one particular, or rather a cor-
 rollary, of a general method, which extends it self, without any troublesome calculation not only to the drawing of Tangents to any curve lines, whether Geometrical or Mechanical, or any how respecting right lines or other Curves, but also to the resolving other abstruses Kinds of Problems about the crookedness, areas, lengths, centres of gravity of curves, &c. nor is it (as Hudden's method de maximis & minimis) limited to equations which are free from surd quantities. This method i have interwoven with that other of working in equations, by reducing them to infinite series. So for that Letter. &c. Reliqua etiam, quæ ad illustran-
 dam Newtoni spectant Philosophiam pariter ac Commentatores ejus, pag. 361 seq. a Cel. Kahllo curate exposita sunt, quemad-
 modum pag. 409, qui huc faciunt, libros percensuit atque diju-
 dicavit. Facere igitur non possumus, quin Kahlly verba, de Optica Newtoni pronuntiata, adscribamus, quæ ita sese habent: Lucem primariam in certo motu particularum corporis lucidi cu-
 jusdam consistere, docet Newtonus, ostendisque, subtiles semper particulas emitti ex ejusmodi corporibus, atque hinc lucem secun-
 dariam positam esse in vero motu istorum minutissimorum atomo-
 rum, in linea recta non sine mirabili velocitate emanantium. In-
 de vere colligit Newtonus, lucem moveri non posse in instanti, uti in Metaphysica loquimur; quoniam instantaneus motus realè haud convenit corpori. Igitur, successivum esse luminis motum, ab eo efficitur conclusio. Subducit porro rationes ita. Lux est verum corpus reale, nec consistit in mera pressione, seu pulsu aliorum corporum, quoniam secundum rectas lineas propagatur.

Vis

Vis ceterum particularum, quas lucidas vocamus, est insignis, dum v. c. tempore septem minutorum spatium 7000000 milliarium absolvunt, id quod singulis diebus sub ortum solis observatur. Eo facilius autem ratione ex mente Newtoni haec concipi possunt, quo major est attractio in corporibus parvis, e. g. in magnete, quam in ingentis magnitudinis corporibus, v. c. aliis lapidibus. Sunt tamen, quae hic objici possunt, varia, quoniam ex attractionis principio, quod evidentia & certitudinis haud habet requisita, fluunt dicta. Quapropter tam Newtono, quam Bernoullio, obstrictus Joannes Rizzetti in Opere, cui titulus: De luminis affectionibus Specimen physico-mathematicum, in duos Libros divisum, editum Turvisi A. 1727. Ex iis igitur, quae modo commemoravimus, satis elucet, Cel. Kahlium non titulos librorum solum exhibuisse nobis, sed applicasse genuina Philosophiae decreta ad libros rite dijudicandos, atque hoc Commentario suo manu quasi duxisse lectores ad cognitionem sapientiae penitio-rem. Quae opera eo utilior accidit, quo magis de rarissimis Philosophorum Codicibus, a se ipso inspectis in Anglorum, Gallorum, & Batavorum, Bibliothecis, fecit mentionem.

**VIRI ILLUSTRIS, GODOFREDI GUILIELMI LEIBNITII, Epistolae ad diversos. Volumen quartum & ultimum. Edidit, & Disputationem de Philosophia Leibnitii, Christianae religioni haud pernicio-
sa, praemisit, CHRISTIANUS KORTHOLTUS,
M. A. S. R. M. Danicae Legat. Viennensis
V. D. M.**

Lipsiae, sumtu Bernh. Christoph. Breitkopfii, 1742, 8.
Alph. 1 plag. 15.

Editori S. Rev. laudi hoc ducendum est, quod Volumine hoc ipso institutum suum ad finem perduxit. Restare tamen spicilegia arbitramur, siquidem certi sumus, latere passim literas, a Leibnitio datas, necdum in lucem emissas. Abiit inter haec Cel. Editor in Academiam Gottingensem, Theologiam ibi do-
Aurus,

- aurus, publicæque doctrina comprobaturus, quantam ex Phi-
 losophia *Leibnitiana* ceperit utilitatem & frugem. Sed ad
 rem ipsam nos convertamus oportet. In Dissertatione præmissa
 Cel. Editor docet, merita *Leibnitii* in eruditionem univèrsam
 existare, nec a quoquam in dubium revocari, licet de ejus Phi-
 sophia eruditi maxime diversa pronuntient ratione, ex quo
 lites ob Philosophiam Perill. *Christiani Wolfii* exortæ sunt. De
 hypothèsi harmoniæ præstabilitæ benigne magnificeque sensisse
 Diarii Trevoltiensis Autores & *Jaquetotum*, constat. Perplac-
 cent hæc Editoris: *Quam saepe evenit, ut quis, philosophica
 metodo atque demonstrationi non assuetus, Philosophi alicujus
 dogmata secus, ac par erat, interpretetur, illaque Scripturæ sa-
 cræ inimica declaret, quæ tamen, si rite explicentur, ad de-
 fendendam religionem Christianam maxime faciunt. Multum et-
 iam valet autoritatis præjudicium, & difficulter a nobis impe-
 tramus, ut a viris summis, quos vel patronos, vel præceptores, ve-
 neramus, dissentiamus, qui systema aliquod philosophicum judi-
 cio suo damnarunt. Ipse autem existimat, non esse, quod ab
 illa Philosophia *Leibnitiana* sibi metuant, qui sanctissimæ no-
 stræ religioni bene cupiunt. Ostendit enim, in ea libertatem
 omnem haud tolli, sanctitatem summi Numinis haud lædi, nec
 Christianam religionem everti. Distinctam certe *Leibnitius*
 notionem de libertate dedit, eamque in *Theodicaa* propu-
 gnavit, indifferentia æquilibrii proscripserat. Electio optimi haud
 infert fatalem brutamque necessitatem, sed eventum certum
 ponit. Præscientia futurorum contingentium certa & divina id
 ipsum loquitur. Miramur cum Cel. Editore, *Warburtonum*,
 qui summi & Philosophi & Poetæ *Alexandri Pope de Homine*
 observationes adversus *Crusazii* argumenta, in contrarium ad-
 ducta, egregie defendit, Philosophiæ *Leibnitianæ* id tribuere,
 quod ad fatalem ducat necessitatem, ob sententiam de mundo
 optimo divinitus electo, quasi inde sequatur, Deum necessa-
 rio mundum creasse. At quis audet pronuntiare, mundum
 optimum unicum & unice creati potuisse? *Leibnitius* certo plu-
 res mundos possibiles & producti contingentiam copiose vindi-
 cavit. Causam agit Cel. Editor electi creatique mundi optimi,
 ex*

ex sapientia Dei deductam. Deinde defendit universalitatem principii, *nihil fieri sine ratione sufficiente*, dictantis. Illos certe, qui, eam aliquid habere dubitationis, putant, quædam casu, & quidem absolute tali, evenire, defendere oportet, & quod consequens est, ipsi libertati parum consulunt. Eos, qui Philosophiæ *Leibnitii* tribuunt libertatis everfionem ob latentem in ea necessitatem, ex antecedente & prædeterminata causa manantem, sibi ea persuadent, quæ systemati haud insunt, judicante *Bulfingero*. Libertatem in hypothesi harmoniæ præstabilitæ perflare salvam, *Cel. Autor* demonstrat. Idem docet, falso existimari, *Leibnitium* propterea hunc mundum appellasse optimum, quoniam in eo est malum. *Leibnitius* enim ita sensit: *Mundus, id est, series contingentium omnium præsentium, præteritorum, atque futurorum, optimus est, quoniam ab Ente sapientissimo conditus; neque optimus esse desinit, licet in eo sit malum, cum & mala ab ente sapientissimo in optimum finem dirigantur.* Idem tuetur *Joannes Gerhardus*, immo *Paulus Rom. V, 15-21*. Sunt, qui putant, *Leibnitii* Philosophiam favere Theologiæ naturali introducendæ, ac refragari operationibus Spiritus Sancti immediatis. Noster e contrario docuit solide, *Leibnitium* admisisse ea, quæ sunt supra rationem, assurrexisse divinitati Scripturæ sacræ, docuisse, Deum trium, peccatum mortalibus hæreditaria ex labe insitum, *Ἰεσὺν Θεωπον* redemptorem Christum, miracula, operationes Spiritus Sancti, testimonium Spiritus sancti internum, virtutesque Christianas, naturalibus longe excellentiores, dari & existere. Concidit itaque suspicio de Naturalismi, a *Leibnitio* propugnati, larva. Contendit posthæc *Cel. Editor*, nullum *Leibnitii* dogma ducere per sese ad Naturalismum. Negat, *Leibnitium* Deo vim denegasse movendi corpora. Hunc a negandis Dei operationibus alienum fuisse, demonstrat, simulque *Leibnitii* sententiam de harmonia universali prædefinita exponit. Monet, scriptum, cujus index est *Anti-Jacobita*, a *Leibnitio* haud fuisse elaboratum, ac sese insciente *Vol. III pag. 401-408* insertum, seque ignorare, quo errore conspectus Epistolarum *Leibnitii* ad *Jacobum Thomasmium*, quem *Lipsiam* miserit, fuerit omissus. Segregare

Pag. 21.

22.

23.

30.

39.

43.

55.

- ab hoc fasciculo in præfens noluit Epistolas *Jo. Georgii Eccardi*, ad parentem ipsius missas, quæ quippe observationes de *Leibnitii* vita atque scriptis lectu dignissimas complectuntur. Ignorat, ubi parentis sui literæ, ad *Leibnitium* datæ, lateant. Apparent in hoc *Volumine* 1) Epistolæ mutæ *Leibnitii* & *Bierlingii*, Professoris Rintelensis; 2) *Leibnitii* annotationes in *Marii Nizolii Antibarbarum philosophicum*; 3) Addenda ad Epistolas *Leibnitii* ad *M. G. Hanschium*; 4) Epistolæ *Eckhardi* ad *B. Seb. Kortboltum*; 5) *Leibnitii* & *Drieschii*, Colonienfis, Epistolæ mutæ; 6) Epistola *Leibnitii* ad *Stockmannum*, Prof. Helmstadiensem; 7) *Leibnitii* Observationes de principio juris; 8) Epistola *Leibnitii* ad *D. Gackenboltzium*; 9) Dissert. *Leibnitii* de Nummis *Gratiani* Aug. cum gloria novi Seculi; 10) Cogitata ejusdem de requisitis Regum ratione juris Gentium, Germanice conscripta; 11) Ejusdem Epistolæ 2 ad *Franciscum Theodorum Kohlium*; 12) Ejusdem Epistolæ 12 ad *Simonem Læsterum*, S. S. Th. Lic. & Ecclesiasten Lipsiensem; 13) ac Epistolæ 24 ad *Frid. Sim. Læsterum*. Excipiunt hæcæ dapes fercula alia haud minus exquisita. Succedit 14) Hypothesis physica nova, qua phenomenon naturæ plerorumque causæ ab unico quodam universalis motu, in globo nostro supposito, neque *Tychonicis*, neque *Copernicanis*, aspernando, repetuntur, autore *Leibnitio*. Sequitur eam 15) Epistola *Leibnitii* ad *Benedictum de Spinosâ*, cum hujus responsoria. Deinde subjiciuntur libelli ac literæ *Leibnitii*, quibus lingua Gallica fuit dicata. Conspiciuntur hic 16) literæ *Leibnitii* ad *Pinsonium* de novis literariis; 17) ac Epistola ad eundem de diversis, ad rem literariam spectantibus; 18) Epitome literarum *Leibnitii* de origine glaci, & *Cartesiana* existentie Dei demonstratione, per *R. P. Lamy*, Benedictinum, adornata; 19) Commentatio *Leibnitii*, qua judicat de calculo differentiali; 20) Epistola de eis, quæ in Elogio *Bernoullii* in *Leibnitium* coram Academia Scientiarum Parisiensi fuerant recitata; 21) Annotatio *Leibnitii* in locum *Ephemeridum Trevoltienfium Mensis Martii A. 1704*; 22) Animadversiones ejusdem in Epistolam 6 philosophicam, *Trevoltii A. 1703* editam; 23) Epistolæ mutæ *Leibnitii* ac *Hartfackeri*; 24) Annotationes *Leibnitii*

nitii in horologia; 25) Cogitata *Leibnitii* de *Lockii* libris de *Intellectu humano*, ac tandem 26) demonstratio succincta erroris memorandi, quem admisit *Cartesius* cum aliis, legem quandam naturæ spectantis. Hæc est summa hujus *Voluminis*, ejusque argumentum. Poteramus hic jure quodam nostro con-quietescere, ac Cel. Editori Dissertationis præmissæ, quam *Minerva* & *Charites* amplectuntur, laborem, quo perfundus est summa cum laude, gratulari. Ne quis vero suspicetur, nobis haud esse curæ eruditionem omnium, eam ob causam ex gratissimis hisce mellificiis unum alterumque delibabimus favum, promulsidem daturi Lectoribus aliquam potius, quam nullam. *Petri Belii* fata *Leibnitius* recenset potiora, suspicatus, ipsum extitisse Autorem scripti: *Avis important aux refugiez*. Solidum est hoc de *Belio* judicium: *Vellem, is ingenii opes magis ad stabiliendas veritates profuturas, quam captandos hominum liberiorum plausus, adhibuisset; minus inde lucri bibliopole, sed plus auctori laudis solida & vere quietis, accessisset*. Ducem *Lauenburgicum* a nece, *Gustavo Adolpho* ad *Lutzenam* illata, absolvit. Puellam *Aurelianensem* fuisse subornatam, putat improbabile. Habet eam pro enthusiastica. *Cartesium* & *Hobbesium*que veterum & recentiorum scripta multa legisse, monet, ac priorem Philosophiæ scholasticæ operam dedisse, addit. *Lockii* librum minus probat. *Grotium* res *Suecorum* male tractasse, inficiatur. *Hobbesium* omnino favere despotismo, negat. *Campanellam* in vincula fuisse conjectum, haud ob libellum de *Monarchia Hispanica*, sed ob suspicionem molitionum, *Bierlingius* tandem largitur & demonstrat. Singulare est judicium *Leibnitii* de *Puffendorfia* pag. 7, 14, & 41, cujus ille moralitatem duntaxat subjectivam reprehendit ac refellit merito. Necessarias ideas *Leibnitius* ex principiis menti insitis, non ex sensationibus extrinsecus evenientibus, deduxit. Notat *Lockium*, quod immaterialem animæ naturam per cuniculos subruit. Addit *Leibnitius*: *Inclinavit ad Socinianos, (quemadmodum & amicus ejus, Clericus,) quorum paupertina semper fuit de Deo & mente philosophia*. De *Baronis Lattontanii* fide, quantum ad *Canada* densia attinet, *Leibnitius* magnificentius politiusque videtur sensisse,

Pag. 5.

7.

11.

15.

- pag. 25. sensisse, quam verius. *Cartesii* argumentum, quo, existere Deum, ex ideis comprobatur, explet, &, jam olim ab *Anselmo*, Archiepiscopo Cantuariensi, adhibitum fuisse, docet. De origine ludorum, quos torneamenta vocant, nil certi definit. De autore *Sevarambiorum historia* nil certi habuit exploratum. Novimus vero, eum fuisse *Pfeifferum* quendam, muneri ulli haud admotum, Brunsvici apud fratrem Ecclesiasten ad *S. Catharine* diu commoratum, Gallicæ linguæ peritissimum, Theologiae olim candidatum. Naturam spirituum multo notiolem credit, quam corporum. *Barclaji Argenida* collaudat. Romanicos bonos sibi haud displicere, pronuntiat. Scriptores veteres quo minus contemnantur & notentur, intercedit. Spiritus creatos omnes corpusculo, vel corpore, indutos esse, putat, organico. *Monzambanum* jussu *Caroli Ludovici*, Electoris Palatini, fuisse scriptum, fatetur. *Monzambani*, *Cocceji*, &
41. Ill. *J. P. de Ludewig*, sententiam, quæ, extincta familia *Carolina* Principes territoria sua Regi recens electo in feudum obtulisse, refert, ab historia abhorrere, arbitratur. Historiam literariam credit esse utilem. Addit vero solide: *Sed hodie multi in ea nimis occupantur cum detrimento cognitionis rerum.* De *Evremonio* judicium habes pag. 42 seq. De *Buddei* moralitate subjectiva, ac Dissert. in *Theologicam* directâ, *Leibnitius* judicium tulit pag. 60, 70. De primo & universali principio *Thomasiani* Juris naturæ ita sentit: *Hoc primum principium ego non admitto, quia omnia restringit ad hanc vitam brevem & mox finientem, nulla ratione habita vite æternæ.* *Leibnitium* de *Theologia Sinesium* scripsisse *Commentationem*, ex *Eccardi* literis patet.
121. *Hirros* & *Scyros* ad *Kilonium* habitasse quondam, nemo accredit *Eccardo*. De *Continuatoribus Schatenii Drieschius* pauca attulit, haud negligenda. De exitu missionis sacræ *Jesuiticæ* in *Chinam* vaticinatus fuit *Leibnitius* pag. 163. De scientia botanica rite comparanda & digerenda suavit *Leibnitius* sane ea, quæ sunt exquisita. Carmina *Sibyllina* non prorsus a *Quindecimviris* conficta esse, putat ob testimonium *Dionis de Augusto*. De *Walenburgiis* fratribus egregia docet, alibique incognita, pag. 243. De controversia *Terministica* solide judicat pag. 269. Sed hæc suffecerint in præfens.

NOVA LITERARIA.

Excuditur Hafniæ, & ab initio fere hujus anni sub prelo Orphanotrophei Regii sudavit, Opus historico-literarium, in suo genere plane excellens, neque doctis incognitum, quippe quod jam dudum multi, tam indigenæ, quam exteri, non languidis desideriis exoptarunt. Est illud *Joannis Molleri, Flensburgensis, Cimbria literata*; cujus Autor jam olim celebre in Republica literaria nomen, editis *Isagoga ad Historiam Chersonefi Cimbrica*, *Homonymoscopia literaria*, *Bibliotheca Septentrionis eruditi*, *Diatriba historico-critica de Helmoldo*, nova & auctiore *Polyhistoris Morbofiani* editione, variisque Schediasmatis, *Novis literariis Maris Baltici*, aliisque eruditorum Diariis, insertis, consecutus est, atque nemini, nisi qui Historiam literariam nimis mediocri diligentia coluit, vel potius in ea plane hospes est, ignotus esse potest. Prodiit quoque *de Vita insignis illius Viri*, A. 1725 die 20 Octobris fato functi, atque *scriptis* ejus, Commentatio, cura filiorum *Bernhardi & Olai Henrici*, Slesvici A. 1734, 4. Operis autem, de quo loquimur, inscriptio, qua frontem ejus exornare Autor olim decreverat, ejusmodi est: *Cimbria literata, sive Historia Scriptorum Ducatus utriusque, Slesvicensis & Holsatici*, (quibus *Lubecenses etiam & Hamburgenses merito accensentur*), *literaria tripartita, tres circiter illorum exhibens Ciliadas & Centurias quatuor; Opus assidua 44 annorum congestum industria, & a temporibus, quorum memoria superest, antiquissimis ad Seculi usque ære Christianæ XVIII initia continuatam*. Sed notandum hic, re vera continuatum esse, & reperiri ultra annum 1720. Dividitur, ut in titulo legitur, in *tres Partes*; quarum *prima* bis mille & aliquot Centurias comprehendit *Vitarum Scriptorum indigenarum*, hoc est, in Ducatibus Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ, Ditmarsæ, Wagriæ, Hamburgi, Lubecæ, &c. natorum; *secunda adoptivos* sistit, mille & amplius, sive exteros in Cimbria, cunctisque, quas enumeravimus modo, ejus partibus, aut publicis functos muneribus, aut diutius in eis commoratos; *tertia* vitas exhibet longiores *Scriptorum Cimbriæ præstantiorum*, partim primi, partim secundi generis, hoc est, partim indigenarum,

partim adoptivorum, quæ ob ingentem de iis dicendorum copiam *Partibus* præcedentibus inferi non potuerunt. Singulæ *Partes*, quarum *prima*, ut diximus, jam sub prelo est, 200 minimum folia implebunt, sive paginas majoris formæ ultra 800, ita, ut totum vix 600 foliis absolvi queat, ad 700 plagulas in folio forte exfurrecturum: utque adeo necesse fuerit, in *tria* illud *Volumina* distribuere. Absolvetur sine dubio *primum Volumen* hac æstate; reliqua vero *duo* intra annum, ut speratur, verentem. Profitetur sese Autor in hoc Opere concinnando annos quadraginta quatuor consumsisse (quod per intervallum cetera tamen scripta sua, supra enumerata, elaboravit ac edidit, multaque alia affecta bonæque frugis plena in scriniis reliquit, Vir incomparabilis industriæ laborisque indefessi); ex his 44 annis decem & novem colligendæ materiæ, ad *Cimbriam literatam* exstruendam necessariæ, viginti quinque vero collectaneis partim nonnihil augendis, partim etiam in ordinem redigendis, & stilo elaborandis, tribuit. Quod ad subsidia attinet, quibus usus est, post Bibliothecas *Hamburgenses* atque *Hafnienses*, publicas & privatas, ex quibus, aliquot annos in utraque urbe commoratus, apis instar amplissima collegit excerpta, magno ei adjumento fuit epistolarum commercium, quod cum viris doctissimis diligentissime coluit. Acceperat jam olim symbolas egregias a *Marquardo Gudio*, *Petro Axenio*, *Olao Borrichio*, *Christiano Kortholto*, *Dan. Georg. Morhofio*, *Vincentio Placcio*, *Frid. Utr. Calixto*, *Esdra Edzardo*, *Ottone Sperlingio*, *Trogilto Arnkielio*, *Jo. Mothio*, *Ulrico Winckelio*, *Christophoro Kraheo*, *Jobo Ludolpho*, *Christ. Franc. Paulini*, *Conr. Sam. Schurzfließio*, *Wilb. Ern. Tenzelio*, *Achille Dan. Leopoldo*, aliisque. Epistolas vero plurimas reliquit, ad se scriptas, quibus itidem adjutus fuit ab *Ottone & Jo. Burch. Menckenis*, *Jo. Franc. Buddo*, *Henrico Busnagio*, *Petro Baylio*, *Jo. Clerico*, *Jo. Alb. Fabricio*, *Jo. Fabricio*, Abbate & Theologo Helmstadiensis, *Jo. Christoph. Wolfio*, *Godofr. Guil. Leibnitio*, *Henr. Muhljo*, *Jo. Andr. Schmidjo*, *Seb. Kortholto*, *Christoph. Wolterckio*, *Nic. Wilkensio*, *Jo. Melch. Kraffio*, *Severino Lintrupio*, *Mich. Richey*, *Petro Terpagero*,
Andr.

*Andr. Kellinghusio, N. H. Gundlingio, Burch. Gottbelf Seru-
vio, & variis aliis, quos enumerare longum foret. Quod ve-
ro præcipuam ejus laudem constituit, versatus est in hac scri-
ptione B. Autor non solum incomparabili diligentia, & o-
mnium, in simili Radio decurrentium, ἀκριβειῶν exsupe-
rante cura & sollicitudine, sed & admirabili fide, candore, sin-
ceritate, omnis partium studii & προσωποληψίας experte:
ita ut audeamus dicere, nullum unquam Historiæ, sive lite-
rariæ, sive ecclesiasticæ, opus huc usque in ulla gente conspe-
ctum fuisse, aut in lucem exiisse huic simile, &, sive copiam
spectes & amplitudinem, sive ἀκριβειῶν & perfectionem, sive,
quod summum est, libertatem in recensendo, judicando, & ve-
ritate (citra amorem, odium, studium partium, & cetera Histo-
ricorum vitia,) proferenda, huic comparandum. Quæ etiam
causa fuit, cur Autor haud voluerit cogitationem suscipere de
illo, dum ipse in vivis esset, evulgando, sed moriens id filiis com-
mendaverit. Et jam tot anni ab excessu ejus præterierant, fru-
stra desiderantibus doctis ejus publicationem, ob varias, quas
enarrare nihil attinet, rationes suspensam & prorogatam; do-
nec nuper patronus insigni huic thesauro obtigit, Vir nempe
Illustriss. & Excellentiss. Dominus Jo. Ludovicus ab Holstein,
Regiæ Majestati Dan. & Norv. a Consiliis conferentiarum & sta-
tus intimis, secretiori Regis Consilio adscriptorum primus,
Eques auratus, supremus Status & Cancellariæ Daniæ Secreta-
rius, Ecclesiarum per Daniam & Norvegiam Inspector gene-
ralis, Collegii de propaganda Fide Præses, Universitatis Regiæ
Hafniensis Patronus. Is nempe Heros, pro inexstimabili, quo
fertur ad artes, scientias, bonasque literas, provchendas, ardore,
curam laudati Operis suscepit, idque Flensburgo huc allatum,
prelo Orphanotrophei Regii, cui ipse supremus Director præ-
est, subjici jussit. Excuditur igitur summa fide, nullo apice
immutato, nullaque omissa, aut expuncta, syllaba, curam corre-
ctionis foliorum gerentibus, qui satis huic rei prospiciunt, in
quibus & B. Autoris filius, *Olaus Henricus Mollerus*, juvenis
eruditus, & parentis vestigiis in excolenda Historia literaria ma-
gnis progressibus insitens, ita ut similia ab ejus industria ali-
quando*

quando possimus expectare. Non dici sane potest, quanta bonarum rerum feges in thesauro isto habeatur, non solum Historiæ *literariæ*, sed & præsertim *Ecclesiasticæ*, (quæ profecto insignia ex hoc capiet incrementa,) addimus & *Politica*, seu *Civilis*, curiosis studiosisque profutura. Tacemus de scientiis reliquis. Eminent hæc dotēs cum in præcedentibus duabus, tum præcipue in *tertia Parte*, qua insignis numerus comprehenditur *Scriptorum*, partim *Cimbriæ indigenarum*, partim *adoptivorum*, longiore multo, quam in prioribus, narratione descriptorum. Præter enim ista, quæ communia habent hæc narrationes de vitis Autorum cum iis, quæ in prioribus exstant, fata singulorum multo operosius descripsit, ac controversiarum actionumque, tum ecclesiasticarum, tum civilium, quorum pars magna fuerunt, historiam accuratam & memorabilium rerum plenam pertexuit. Notitia quoque adversariorum, qui scripta Autorum enarratorum vel illustrarunt, vel oppugnarunt, cum aliis quamplurimis notatu dignis, ut se offerunt occasiones, in digressionibus, hinc inde interjectis, ad summam, quæcunque de fatiis, virtutibus, nævis, &c. eorum erui potuerunt, accurate exponuntur. Ita factum, ut vita *Georgii Calixti* sola magnum foliorum numerum impleat; *Morhofii* autem illa, alias *Polyhistoris* in editione anni 1708 præmissa, tot aucta sit accessionibus, ut tertia fere parte major in *Cimbria literata* conspiciatur. Enumerabimus nonnullos eorum, quorum vitas tam fuscè Noster, nonnunquam in prioribus, maxime vero in *tertia illa Parte*, persecutus est. Sunt in eis *Adalgarius*, *Adamus Bremensis*, *S. Ansbarius*, *Leo ab Aitzema*, Historicus ille Batavus, *Gerhardus Blasius*, celebris olim Medicus & Anatomicus, *Antoinette Bourignon*, *Tycho Brahe*, *Olaus Borrichius*, *Joannes Bugenhagenus*, *Georg. Calixtus*, *Clemens II. Papa*, *Jo. Cluverus*, *Esdraus Edzardus*, *Georbarus Elmendorstius*, *Vincent. Fabricius*, *Jo. Frid. Gronovius*, *Marquardus Gudius*, *Janus Guilielmus*, *Helmoldus*, Presbyter, *Abrah. Hinckelmannus*, *Christianus Hübnyus*, *Lucas Holstenius*, *Joach. Jungius*, *Jo. Kirchmannus*, *Christianus Korbholtus*, *Alb. Kranzius*, *Jo. de Labadie*, *Petrus Lambecius*, *Frid. Lindenbrogius*, *Stanislaus Lubienzius*, *S. Ludgerus*, *Ericus Mauritijs*, *Henricus*, *Jo. Henricus*, & *Marcus Meibomii*, *Dan. Georg. Morhofius*, *Petrus Musæus*, *Jo. Oldendorpius*, *Adam. Olearius*, *Jo. Nic. Poeblinus*, *Aug. Pfeifferus*, *Vinc. Placcius*, *Samuel Rachelius*, *Henr. Rantzovius*, *S. Rembertus*, *Anna Maria Schurmannia*, *Menno Simons*, *Otto Sperlingius*, *Laur. Savius*, *Conradus Vorstius*, *Mattias Wasmuthius*, *S. Willebrordus*, *Joannes Wowewius*



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno MDCCXLIII.

Pars II.

ANNALES MINORUM, SEU TRIUM ORDINUM, a S. Francisco institutorum, Autore A. R. P. LUCIA WADDINGO, Hiberno, S. T. Lectore Jubilato, & Ordinis Chronologo. Editio secunda, locupletior & accuratior, opera & studio R. P. JOSEPHI MARIE FONSECA AB EBORA, Ord. Minor. Scriptoris & Ex-Generalis, S. & Univers. Inquisitionis Consultoris, Sac. Congreg. Consistor. Vocantis, Episcoporum Examinatoris, & apud S. Sedem tractandis Lusitanis rebus Præfæcti, &c.

Tomus XVI.

Romæ, typis Rochi Bernabo, 1736, fol.

Alph. 7 plag. 20.

Tomo hoc XVI ea continentur, quæ inde ab A. 1516 usque ad 1540 in Ordine Minorum memorabilia contigerunt. Pag. 1 seq.

Anno igitur 1516 in Concilio Lateranensi privilegia Mendicantium sunt confirmata; sacer *Elisabetha*, Regina Lusitanæ, nec non Martyrum, Septæ in Africa interentorum, cultus a Pontifice concessus; decessit *Ferdinandus*, Rex Hispaniæ, quo mortuo, imperii gubernacula suscepit *Franc. Ximinius*, eo munere fide summa & prudentia perfunctus; obiit frater *Estuniga*, incorruptæ probitatis Minorita; duo celebrata sunt generalia Capitula.

Xxx

Capitula.

- Pag. 23. Capitula, alterum Observantium Ultramontanorum in Conventu Rothomagensi, alterum Conventualium in Lompadia Cispadana oppido Cherio. A. 1517 in Hispania factis concessio-
 . ibid. vir prorsus summus, *Franc. Ximinius*; totius Ordinis Comitibus generalia celebrata sunt ad Aram Coeli; Observantium cum Conventualibus diffidia sopita sunt; Minister totius Ordinis generalis electus est *Christoph. Numajus*, Foroliviensis; idem *Numajus* e manu Pontificis sacram purpuram accepit; duæ confraternitates in honorem B. Virginis sunt confirmatæ; vita abierunt *Jac. Ungarellus*, *Thomas a S. Antonio*, *Laurentius a Rapariegos*; sancta virtute floruit *Martinus a Valentia*. A.
 32. 1518 habitum est Capitulum Ordinis generale, in quo Minister generalis factus est *Francisc. Lychetus*, Brixienfis; variæ
 41. Provinciae novæ constitutæ; obierunt *Didacus a Lugo*, & *Ger. Sætelinus*. A. 1519 vita excefferunt *Maximilianus Imperator*, & *Jouannes de Quevedo*, Episcopus Dariensis; inter Sanctos receptus est *Franc. a Paula*; *Leo* Pontifex Cruciatam indixit; *Philippa*, Regina Siciliae, Clarissis sociam se præbuit; celebratum est Bononiae Capitulum generale Patrum Conventualium. A. 1520
 48. 60. 61. *Luthero*, (quem monstrum horrendum, ingens, cui lumen ademtum fidei, scelestissimum blateronem, impostorem, pseudopphetam mendacem, morionem pocularium, thrafonem intolerabili fastu turgentem, hic vocari, quid mireris?) in sacrorum emendationem jam intento, vehementissima scripta opposuerunt in
 64. 69. 73. Germania Minoritæ duo, *Augustinus Atveldius*, Lipsiensis doctor, & *Thomas Murnerus*; a Cumanis frater *Dionysius* & Dominicani duo sunt occisi; floruerunt *Georg. Quadra*, variis peregrinationibus illustris, *Thomas Illyricus*, *N. Gallierus*, *Paschalis e Castelluccio*, *Elisabetha Gonzalez*, *Etvira a Villa Sica*,
 75. 80. 81. *Francisca*, *Maria*, & *Beatrix Gereæ*; Burdigalæ celebratum est Capitulum Ordinis intermedium; Vicarius generalis, *Lychetus*, in Hungaria decessit, cui substitutus est *Paulus Concinas*,
 . ibid. Provincialis Mediolanensis; floruerunt *Nic. Malpigerus*, & *Franc. de Liardo*. A. 1521 Carpis in Lompadia Cispadana celebrata sunt generalia Ordinis Comitibus; Hispaniæ datus est peculiaris Commissarius generalis; in Polonia scripta *Lutheri* combusta
 94 seq. 95. 96. 97. 98. 101. 103. 105. 109. 117. 118 seq.

busta sunt, hujusque partes ipse Cruciferorum magister am- Pag. 122.
 plexus est; nova tertii Ordinis regula confirmata; obierunt *Leo* 127.
X Pontifex, & *Ludovica a Crule*. A. 1522 supremum Eccle- 130 seq.
 sia regimen commissum est *Alexandro VI*; ad Mexicanos missi 135.
 sunt tres Belgæ, propagandæ inter illos doctrinæ purioris cau- 138.
 sa; mortui sunt *Petrus Melgarius*, & *Ruffinus Lupatus*. A. 1523 139.
 e vivis excessit *Soncinus*, Minister generalis, cui in Capitulo ge- 145.
 nerali Observantium successor datus *Franciscus ab Angelis Quin-*
monius; adversus *Lutherum* Inquisitores nonnulli nominati sunt; 146.
 Capitulum generale Assisi habuerunt Patres Conventuales; in 157.
 novam Hispaniam missi sunt duodecim Minoritæ; novum Mi- 158 seq.
 noritarum genus, nomine *Recollektorum*, auditum; mortuus est 167.
Adrianus Pontifex; in litore Coromandelio Indiæ Orientalis in- 171.
 ventum est corpus *S. Thomæ*, Apostoli, Goam translatum; 175.
Lutheranorum progressus morari conati sunt Minoritæ in Polo- ibid.
 nia & Lituania; decesserunt *Franciscus Brixienfis*, & Protector 176.
 Ordinis, *Grimanus*, cui in dignitate *Andreas de Valle* succes- ibid.
 sit; insula Rhodiorum expulsi Minoritæ. A. 1524 miro suc- 181 seq.
 cessu puriora sacra in Indiam illata sunt; frustra in Saxonia *Lu-* 186.
thero se opposuerunt Minoritæ: quæ cum refert Autor, ita ille
 de Saxonia nostra: *Nemo tam faveo impio huic Apostata, quam*
Fridericus, Saxonia Dux; neque alibi tot pullularunt mala, cæ-
des, & turba, ex insani hujus berysarchæ doctrinis, quam in Sa-
xonia. Porro hoc anno e vita migrarunt *Petrus a Corduba*, 192.
Joannes e Ponte veteri, *Ludovicus*, Anhaltinus, & *Maria Sua-*
rez. A. 1525 inter Indos variis modis causa Dei confirmata; 199 seq.
 in Hispania Mauros vis externa ad amplectenda puriora sacra 203.
 compulsi; floruit *Joannes de Olmillos*, & *Mattheus a Messu-* 206. 207.
raca; obierunt *Joannes de Aora*, *Alphonsus Sartor*, *Ambrosius*
Mediolanensis, & *Amandus Zierixiensis*; *Matthæus a Bossio*, dis-
 sentientibus non paucis, autorem se præbuit Congregationis
 Capuccinorum. A. 1526 in Bndensi Helvetiorum oppido pu- 223 seq.
 blica adversus *Zuinglium* & *Oecolampadium* disputatio instituta
 est a *Jo. Fabro*, *Jo. Eckio*, & *Thoma Murnero*, Minorita; Con- 226.
 gregatio Observantium generalis instituta est Assisi, ibidemque
 sex Definitores generales creati; inter Cæsarem & Pontificem 228.
 dissidia

- diffidia suborta; quæ prudentia *Quinonii* primum sopita, post-
 Pag. 230. ea vero denuo suscitata sunt; magna Hungarorum in pugna
 235. Mohaciana clades fuit; decessit *Franciscus a Caracoto*; floruit
 ibid. *Dionysius Paleottus*. A. 1527 urbs Romana ab exercitu Im-
 240.243. peratoris oppugnata & direpta; Pontificis & Imperatoris animi
 247. conciliati; nonnulli ex Minoritis ad Indos missi; vitam posue-
 ibid. runt *Margareta*, fundatrix domus *S. Agnetis Fulginatensis* ter-
 248. tii Ordinis, *Casp. Schatzgerus*, primus Minister provinciæ Ar-
 250. gentinensis, & *Hieron. Magnus*, Episcopus Vastanus. A.
 255. 1528 purpuram accepit *Quinonius*, Commissarius Apostoli-
 260. cus; e vita abierunt Cardinales *Numajus*, *Franc. Merot*, *Bo-
 nov. Firmanus*, & *Jo. Navarretus*; mire crevit Ordo Capucci-
 264 seq. norum, a *Matthæo Baffio* institutus. A. 1529 altæ radices
 271. egit inter Indos doctrina Christiana; generalis totius Ordinis
 272. Vicarius factus est *Antonius de Calcena*, cui, cum in morbum
 278. gravem incidisset, substitutus est *Pisottus*; primum suum Ca-
 pitulum in agro Fabrianensi celebravit Ordo Capuccinorum,
 primumque Vicarium generalem *Matthæum e Baffio* elegit; in
 281. vivis esse desit *Petrus a Guardia*; multi a Turcis Minoritæ
 282.289. trucidati. A. 1530 dies festi, nomini *Jesu* & *B. Catharinae Bo-
 290. noniensis* sacri, instituti; obiit *Innocentius Carpensis*. A. 1531
 291.300. Capuccinorum Ordo a *Pisotto* valde afflictus; turpes *Henrici
 304. VIII*, Regis Angliæ, amores scripto publico *Nic. Herbornus* per-
 strinxit; mortui sunt *Angelus Pincianus*, *Paulus a Fossa Clodia*,
 305. *Matthæus e Leopoli*, *Albertus Marchesius*, *Innocentius a S. An-
 306. gelo*, *Christoph. Catanus*, *Joach. a Villalustorum*, *Robertus Stu-
 308 seq. arduus*, & *Bartholom. de Bassima*. A. 1532 novi Missionarii
 322. in Indiam ablegati; Tolosæ celebratum est Capitulum Ordi-
 nis generale, memorabile electione Commissarii generalis Ul-
 328. tramontani *Nic. Herborni*; alia Congregatio generalis Messanæ
 331. instituta; nova totius Ordinis reformatio tentata; martyrium
 ibid. inter Mauros subiit *Andreas a Spoleto*; placide defuncti sunt
Gabriel Muris, & *Bernardina Antonii*. A. 1533 inter Obser-
 337. vantes & Conventuales pax firmata; Ministri generalis munere,
 ob res male gestas, abire iussus *Pisottus*, in cuius locum a Cis-
 342. montanis *Benedictus Genejus*, ab Ultramontanis substitutus est
 Nic.

MENSIS SEPTEMBRIS A. MDCCXLIII. P. II. 533

<i>Nic. Herbornus; Genesio, paulo post mortuo, successit Leo-</i>	Pag. 346.
<i>nardus Publicius; B. Veridiana cultus religiosus decretus; mor-</i>	348.
<i>tui sunt Sixtus a Riparolo, Michael ab Angelis, Clara Rodriguez,</i>	349.
<i>& Maria Munnozia; in Africa martyrio honestatus est Damia-</i>	ibid.
<i>nus a Valentia. A. 1534 e vivis excefferunt Clemens VII,</i>	352.
<i>Pont. Max. cui succ. sūt Paulus III, Cardinalis de Valle, Ord-</i>	
<i>inis Protector, cujus munus Cardinali Quinonio collatum est,</i>	354.
<i>Paulus Piffottus, Minister olim generalis, Martinus de Valen-</i>	
<i>tia, primus Imperii Mexicani Prælatas & Apostolus, Hieron.</i>	366.
<i>a Mesuraca, & Joanna a Cruce; ab Ecclesia Romana se-</i>	367 seq.
<i>cessionem fecit, & excommunicatus est, Henricus VIII, R. Angl.</i>	
<i>vindictam in Minoritas exercens; Mediolani Capitulum gene-</i>	373.
<i>rale Patres Conventuales celebrarunt. A. 1535 vitam cum</i>	386 seq.
<i>morte commutavit Catharina, Regina Angliæ, cujus hic vita</i>	
<i>& tristissima fata copiose describuntur; inductum est in urbe</i>	395.
<i>Niciensi generale Observantium Capitulum, & aliud Capucci-</i>	403.
<i>norum in urbe Romana; floruerunt Henricus Regius, Jo. ab</i>	ibid.
<i>Aquisgrano, & Jo. a Daventria; mortui sunt Arnoldus u. S. Fe-</i>	
<i>lice, & Magdalena Budrisch, Comitissa Zironi. A. 1536 in ur-</i>	
<i>be Mexicana a Minoritis institutum est Collegium, erudiendæ</i>	406.
<i>juventuti dicatum; e vita migrarunt Magister Nuncius Angelus</i>	407.
<i>Fafellus, Conventualis, Conr. de Bendorf, & Bernardinus Geor-</i>	
<i>gius; floruerunt Gabr. de Tauro, & Hieron. Leopoltanus; in</i>	
<i>Capitulo generali Capuccinorum Vicarius generalis electus est</i>	
<i>Bernardinus Astensis. A. 1537 ab Henrico VIII, R. Angl. ca-</i>	
<i>pitis supplicio affecti sunt Jo. Forestus, Rich. Risbens, & Hugo</i>	419.
<i>Richaus; sacro concesserunt Benedictus Cremonensis, Gaspari-</i>	420.
<i>nus, Rogerus Bruletus, Marcus Tveatinus, Simon Ardeus, Lud.</i>	
<i>Rbeginus, Michael Aprustensis, Juniperus a Campo, & Franc.</i>	421.
<i>Titelmanus; a Capuccinis ad Observantes transit Matthæus de</i>	424.
<i>Buyio, primus Capuccinorum autor, quem securus est Lud. Foro-</i>	
<i>sempronianus; Romæ Capitulum generale Conventualium ha-</i>	425.
<i>bitum; Virginum Ursularum nomen primum auditum. A.</i>	
<i>1538 in novam formam reductum est Breviarium Romanum;</i>	429.
<i>ad Superos abiit Franc. de Gatta; Capitulum generale Capuc-</i>	435.
<i>cinorum celebratum est Florentiæ. A. 1539 Minoritas ad Chi-</i>	

- Pag. 444. chimecas, & Guatimalæ regionem, missi; a Joanne Calvo mons
 447. Pietatis in urbe Romana erectus; floruit Petrus Galatinus;
 449. diem suum obierunt Joannes Fabriunensis, Franc. Antonius,
 450. Petrus a Villanova, Jo. Fanensis, Bernardus Forosempronianus,
 460. & Donatus. Anno denique 1540 Franciscani ad Insulam Ceila-
 466. num missi; Cremonæ Comititia generalia Patrum Conventualium
 467. celebrata; fato suo functi sunt Paulus Raudatius, Petrus a Pa-
 468. dulis, Petrus Tudertinus, Jo. Alcozius, Theresia Garcia, Car-
 469. dinalis Quinnonius, Franc. Regis, Martinus a Turnhout, Jo. Byl,
 470. Hieron. Veratus, Jo. de Tomanis, & Angela Brixiana; Minori-
 tarum sacra amplexus est Salvator ab Orta. Accessit & huic
 Tomo Regestum Pontificium, varias Pontificum Bullas, ab A.
 1516 ad 1540 publicatas, continens.

THE MORAL PHILOSOPHER, &c.

hoc est,

*PHILOSOPHI, VERITATI MORALI INNITEN-
 tis, Volumen secundum, complectens ultteriores veritatis
 moralis & rationis vindicias, occasione duorum librorum,
 haud ita pridem evulgatorum; quorum alter hoc indi-
 ce est ornatus: Divina Veteris & Novi Testamenti au-
 toritas asserta. Inpersæ sunt speciales vindiciæ cha-
 racterum Mosis, Prophetarum, Jesu Christi, Serva-
 toris nostri, ejusque Apostolorum, ab injustis crimina-
 tionibus, & falsis ratiocinationibus, libri, The moral
 Philosopher inscripti. Autore JOANNE LELANDO.
 Alter ita est inscriptus: Eusebius, sive veri Christia-
 ni defenso, &c. per JOANNEM CHAPMAN-
 NUM. Autore PHILALETHE.*

Londini, venale est apud bibliopolas Londinenses &
 Westmonasterienses, 1739, 8.

Alph. 1 plag. 3.

Quod

Quod iis solenne esse solet, qui veritatem oppugnant, ut ne solidissimis quidem, contra se allatis, rationibus atque argumentis ab errore suo abduci se patiantur, eundem morem etiam a *Morgano* fervari, non sine dolore intelligimus. Licet enim cum *Lelandus*, tum *Chapmannus*, tum alii solida eruditione ornati viri, docte solideque ad ea, quibus Christianam religionem aggressus est *Morganus*, argumenta responderint, & quam lubrico fundamento nitantur, ostenderint; tamen neque hisce laboribus id effici potuit, ut ad saniores redigeretur mentem adversarius. Is enim desperatam suam causam magna cum audacia perorare infeliciter pergit; cujus rei testis est præsens, cujus epitomen exhibemus, *Volumen*. In eo statim sub Præfationis initium id queritur *Morganus*, quod *Lelandus* eum se professus sit, qui secundum rectam rationem de rebus ad religionem spectantibus judicare amet. Hoc enim asserto injuriam sibi fieri putat, quandoquidem & se odisse eum modum ait, quo de rebus ad religionem spectantibus iudicium nimis liberum fertur. Exiguam tantummodo inter se & *Lelandum* intercedere ait differentiam, in vario sensu, vocibus *rationalis* & *irrationalis* tributo, positam. *Lelandum* enim existimare, quod *Christianismus rationalis* necessario cum *Judaismo* sit connexus, & quod veritas ejus probari nequeat, si *Mosis* atque *Prophetarum* autoritas in dubium vocetur; quam vero sententiam falsam atque perniciosam esse affirmat. Crepare amplius *Lelandum* voces, *Christianismus*, *inspiratio*, *revelatio divina*, neque tamen distinctas illis vocibus notiones tribuere. Primum, quod *Lelandus* urget, principium, quod autoritas immediata divina est, imposturæ atque enthusiasti omnis fundamentum complecti, atque semper inde a condito mundo ad nostra usque tempora ita cum eo comparatum fuisse, criminatur. Per incredulitatem, si, quo *Lelandus* vult, sensu accipitur, nihil aliud intelligi posse putat *Morganus*, quam suspensionem iudicii in rebus dubiis, aut retentionem assensionis, si res non certæ satis & ad convincendum idoneæ videantur. Ipsi vero *Morgano* fides, ob quam homo fidelis dicitur, & quæ Deo grata temper est atque accepta, posita est in exercitio

Pag. 3.

4.

15.

17.

18.

tempe-

- temperantiæ, justitiæ, & pietatis, orto cum ex firma animi in Deo confisione, & ex arbitrio ejus pendendi voluntate, tum amplius ex constanti sensu potentiæ Dei, ejusque ad omnes actiones nostras præsentia. Eos, qui in doctrinis supranaturalibus tuendis adeo fervidos se præbent, audacter provocat, ut aperte atque sincere ostendant, quænam doctrinæ illæ sint, & qua ratione, quibusve principiis, rationi consentaneis, cum vera religione sint connexæ. Quæ deinde audacia, qua justam causam injuste aggreditur, conviciorum flumen gignit. Horum enim virorum rationes atque argumenta sophismata, fidem effugia, prudentiam timiditatem & ad tempus accommodationem, scientiam rerum divinarum ignorantiam audaciamque assumptam, vocare non erubescit.
20. Religionem claram esse, rationi conformem, intellectu facilem, & naturalibus hominum facultatibus, rationi & intellectui, quam maxime convenientem, adeoque ad eam probandam, aliisque commendandam, tantummodo id requiri, ut sobrie & sine partium studio in eam inquiratur, haud injuste quidem affirmat; quanquam non sine limitatione hæc sint accipienda; quando vero amplius religionem in amore atque timore Dei filiali, fraternoque hominum erga se invicem amore, qui quidem in exercendis officiis atque obligationibus, ex morali veritate atque justitia proficiscentibus, idque ex sensu & influxu continuæ potentiæ & præsentia Dei, inspectionisque actionum nostrarum, ab eo, tanquam remuneratore bonorum, & vindice malorum hominum, susceptæ, sese manifestat, positam esse asseverat, multum a recto veritatis tramite eum aberrare, quilibet, qui sensibus ad verum a falso discernendum præditus est, facile perspiciet. Hac occasione, cum varia de discrimine religionis & superstitionis secundum perversam suam mentem disputavit, tandem sub finem Præfationis generalem quandam querelam adversus eos subjungit, qui calamum contra ipsum strinxerunt, *Lelandum & Chapmannum*. Hisce enim duumviris illud exprobrat, quod eas res, quæ caput controversiæ constituunt, discutere neglexerint. Ad quas quidem res refert 1) controversiam de infallibilitate, seu immediata divina inspiratione, eorum virorum,
28. a qui-




Fig. I.



Fig. II.




Fig. III.



Fig. IV.




Fig. V.



Fig. VI.




Fig. VII.

a quibus S. Codicis libri sunt conscripti, quoad omnes eorum opiniones, sive quoad omnes res, quas nobiscum communicarunt, sive sint argumenti historici, sive morales, sive prophetici; 2) doctrinam de reali & essentiali discrimine, quod inter religionem naturalem & revelatam intercedit, & ut ostendatur, quænam illæ speciatim sint doctrinæ, quæ per miracula, a priori quadam rationali evidentia, aut connexionione cum notionibus intellectus, sejuncta, fuerint probandæ. Quas duas res si semper animo obversantes habeat, qui controversiam hanc expendit, eum facile de utriusque partis argumentis judicium ferre posse putat. Ipsum librum in *decem Sectiones* divisit, quibus introductionem, quam vocat, singularem præmisit, in qua de ea, quæ inter ipsum & *Lelandum* intercedit, differentia differit. Ubi quidem illud primum *Lelando* exprobrat, quod indicare neglexerit, quid per revelationem intelligat, & quæ sigillatim doctrinæ eadem contineantur. Deinde & illud taxat, quod definiendo non explicuerit, quid fidei vocabulum ipsi significet. Ipse vero *Morganus* existimat, *Lelandum* per fidem intelligere firmam certamque persuasionem, quod facta illa, resque inter Judæos atque Christianos gesta, quæ in libris Vet. ac Nov. Fœderis narrantur, speciatim vaticinia, miracula, apparitiones, & quæ sunt his similia, certa atque sine dubio vera sint. Ex quo illud sequatur, ut is, qui virorum, a quibus hi libri scripti sunt, fidem sigillet, revelationem omnem destruat, quandoquidem viri isti immediate inspirati, adeoque hoc in actu a Spiritu Sancto ab omni errore immunes servati fuerint. Ejusmodi vero firmam persuasionem fundamentum infirmum, precarium, atque incertum, vocare non erubescit. Neque hoc mirum cuiquam videri potest, qui secum perpendit, omnem adversarii laborem eo iterum redire, ut hominibus persuadeat, necessariam atque immutabilem veritatem, rationem, atque æquitatem rerum, principium istud constituere, ex quo certitudo rerum ab omni errore remota cognosci atque dijudicari debeat. Quod quidem ipse fatetur, eum, id principii loco per integrum librum a se positum, eoque laborem suum directum esse, ait, ut ostendat, naturalem atque revelatam

Pag. 1.

2.

3.

5.

- tam religionem, quoad argumentum principale, unam esse eandemque, neque alio modo, nisi methodo, qua proponantur, differre. Quæ cum ita sint, haud miramur, divinam auctoritatem, argumentumque illud, quod ex miraculis, a Christo perpetratis, ad doctrinæ, ab ipso propositæ, divinitatem probandam ducitur, prorsus ab ea rejici. Quæ a Theologis de revelatione traditur notio, quod scilicet in ea ex proponantur doctrinæ & officia, quæ hominibus, ejus ope destitutis, sine ea ignota sunt, captumque rationis omnem superant, eam in Novo Fœdere fundatam haud esse, audacter pronuntiat. Justiciam justificantem, Deo acceptam, in filiali Dei amore, fraternaque hominum dilectione, sive, quod idem est, in abnegandis voluptatibus terrenis, vitæque sobrie, juste, atque pie, transigenda, positam esse, hacque fide hominem coram Deo justificari, affirmat. Ut vero incautos eo melius decipere possit, sub finem hujus introductionis asseverat, librum hunc haud alium in finem ab ipso esse compositum, nisi eum, ut veritatis, pacis, atque justitiæ, causa promoveatur, & ut discrimen, quod inter veram religionem atque superstitionem intercedit, conspiciatur. Quem quidem finem si intendisset, haud adeo injuriosus in Deum religionemque, a Deo per immediatam revelationem profectam, fuisset. His vero jam præmonitis, ipsam rem aggreditur. Et primo quidem *Sectione prima* in eo occupatus est, ut ostendat, ea, quæ de immediata revelatione, & doctrinis, eidem innixis, per externa, sensibusque obvia, criteria, abstracta a rationali evidentia, sive connexione idearum in intellectu, probatis, *Lelandus* dissolvit, infirma, vanaque, & minime sufficientia, esse. Hinc loca ea omnia, in quibus *Lelandus* de necessitate atque utilitate revelationis disputavit, sub examen vocat. Quod dum facit, *Lelando* exprobrat, quod affirmaverit, omnem veritatem a Deo immediate proficisci debere, in quo tamen vehementer errat *Morganus*. Contrarium enim disertis verbis affirmat *Lelandus pag. 10 P. I.* ubi, rem verissimam, rationique quam maxime consentaneam, esse posse, ait, quæ tamen a Deo immediate non sit revelata. Quando nos affirmamus, veritatem a Deo per immediatam revelationem nobiscum

cum esse communicandam, ejusmodi intelligimus veritates, quæ rationem humanam omnem excedunt, adeoque ex ea cognosci minime possunt, & tamen ad salutem æternam consequendam creditu quam maxime sunt necessariæ. Quam distinctionem si *Morganus* tenuisset, eamque servasset, haud sane Andabatarum more pugnasset. Quin immo ipsam quæstionis positæ causam minus recte intellexit. Non enim quæritur, an omnis veritas per inspirationem, sive immediatam revelationem, nobis sit manifestanda; sed de eo quæritur, quænam sint Pag. 13. criteria, ex quibus certi esse queamus, revelationem eam, qua gaudemus, a Deo ab origine esse profectam. Jam, quando divinam huic revelationi originem adscribimus, auctoritatem ejus ita infringere studet. Supponit, eos, qui hanc revelationem nobis tradiderunt, neque divinitus fuisse inspiratos, neque ita comparatos, ut fallere non potuerint. Jam, quando isti viri sensum Scripturæ sacræ perverterint, aut male interpretati fuerint, aliam quandam regulam & criterium veritatis, quod quidem illo prius atque superius sit, ponendum esse ait, unde voluntatem Dei de officiis nostris atque felicitate cognoscere valeamus, aut, si hoc non fiat, Christianam religionem omnem incertam relinqui, atque superstrui historiæ confusæ, & testimonio humano fallibili, separato a naturali tendentia, sive morali æquitate actionum, ad veram felicitatem ducente. 14. Ejusmodi religionem positivam, soli auctoritati innixam, sine addita alia ratione, *Letandum* per revelationem intelligere, indeque vero illud fluere, ut nullum detur religionis membrum, de quo homines implacabiliter in partes non fuerint scissi, ut adeo æque facili negotio falsam religionem loco veræ amplecti atque profiteri queant, malitiosè cavillatur *Morganus*. Jam ad eas progredditur quæstiones: utrum ii, quibus revelatio ipsa immediate contigit, certi satis esse potuerint, vere a Deo profectam esse, quam per immediatam inspirationem acceperere, revelationem; & utrum præter eos, quibus ab origine revelatio accidit, alii adhuc convicti esse queant, a Deo esse revelata, adeoque tanquam revelationem vere divinam accipiendam, quæ illi, tanquam a Deo revelata, mundo annuntiarunt. Ubi quidem

- dem fatetur, Deo competere facultatem, immediate ac directe, si ipsi placuerit, suam de officiis nostris nostraque felicitate voluntatem vel cum singulis, vel cum multis, hominibus communicandi, eosque homines idoneos reddendi, ut hæc veritates, rationibus ad fidem gignendam idoneis ornatas, aliis impartiant; est vero in eo, quod naturam atque fundamentum, veritates divinis cum aliis communicandi, attinet, maximopere
- Pag. 15. a *Lebando* dissentire se ait. Id quod verum nobis dicitur, aut scientificè verum, aut quoad facta, sive historice, verum, esse inquit. Altera veritas pendet a natura & ratione rerum, si abstractè considerentur, quæ quidem res in se æternæ necessariæ aut immutabiles sunt; altera immediate a perceptione sensibus facta, mediate vero a testimonio, cum iis, qui facta ipsa neque viderunt, neque audiverunt, communicato. Scientificam deinde veritatem in naturalem & moralem distinguit. Naturalis ea est, quæ veritates atque principia mathematica ac physica complectitur. Moralis vero circa praxin moralem versatur, nobisque muruos assensum nostrarum inter se respectus, earumque modificationes, quatenus cum felicitate nostra sunt conjunctæ, demonstrat, cujus generis eæ sunt veritates, quæ essentiam atque perfectionem Dei, eumque, qui inter ipsum atque nos, creaturas ab eo pendentes, intercedit, respectum, attingunt. Ex quo mutuo respectu moralis illa, ad quam obstringimur, obligatio Deum profitendi, ejusque perfectiones, quoad ejus fieri potest, exprimendi, sunt; simulque & illud apparet, hanc ita agendi conditionem nobis secundum positivam voluntatem atque legem divinam incumbere, cum Deus secundum justitiam, æquitatem, atque veritatem, in necessaria naturali ratione & respectu rerum inter se mutuo fundatas, aliud velle nequeat. Cum vero ex natura ac ratione rerum fluat, Deum sapienter justeque mundum regere; & illud sequitur, ut bonis præmia, malis vero pœnas, distributurus sit, ita, ut æquitas atque justitia postulant. Hunc vero agendi modum manifestationem atque revelationem divinam certiores, errorique non adeo obnoxiam, hominibus sistere, quam ulla unquam argumenta historica efficere possint, affirmat. Hancque veritatem

tem moralem, quæ idem ei est, ac actionum ratio & æquitas, in natura rerum fundata, & cum beatitudine entium, ratione præditorum, connexa, veritatem divinam, a Deo profectam, vocat; quod quidem verum est, si distincte a revelatione consideretur, neque cum ea confundatur. Hæc vero cautela a *Morgano* negligitur, itaque eum in finem, ut naturalem, quam crepat, religionem, rejecta revelata, confirmet atque stabiliat. Præter hæc duo veritatum communicandarum genera tertium a Theologis systematicis inventum esse, calumniatur, quod nec scientificum, nec historicum, dici, & neque ex ratione, neque a sensibus, derivari possit, quod vero *Inspirationem*, sive *Revelationem immediatam*, appellare ipsis libuerit; quam quidem revelationem penitus negat, ab iis demum, qui eam prætendunt, inventam. Ipsi *Morgano* revelatio dicitur restitutio atque propagatio veræ religionis, sive veritatis & rationis, in rebus ad religionem spectantibus obviæ. Jam, cum id, quod secundum naturam atque rationem verum est, ab autoritate alterius pendere nequeat, hinc veritatem naturæ suæ præcedere autoritatem omnem, nec absque ejus consensu autoritatem quidquam valere, recte quidem colligit, sed minus recte deinde ad infringendam revelationem adhibet. Nam, quas Deus per viros *Σειπυύττες* nobiscum communicavit, veritates, rationis captum superantes, non ideo veræ factæ sunt, quia nobis a viris istis sunt traditæ, sed ideo, quia certæ erant, atque hominibus cognita quam maxime necessariæ, adeo, ut, ignotis iis, veræ æternaque eorum felicitas obtineri non posset, Deus hæc veritates revelari nobis jussit. Hinc recte affirmat *Morganus*, Christum, ejusque legatos, cum doctrinæ veras esse, quas proponebant, probare voluerint, homines intellectu suo atque ratione uti jussérunt; populumque ex interna illa vi atque efficacia, doctrinæ istis propria, quam in animo suo expertus sit, collegisse, Christum veri nominis Prophetam, doctrinamque ejus certo divinæ originis, esse. Hæc priori quæstione igitur discussa, ad alteram jam progreditur, quæ ita erat concepta: utrum ejusmodi dentur criteria & argumenta, ex quibus certi esse queamus, eos, qui doctrinæ quasdam per immediatam revelationem

Pag. 18.

23.

24.

- nem accepisse se affirmant, vere a Deo missos esse atque inspiratos, doctrinasque illas ope revelationis, ipsis factæ, accepisse.
25. **Fig. 25.** Quod quidem fieri posse concedit, re ipsa factum esse negat. Necessario enim requiri affirmat, ut is, cui veritas quædam, eademque maximi momenti, cum hominibus communicanda tradatur, non solum ipso facto a Deo sit missus, sed modum quoque eum, quo cum ipso veritates istæ communicatæ sint, utrum scilicet per vim atque elevationem facultatum naturalium, an potius per illuminationem quandam animi, magis adhuc immediatam, indicare teneatur. Ast vero, cum ratio nostra revelatio naturalis, hominibus divinitus concessa, & veritatis perditæ aut neglectæ, quod ad res maximi momenti attinet, restitutio, proprie revelatio specialis sit dicenda, haud necesse esse ait, ut in modum, quo veritas ista communicata sit, inquiramus, quandoquidem nihil nobis hac de re certi constet. Illud certissimum e contrario esse ait, omne id, quod secundum naturam atque rationem rerum verum, atque ad salutem nostram quam maxime necessarium, est, Dei de nostris officiis voluntatem complecti. Hanc igitur ob causam non opus esse putat, ut, divinam doctrinæ originem probaturi, ad miracula provocemus; cum ex miracula patranda potentia nec doctrinarum veritas probari, nec demonstrari, possit, hominem speciali divina autoritate gaudere. Hac occasione ad incantatores Ægyptios provocat, qui non minus quam *Moses* miracula ediderunt, simulque cum ea, quæ a *Mose* in Ægypto perpetrata sunt, miracula, tum ipsum populum Israeliticum, injuriosis verbis more suo acriter perstringit. Quo vero melius minus cautos fallere, & in sententiam suam trahere, possit, antequam eam, quæ miracula exponit, doctrinam pertractandam aggreditur, *Lemmata* quædam, generales quasdam de miraculis observationes complectentia, præmittit. Quæ quidem, cum iis, quæ deinde disputantur, lucem accendant, cum lectoribus communicanda duximus. *Primum* vero *Lemma* hoc est: Nullum datur certum documentum, sive dijudicandi regula, cujus ope miraculum veri nominis a miraculo falso, sic dicto, sive rem miraculosam, quæ vere contingit, ab ea,

ea, quæ tantummodo contigisse videtur, distinguere queamus. *Secundum*: Nulla datur judicandi regula, qua adhibita, dignosci possit, utrum factum aliquod sit miraculum dicendum, an minus, licet ponamus, ipsum factum vere accidisse, neque ullam fraudem, respectu ad factum ipsum habito, fuisse admis-
 sam. *Tertium*: Si ipsa facta non sensibus nostris sint percepta, sed ex aliorum hominum testimonio hausta, illud testimonium, si ab hominibus profectum est, fallax censeri debet. *Quartum*: Hinc, cum ita sit cum testimonio ab hominibus proficiciente comparatum, infimum *fidei* gradum merebitur, cum de miraculis, prodigiis, spiritibus, apparitionibus, aliisque, quæ per se ipsas minus probabiles videntur, agitur. *Quintum*: Quam maxime improbable viderur, neque admitti ullo modo potest, aut ipsum Deum, neglecta naturali agendi communisque providentiæ ratione, miracula facturum, aut eadem perpetranda permissurum esse, nisi id fiat maximæ, ab hominibus inde percipiendæ, utilitatis causa. His deinde thesibus nititur, quando de miraculis, a Christo perpetratis, disserit. Eo enim ea tetendisse inquit, ut populi attentionem animi sibi compararet Christus, simulque iis, quæ cum istis conjuncta erant, beneficiis doceret, minime pseudo-Prophetam, sed vatem se esse Deo gratiosum, hominibusque faventem. Quodsi enim miracula non fecisset, minime Judæos, gentem illam stupidam, veritates etiam maxime obvias secum reputaturos fuisse. Cum vero hæc animi attentio miraculis illis parta esset; alia quadam ratione populum convictum esse, doctrinas, a Christo propositas, veras fuisse. Quam quidem convictionem ortam ait esse ex nativa illa atque interna divinæ illius, æternæ, atque immutabilis, veritatis evidentia, quæ ipsa sibi viam ad animos ac conscientias hominum panderit. Quare, licet, miracula ad id necessaria esse, fateatur, ut animorum attentio iisdem excitetur, minime tamen ea urgeri vult tum, cum doctrinæ divina origo est probanda. Neque potentiam miracula perpetrandi, neque fidem, miraculis præstitam, quanquam sit firmissima, nexu quodam cum ea fide conjunctam esse ait, ob quam homo fidelis dicitur, gratiaque Dei dignus efficitur. Illam enim fidem

pag. 31.

32.

33.

34.

37.

38.

mere

mere naturalem fuisse, atque ex diverso hominis temperamento atque dispositione fluxisse, neque potuisse cum alio quodam communicari, perhibet. Ut vero dictis suis speciem conciliet, ad exemplum Galilæorum provocat, inter quos Christus ob incredulitatem atque diffidentiam eorum pauca tantummodo miracula fecisse dicitur. Ast vero, si meminisset *Morganus*, Theologos miraculis fidei productionem minime tribuere, quippe quam per verbum & Sacramenta, præsertim Baptismi, gigni perhibent, sed, fidem, jam exortam atque productam, iisdem corroborari atque confirmari, docere, non adeo imprudenter hoc exemplum attulisset. Neque populum Judæicum verbis adeo ignominiosis, quæ quidem adducere honestus pudor prohibet, traduxisset, nisi animum præjudiciis quam maxime obfuscatum habuisset. Jam quæstionem, de charactere principali, sive medio illo, cujus ope veritatem percipere, & de divina ejus origine judicium ferre, possimus, discutiendam sibi sumit *Morganus*. Ubi *Lelando* tribuit, affirmasse ipsum, quod sola humana autoritas, fallax licet atque infirma, medium constituat sufficiens atque unicum, per quod veritas nobiscum communicari ita queat, ut nulla alia inspiratione personali, sive revelatione, hoc in casu indigeamus. Quam tamen sententiam minime tuitus est *Lelandus*, affirmans contra, quod præter testimonium, ab iis, quibus revelatio primum contigit, profectum, aliæ dentur notæ, quibus convinci de divina hominum illorum missione possimus; quibus quidem notis miracula annumerat. Hac vero re vitium illud, quod *petitio principii* a Logicis dicitur, a *Lelando* committi, *Morganus* ex eo vult probare, quod miracula, a *Mose* & Christo patrata, tanquam concessa atque evicta jam urgeat, simulque multa *Lelando* tribuere haud erubescit, quæ nunquam affirmavit. *Sectione secunda* operam ante omnia dat Autor, ut evincat, naturalem religionem nihil differre a revelata; qui enim hunc naturalis & revelatæ religionis inter se consensum negant, imperium in imperio constituere ei videntur; quodsi autem ex eo quæras, quam igitur religionem veram illam, æternam, atque immutabilem, esse censeat, eam, respondebit, se putare, quæ *in filiali Dei*

Pag. 45.

53.

Dei amore atque timore, fraternaque proximi dilectione, ac exercitio officiorum, inde resultantium, veritatis atque justitiae omnium, se exserit, idque ex fiduciali in Deum fidentia, & ab eo pendentia, constantique sensu potentiae atque praesentiae ejus ad omnes nostras actiones, tanquam remuneratoris bonorum, & vindicis malorum. Hanc igitur religionem, ignorantia atque superstitione deperditam, revelationis datae auxilio restitutam esse, obtendit. Quae igitur asserta, a veritate quam maxime aliena, cum justa censura a *Lelando* sint notata; hinc longam adversus illum disputationem instituit *Morganus*, cujus eo reddit summa: errare, qui affirmant, Judaeorum gentem a Deo in peculiarem sibi populum fuisse adscitam, speciali Dei favore ac amore paterno fruentem; neque eam gentem solam foedere illo, quod cum *Abrahamo* pepigit Deus, fuisse comprehensam, sed ad omnes veros veri illius atque unius Dei cultores, omnes inter gentes omni tempore existentes, foedus illud esse extendendum. Quod quidem assertum posterius admittendum omnino est, dummodo observetur discrimen, necessario faciendum inter id, quod in foedere eo universale est atque evangelicum, & id, quod in eo particulare ac conditionatum deprehenditur; quod quidem discrimen ipse *Morganus* pag. 71 quodammodo admittere videtur. His disputatis, deinde miracula, a *Mose*, cum populum Israeliticum sicco pede per mare rubrum ducendo, tum aquas baculo suo e petra eliciendo, facta, perstringit, eoque progreditur audaciae, ut, praeter legis illud volumen, in arca servatum, illum a *Mose* librum, nomen ejus in fronte gerentem, conscriptum esse, ullumque S. Codicis librum haud mutatum atque interpolatum ad nos pervenisse, affirmare haud vereatur. Quin immo eo usque effrenata ejus progreditur audacia, ut, populum Israeliticum, qui ei ad miraculum usque stupidus audit, a spiritu quodam diabolico inspiratum semper atque agitarum fuisse, scelerata ratione cavilletur. *Sectione tertia* doctrinam de lege *Mosis* ceremoniali & revelatione, quae immediata ratione contigit, pertractandam sibi sumit *Morganus*. Ubi vero sententiam de origine atque auctoritate legis illius, *Vol. I* pag. 27 propositam, defendere precariis

Pag. 55.

56 seq.

65 seq.

71.

73 seq.

- riis argumentis suscipit. Etenim, eam a Deo esse profectam, populoque Judaico a *Mose* divino jussu traditam, negat. Hinc-
84. que, *Paulum* sacri Codicis libros illos, a *Mose* & Prophetis compositos, tanquam a Deo profectos, gentilibus commendasse, veritatemque religionis Christianæ ex iis probandam suscepisse, amplius inficiatur.
92. Quin immo, religionem, a *Mose* populo Judaico traditam, ab ea, quam Christiani profitentur, toto cœlo differre, sibi que quam maxime adversari, affirmat, quam quidem litem Evangelii cum lege inde apparere dicit, quod hoc
96. ex mente *Pauli* schema atque œconomiam lucis rationi consentaneæ, libertatis, veræque religionis, constituat, illa vero œconomiam tenebrarum, servitutis, atque superstitionis, sistat. Quæ vero cum ita esse, hancque legem a Deo haud profectam esse, existimet; quid mirum, quod, eam divina autoritate abrogari haud potuisse, asseveret? Qui ex Judæis ad Christum fuere conversi, quos Nazarenos vocat, peculiarem sectam constituisse, quæ Jesum putaverit Christum, sive Messiam domesticum, a vatibus prædictum, affirmat. Quo momento excepto, reliquas doctrinas religionis Judaicæ integras fuisse ab iis acceptas. Ast vero, cum a nobis, Christi, æterni illius sacerdotis, unico sacrificio in æternum sanctificandos consummantis, sacerdotium probaturis, *Epistola ad Ebraeos* scripta præsertim urgeatur, ideo *Morganus* speciatim in autorem æque ac
98. autoritatem hujus *Epistolæ* inquirat. Quod ad autorem attinet, incertum eum esse inquit; conscriptam vero ipsam *Epistolam* esse putat post flebile excidium Hierosolymorum, idque hac ex ratione, quoniam nullo in loco, ubi de sacerdotio atque œconomia Judaica sermo est, eorum, tanquam adhuc vigentium, sed tanquam jam abrogatorum, mentio injiciatur. Quod vero *Morgani* argumentum valde lubricum videtur, facili que negotio ad nostram sententiam confirmandam, *Morgani* que opinionem infringendam, adhiberi potest. Quæ jam sequitur, *Sectiones quarta* amplius adversus legem Mosaicam, ejusque constitutiones, disputat *Morganus*. Eam vero mere temporalem atque civilem esse, sanctionesque ejus tantummodo ad hanc vitam pertinere, ab eaque legem justitiæ, soli Deo cognitam, qui scilicet
- 104.

cet obedientes remunerari, inobedientesque punire, norit, dif-
 ferre, ait. Cui sententiæ ut specient conciliet, ad *Paulum*, in-
 ter legem *Mosis*, sive operum, & legem fidei, distinguentem,
 provocat. Sed iterum ignorantie suæ specimen edit. *Paulus*
 enim, hoc discrimen constituens, vocem νόμος non sensu illo
 famoso atque strictiori, quo *lex*, sive regula actionum compo-
 nendarum, hac voce indigitatur, sed sensu generaliori, quo
doctrinam, sive regulam quamlibet credendi, vel agendi, deno-
 tat, adhibet. Quæ quidem si observasset adversarius, nullam
 inter legem & evangelium, sive *Mosen* & *Paulum*, litem de-
 prehensisset. Neque eam legi affinxisset crudelitatem, ut
 bellum cum ceteris orbis incolis Judæos gerere jussisset, qua
 crudelitate licet eam liberaverit *Lelandus*, sibi tamen non deesse
 argumenta putat *Morganus*, ex quibus appareat, juste eam cru-
 delitatem legi tribui. Quando enim in locis Pentateuchi, a
Lesando adductis, Judæi non iis tantummodo, qui eandem
 cum ipsis societatem constituiebant, sed exteris quoque, nullo
 societatis vinculo cum Judæis junctis, humanitatis officia præ-
 stare jubentur, per externos profelytos portæ, idque recte, in-
 telligit *Morganus*; eos vero, idque minus recte, in civium nu-
 merum receptos esse putat. Quamquam enim in republica to-
 lerarentur profelyti portæ; in civium tamen numerum non re-
 cipiebantur, multo minus vero in ecclesiæ societatem, tanquam
 membra ejus, recipiebantur. Neque populum Judaicum ob
 Deorum fictorum cultum, vero Deo neglecto, punitum esse,
 sed interitum sibi suum fama sanguinis atque internecionis, quæ
 inter omnes gentes percrebuerat, eosque ita semper sanguine
 maculatos reddiderat, ut tandem penitus extirpati in prover-
 bium abierint, conciliaffe ait. Jam ad doctrinam de sacrificiis
 progreditur, eaque, quæ priori Volumine de sacrificiis Deo
 offerendis, imprimisque humanis sacrificiis, disputaverat, vin-
 dicanda, sed infelici conatu, suscipit. Ubi vero imprimis no-
 tio, voci קרבן tributa, observanda est. Ipsi *Morgano* enim
 vox קרבן ita usurpata in S. Codice videtur, ut generatim
 rem quamlibet prorsus sine ulla redemptione aut reparatione
 destruendam, sive res ipsa ut devota, sive tanquam sacrifici-
 um,

Pag. 109.

115.

cium, Deo offerenda sit, significet. Ast vero non eo semper sensu vocem אֶבְרָהָם in S. Literis usurpari, sed pro x̄e, Deo absque facta extirpatione sanctificata, quoque adhiberi, ex *Levit. XXVII, 21, 28, Num. XVIII, 14, & Ezech. XXIV, 29*, discere potuisset *Morganus*. Neque, si hanc vocis notionem familiarem sibi reddidisset, eo usque temeritatis progressus esset, ut, Deum humanis sacrificiis delectatum, eademque sibi offerenda iussisset, affirmasset. Hac simul occasione ad factum *Abrahami, Isaacum*, filium suum, Dei iussu mactare parati, pervenit. Quod quidem factum prorsus negat, simulque, circumstantias quasdam in narratione ejus, a *Mose* facta, omittas esse putat, quæ, si cognitæ nobis essent, lucem clariorem affundere rei, historiamque ipsam magis credibilem reddere, possent. Ita vero, ex sententia ejus, hoc cum facto comparatum fuit. Vicinæ *Abrahamo*, præter quem, ejusque familiam, nulla gens verum Deum colebat, gentes auctores ei erant, ut filium suum unicum Deo in sacrificium traderet; quodsi enim, quem venerabatur, Deus istum filium ejus e morte ad vitam revocaret, argumentum ipsis factum istud fore, ex quo, Deum *Abrahami* verum Deum esse, intelligerent. *Abrahamus* igitur, fiducia quadam commotus, fore, ut Deus hoc facto gentes istas de veritate religionis, quam profitebatur, convinceret, conceptam hanc opinionem a Deo profectam esse, putabat. Ast vero eventus proposito non respondit; Deusque ostendit, sibi hanc rationem, religionem veram propagandi, haud placere. Hanc, quam de facto isto *Abrahami* sibi formavit, sententiam autor *Epistole ad Hebræos Morganus* firmare ex eo videtur, quoniam *Cap. XI, 19*, ait, *Abrahamum* cogitasse, Deum vel ex mortuis excitare posse. Nunquam vero Deum ejusmodi quid vel intendisse, vel promississe, fidemque illam *Abrahami*, firmam licet, tamen præsumptam tantummodo fuisse, & irrationalem atque enthusiasticam persuasionem dicendam potius esse, irreverenter pronuntiat. Quin immo, sanctum illum Patriarcham *Abrahamum* corruptos atque depravatos homines corrupisse magis, quam emendasse, cavillatur, quoniam, narrante *Thoma Hyde de Relig. vet. Persarum Cap. II, pag. 29*, istud *Abrahami* factum consuetudini, ab

Orientis

Orientis populis receptæ, homines Deo in sacrificium offerendi, ansam dedit. *Sectione quinta* de fine sacerdotii legalis & sacrificiorum, eorumque natura, &, quem veræ religioni præstant, usu, differit; qua occasione sacerdotes, & imprimis sacerdotem maximum, maximis conviciis proscindit. Integrum sacerdotii mysterium in eo latuisse ait, quod Israelitæ Deum quendam localem, oracularium, atque tutelarem, coluerint, qui ideo Israelitarum Deus vocatus fuerit, ut ab Ægyptiorum, Philistæorum, Sidoniorum, ceterarumque gentium, Diis distingueretur. Hujus Dei causâ sacerdotium fuisse institutum, sacrificia oblata, ipsumque bestiarum sanguine placatum. Quæ si observentur, clarum esse putat, quod *Mosès* superstitionem Ægyptiorum tantummodo depuraverit, populumque a crasso Deorum fictitiorum atque imaginum cultu abducere, eumque notionem unitatis, spiritualitatis, atque indivisibilitatis, veri Dei docere, voluerit; cujus vero rei finem ideo ab eo obtentum haud fuisse dicit, quoniam verum Deum in localem quendam atque tutelarem transformaverit, &, imitando gentes, sacerdotium ac sacrificia instituerit. Hinc igitur factum esse, ut ex duobus malis minimum elegerit, indeque occasionem, imperium unicum maximo reditu numero ad tribum ac familiam suam transferendi, arripuerit. Neque solos Judæos verum Deum fuisse veneratos, sed Persas quoque atque Mædos veri Dei notitia imbutos, eique colendo deditos, fuisse ait. Hanc enim gentem antiquissimis temporibus Sabæanâ superstitionem haud amplectam esse ait, sed eo demum eam exercuisse tempore, quo *Zoroaster*, Judæos imitatus, templa, sacro igne ornata, instauraverit, externamque disciplinam ad exemplum *Mosæicam* magis magisque conformaverit. Judæos vero a Persis demum justiores de Deo, ejusque providentia, futuraque hominum post mortem conditione, notiones accepisse, impudenter eblaterat. *Sectione sexta & septima* ad ea, quæ *Cap. VIII, IX, & X*, de ordine Prophetarum contra ipsum monuerat *Lelandus*, respondet *Morganus*. Non quidem negare se, ait, quod ante institutum Prophetarum ordinem Propheta a Deo fuerint excitati; illud autem velle se, quod a *Samuele* demum peculiaris Prophetarum

Pag. 134
seq.

143.

160 seq.

- rum ordo fuerit constitutus, qui hæreditarius sit factus, adeo, ut filii in locum patrum successerint. Initio quidem Naothi scholam Prophetarum ordinatam, deinde autem aliis in locis scholas quoque fuisse constitutas, in quibus homines, tanquam in loco ecclesiæ simili, ante introductas Synagogas convenerint; has enim post captivitatem denum Babylonicam, scholis Prophetarum eo tempore jam abrogatis, constitutas fuisse ait. Haudquaquam vero iis in scholis literas atque scientias traditas, easque adeo feminaria publica, Academiis nostris similia, quod *Lelandus* affirmat, fuisse, putat. Separatam potius societatem aluisse ordinem illum Prophetarum, ad vitam monasticam accedentem, neque de reliquorum hominum felicitate sollicitam, inquit. Iphis Prophetis omnium, quæ Judæis accidere, malorum causas tribuere haud erubescit præfractæ frontis vir, *Morganus*. Cujus malitiæ ut exemplum unum vel alterum cum Lectoribus communicemus, commemorabimus,
- Pag. 197-
200. quod in *Elisam*, vatem illum a Deo missum, causas mortis *Benhadadi* deferre haud dubitet, idque ea ratione adductus, quoniam *Elisa Hazaeli*, id a Deo sibi patefactum, affirmet, quod, mortuo *Benhadado*, ipse *Hazael* regno potiturus sit. Cum vero ejus potestas ad ipsum venire non posset, quamdiu *Benhadadus* in vivis esset, hinc *Hazaelem* consilium de *Benhadado*, morbo minime lethali laborante, interficiendo cepisse. Qui *Josaphato*, in bellum cum Syris gerendum proficiscenti, bene vaticinati sunt vates, eos Prophetas veri Dei fuisse, quos ipse Deus, spiritum mendacii inter eos mittendo, sefellert, audacter affirmat. Tandem sub *septimæ Sectionis* finem ea, quæ de emendatione doctrinæ inter Judæos post captivitatem Babylonicam a Persis repetenda *priori Volumine* efflutiit, jamque *quinta Sectione* repetiit, denuo iterat. Istarum vero doctrinarum emendatarum, quæ ipsi doctrinæ de uno Deo, judicio universali, & futuro præmiorum atque poenarum statu, sunt, *Danilem*, qui sub Monarchia Persica eodem, quo *Esvras*, scriba ille, *Esvras*, vates, *Nehemias*, *Marochai*, & *Esther*, tempore vixerit, primum meminisse, ait. Ipsum vero *Danielis* librum, qualem hodie habemus, narrationes, a diversis viris compositas,
- com-

complecti; hanc autem, deinde sub communi quodam nomine vulgatas, fabulosa multa, ac historiarum omni aduersa, continere, nec *Danielem* eum, cuius libro sit appositum nomen, eundem esse posse dicit, cui *Cap. IX* revelatio de templo instaurando contigerit. *Morganus* quidem, dictis his fidem conciliaturus, ad *Hydeum*, in libro *de Religione veterum Persarum* secum consentientem, provocat; ast vero, errare *Hydeum*, Persas ante tempora *Zoroastris* a fictitiorum Deorum cultu alienos fuisse affirmantem, ex *Philippi a Turri Monumentis veteris Antii* docet *Cel. Jac. Bruckerus Hist. Crit. Philosophia Tom. I pag. 166*, ubi simul *pag. 171* evincit, præter Solem alia adhuc apud Persas summa Numina celebrari. Neque adeo temere *Prideauxium* in partes suas rapuisset, si, quæ idem vir doctus *P. I pag. 21 seq.* editionis Londinensis, A. 1718 vulgata, & *pag. 268 seq.* editionis Germanicæ, quæ *Dresdæ A. 1726* prodiiit, attenta atque a partium studio aliena mente perlustrasset. *Sectione octava* ad Novi Fœderis doctrinas, & quæ ad eas vindicandas *Ielandus Cap. 12 & seq.* monuerat, examinanda progreditur *Morganus*. Ubi quidem bene agit, quod eam, quam sibi de Christianismo formavit, notionem ante omnia exhibeat. Est vero ipsi Christianismus *instauratio aeterna illius* Pag. 220;
atque immutabilis religionis, in Deo & natura fundata. Quod ad Messiam attinet, ita de eum vaticinatos esse vates putat, ut eum tanquam terrenum quendam, eundemque maximum, principem, regni possessionem familie *Davidis* restitutum, descriperint. Ipsum Christum Judæorum se negasse Messiam, ex eo vult evincere, quoniam, regnum suum hoc de mundo esse, potentiamque terrenam asseclare se, a *Pilato* interrogatus, inficiatus fuerit. In Christum, moralem veritatem & justitiam 221 seq.
instaurantem, alteram illam notam, Messia a vaticiniis attributam, convenire quidem; alteram vero illam, secundum quam regnum Judæis restitueret, (quam vero notam precario assumptam contulit *Morganus*,) minime in eo fuisse animadvertam, 224.
affirmat. Integram Judæorum gentem, ne iis quidem, qui ex circumcissione erant, Apostolis exceptis, vi vaticiniorum, Messiam promittentium, eum sub regimine ejus sibi futurum formasse

masse statum, ait, quo veritas ac justitia, pax atque felicitas, obtinerent; quæ pax atque felicitas cum veritati atque felicitati prædis quasi loco additæ essent, hinc venisse, ut Messiam haud alia sub nota, nisi quatenus princeps victor ex familia *Davidis* fuerit, acceperint Judæi. Hinc ceteros characteres omnes nihil probare potuisse, nisi ex familiarum originibus, quas certas vereque textas putant, evinci potuisset, Jesum Nazarenum linea recta ex familia *Davidis* descendisse. Neque vero ex iis, quas *Matthæus* & *Lucas* sicut, generum computationibus Christianismo emolumentum quoddam accedere, cum probabile vix videatur, inter *Davidem* & Christum, si patris matrisve generationes seorsim sumantur, adeoque per mille & centum annorum spatium, haud plures quatuordecim generationibus existisse. His missis, legatos Servatoris salutat, & primo quidem id, quo Pentecostes die ornati fuere, peregrinis linguis loquendi, donum, vellicat. Ubi eo usque detestanda ejus protervia progreditur, ut, iis, quando, ut calumniatur, sub mechanica ista spiritus potentia & operatione fuerint constituti, nullam rationem aut intellectum concessum fuisse, spiritumque istum extraordinarium potentem atque cœcum, (ita sanctissimum Spiritum vocare haud erubescit impius *Morganus*,) nec instructioni, nec ædificationi, adeoque nulli plane usui, inserviisse, affirmet, eaque, quæ a rerum in civitate Christiana gestarum scriptoribus narrantur, a Christi legatis suscepta itinera, fabulis & commentis annumeret. Concilium, Hierosolymis anno quadagesimo octavo ex *Calvisii* sententia coactum, *Act. XV* commemoratum, anno demum quinquagesimo sexto, adeoque quatuordecim ante destructam Hierosolymorum urbem annis, celebratum esse, putat. Quæ sanandis ægrotis fuere peracta miracula, eos tantummodo expertos esse, nugatur, qui firmam conceperint fidem, fore, ut sanitati restituerentur. Inde vero contigisse, ut ii tantum, qui hac fide fuerint ornati, sanati sint, licet ceteroquin fide fuerint destituti, hancque fidem impiis æque ac piis fuisse communem. Lunaticos atque mente captos, quoniam majori imaginationis vi præditi fuerint, majori inde fidei istius gradu esse gavisos. Quorum in

Novo

Novo Fœdere mentio injicitur, dæmoniacos nihil differre a lunaticis atque mente captis ait. Neque illud mirandum esse inquit, quod eorum morborum causâ diabolo tribuantur; eam enim communem Judæorum æque ac ceterarum gentium fuisse de istorum morborum causis opinionem, ex eo repetendam, quod naturales illorum causas ignoraverint, ipsisque illis morbis medela haud satis felix semper adhibita fuerit. Postquam *Sectione*, quæ sequitur, *nona* de fine Concilii primi, Hierosolymis coacti, & dissensione, inter *Paulum & Petrum* orta, disputaverat, deinde in autoritatem *Apocalypsæ Joannæ* inquirat. Hic vero eam, quam *Vol. I pag. 369* proposuerat, sententiam repetit, eandemque firmare studet. Eo vero *Morganii* de libro isto mens atque sententia redit, contineri eo veram ac proprie sic dictam doctrinam Christianismi revelationem; indeque, & imprimis ex *Cap. I v. 8*, evincere conatur, quod Christiani judaizantes in crassissimam delapsi fuerint idololatriam, maximumque mediatorum loco unius illius mediatoris numerum, una cum cultu, sanctis atque angelis, tanquam mediatoribus, præstando, effinxerint. Quam opinionem licet solide doctæque *Lelandus pag. 428 seq.* refutaverit, eandem tamen defendere, causamque suam desperatam, successu infelici, perorare, pergit *Morganus*. Quo I dam facit, inter res, ex ratione cognoscendas, & eas, quæ captum rationis superant, adeoque revelationis tantummodo ope nobis innotescunt, distinguit. Præter *Apocalypsin* vero nullum in S. Codice existare librum ait, in quo ex proposita dicantur doctrinæ, rationis captum quæ excedunt, adeoque ex sola revelatione addiscende sunt. Ex verbis, *Cap. VIII v. 37* exstantibus, doctrinam de cultu, sanctis atque angelis, tanquam inferioris generis mediatoribus, præstando, exculpuit. Mille illos annos, *Apocalypsæ Capite XX* commemoratos, de terreno regno interpretatur, medium locum inter adventum Christi ad restitutionem regni Israelitici, finemque mundi, occupaturo. Ultima, quæ jam sequitur, *Sectione*, quæ *decima* est, sanctissimam illam suavissimamque de Christi, Servatoris optimi, nostrum loco præstita satisfactione doctrinam læcerare atque pervertere pergit infelix cavillator *Morganus*. Eo autem

Pag. 237-

245.

247.

249.

255.

- tem audaciæ progreditur, ut, integram hanc doctrinam adeo
 Pag. 260. ignotam sacris literis esse, haud affirmare erubescat, ut ne unico
 quidem verbo mentio ejus in illis injiciatur. Quare integram
 hanc doctrinam, solatii quam maxime plenam, fictionibus
 fraudeque scelerate eblaterat. Formam illam sacrificialem erro-
 neis illis notionibus, quas de propitiationibus legalibus & ex-
 piationibus pro peccatis facientis sibi Judæi formarint, niti,
 261. easque a Christianis ex Judæis oriundis ad sacerdotium & sacri-
 ficium Christi applicatas esse, ait. Hinc mortem, quam Chri-
 stus perpeffus est, non alia ratione voluntariam dici posse pu-
 tat, quam ea, qua homo probus ac honestus peccatis crucia-
 262. tus præfert; ipsumque Christum nobis in illustre justitiæ exer-
 cenda exemplum esse propositum, publicumque adeo de uni-
 ca illa, qui homo justificari, Deoque acceptus fieri, possit, te-
 stimonium perlaturus. Quando, sparso a sacerdote sanguine,
 263. *propitiatio facta* dicitur, hinc verbis illud tantummodo signifi-
 cari dicit, quod scilicet propitiatio facta jam sit declarata, pu-
 blicæque adeo demonstratum, sacrificium oblatum fuisse acce-
 ptum, hominemque ob obedientiam legi præstitam liberum ab
 ejus pœnis esse pronuntiatum. Ejusmodi vero actû personali
 legi secundum naturam liberationis legalis eo tempore satis esse
 factum. Eadem ipsa autem ratione Christum obedientiæ suæ
 usque ad mortem, sanguinisque in cruce effusione, publicum
 dedisse argumentum inquit, quod ejusmodi obedientia perso-
 nalis Deo sit accepta, eamque solam constituat justitiam, Deo
 gratam, præmiisque afficiendam. His jam disputatis, ad *Mosén*,
 sæpius jam conviciis laceratum, denuo revertitur calumniator
 ille famosus, *Morganus*. Quem quidem conviciis adeo hor-
 rendis profcindit, ut ei eundem, qui *Mahomedi* debetur, lo-
 cum tribuere haud veretur. Etenim omnia illa fraudis atque
 imposturæ signa, quæ in falsis religionibus sunt conspicua, que-
 que in religione, a *Mahomede* efficta, deprehendi, observat *Cel.*
Prideauxius in Epistola, ad Deistam scripta, in *Mosiuca* illa cœco-
 nomia obvia esse, scelestus homo cavillatur, quarum quidem cal-
 unniarum, quibus *Mosiuca* legem onerat, hæc est summa:
 265. 1) Omnem ejus constitutionem atque inventionem ad tempo-
 ralem

ralem atque carnalem utilitatem, & ad emolumentum & potentiam politicorum, imperii administrationem suam cujusque tribui ac familiae vindicare in perpetuum laborantium, fuisse accommodatam; quae salus ut sacerdotibus firmeretur, duo necessaria fuisse 2) ait, α) ut societas tribus *Levi* per universam terram dispergeretur, suasque inter reliquas tribus civitates atque agros, per sortem sibi assignatos, possideret, β) ut omnis Deorum atque imaginum cultus morte puniretur. 3) Hanc Deum colendi rationem meram complexam esse superstitionem atque idololatriam, falsamque adeo religionem. 4) Sub hac ipsa oeconomia intemperantiam personalem, sigillatimque maximas illas carnis voluptates, ebrietatem atque concupiscentiam carnalem, fuisse licitas. Habes hic, Lector, summam eorum, quae ad religionem revelatam omnem evertendam, suasque opiniones impias a solida *Lelandi* discussione vindicandas, *Volume* hoc effluit impia *Morgani* temeritas. His vero ad finem libri Epistola adjecta est ad *Joannem Chapmanum*, improbam *Morgani* audaciam comprimere laborantem libro, *duo Volume* in forma octopartita explente, ac sub hoc indice divulgato: *Eusebius: or the true Christian's defence against a late Book, intitled: The Moral Philosopher. Cambridge, 1739 & 1740.* Duo imprimis controversiae, a *Morgano* motae, capita hoc in libro pertractare sibi proposuit *Chapmanus*. Primo, quam doctrinam ita religioni Christianae sint propriae, ut a religione naturali, moralibusque rationis principiis, sint prorsus distinctae. Secundo, quam sit vera Messiae nota, a vaticiniis adumbrata, ac in Christo impleta. Has igitur doctrinas in Epistola hac discutendas sibi sumit *Morganus*. Et primo quidem longam de miraculis, quibus veritatem religionis confirmari *Chapmanus* affirmat, disputationem instituit. In qua vero cum nihil afferatur, quod non jam antea dictum sit, pauca tantum ex ea excerpta sistemus. Quod igitur ad miracula, a *Mose* in Aegypto perpetrata, attinet, ex iis minime evinci potuisse ait, quod is, quem *Moses* coluit, Deus unicus ille atque verus Deus sit; neque ipsis istis miraculis convictos esse Israelitas ac Aegyptios, ut *Mosis* Deum pro Deo vero agnoscerent. Mi-

Pag. 266,
267.

9.

- raculis vero, a Servatore nostro O. M. editis, hanc concedit prerogativam, quod iisdem demonstratum sit, esse Jesum magnum quendam verumque Prophetam. Cujus quidem demonstrationis vim in 40. collocat, quod miraculis, a se factis, verum veræ potentis finem, quem in promovendo bono ponit, assequi ita fuerit Christus. Quamquam vero adeo liberalis est, ut, veri nominis miracula dicenda esse, quæ Servator perpetravit, fateatur, ea tamen eum in finem edita esse negat, ut ex iis, verum se Judæorum Messiam esse, pateret. Idque quidem propterea, quod Christus Hierosolymis, & in aliis primi ordinis civitatibus, idque in conspectu sacerdotum, scribarum, ac primariorum urbis incolarum, miracula fecerit nulla. Simul vero cœcitas in exponendo sacro Codice specimen iteratum edit. Ea enim, quæ *Matth. XII, 39, 40*, exstant de signo *Jona*, populo, signa querenti, dando, verba interpolata esse affirmat, idque ea de causa, quoniam verba ista integræ historiæ, ab
17. 18. Evangelistis compositæ, contradicere ipsi videntur. Jesum enim negat per integros dies atque noctes in meditullio terræ, uti *Jonas* in ventre ceti, commoratum esse, nec veritati consentaneum esse ait, affirmare, quod alia haud edenda fuerint signa, cum adeo ampla in conspectu populi publice patrata legantur miracula. His jam nullis, deinde suam de Messia Judæorum mentem explicare sumpsit. Eum vero ut terrenum quendam principem, gentes eas omnes, sub quibus captivi teneantur Judæi, debellaturum, regnum familiæ *Davidis* restitutum, imperiumque adeo universale in omnes terræ gentes exerciturum, a vaticiniis delineatum esse statuit. Cui sententiæ fucum obducurus *sexagesimum Jesaiæ Caput*, in quo splendor ac felicitas ecclesiæ Nov. Fœd. emphatica plane ratione depingitur, testis loco adducit. Hacque simul occasione vatem illum sanctissimum asperioribus verbis traducit, quin immo affirmare audeat, eum, si nostro ipsi tempore vivere, eaque, quæ ab illo, quo vixit, tempore ad nostrum usque sæculum acciderunt, nosse contigisset, repudiatis, quæ edidit, vaticiniis, Deistis Christianis esse accessurum. Tum in libris Prophetarum, ante tempora captivitatis *Babylonicæ* qui vixerunt, ullam resurrectionis a mortuis, judicii


judicii mundi finalis, statusque beatitudinis & gloriæ, piis ex-
spectandæ, post hanc demum vitam futuri, mentionem occur-
rere negat. Postea de morali rerum veritate & æquitate, de
miraculis, & de signis illis, ex quibus verus Messias cogno-
scendus sit, differit; ubi vero ea, quæ sæpius jam effutierat,
non sine tædio lectorum repetit. Quæ in Oriente floruerunt,
ecclesias ob controversias de trinitate, incarnatione, unione
hypostatica, & personarum, substantiarum, naturarum, distin-
ctione, magna contentione agitatae, delectas esse, pugatur. Inde
enim repetendam esse causam, amplius cavillatur, quare Chri-
stiani *Mahomedi*, unum tantum Deum, unumque Prophetam,
Dei voluntatem proponentem, prædicanti, lubentes adeo fue-
rint assentiti. Hacque simul occasione in ipsam religionem *Ma-
homedanam* expatiatur, & quæquam religionis, a *Mahomede*
effictæ, systema verum esse neget, tamen eventu comprobatum
esse affirmat, cum veræ prudentiæ cognitione fuisse instructum,
optimamque, quæ unquam proposita fuerit, superstitionis for-
mam invenisse. Jam ad illud argumentum examinandum pro-
greditur, quod ex vaticiniorum completionem ad probandam
religionis Christianæ veritatem ducitur, quam quidem ex eo
nullum robur accipere ait ideo, quoniam ex vaticiniis illud
tantummodo sequatur, ut res antea jam fuerint apertæ atque
cognitæ. Tum ad doctrinam de discrimine fidei divinæ & hu-
manæ pervenit, idque nullum esse statuit. Tandem iterum
denuo in argumentum, ex miraculis ad religionis revelatæ veri-
tatem probandam desumptum, inquit, simulque de criteriis
revelationis, & vera *positivæ religionis* natura, differit.

Pag. 22
169.
28-39.
40.
45.
58.
69.
67-80.


Historischer Mühsbelustigung fünfter Theil, 2c.

hoc est,

JOANNIS DAVIDIS KOELERI, P. P. ANNO
1733 singulis hebdomadibus editarum, historicarum ex
Numismatibus Amanitatum Pars quinta, in qua LXII
Numi accurate in æs incisi, descripti, ac ex Historia ple-
nius expositi, spectantur, una cum continuatione tertiæ



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1743

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 613 L 4⁰

*Sciagraphia de pleniori uncialium numorum collectione,
que est loco Præfationis.*

Noribergæ, impensis viduæ Christophori Weigeli, senioris, Chalcographi, 1733, 4.

Alph. 2 plag. 17.

Lætitia merito perfundimur, ac in partem amcenitatum venimus, simul atque ad Historici nostra ætate præstantissimi Amcenitates historicas, quibus Numismata illustrat, volendas accedimus. Succedit jam *Pars quinta*, deliciosissimas exhibens lectori dapes, & exquisitissimas Commentationes ex copia felicissimo depromptas ostendens. In Præfatione Autor Cel. attentionem suam convertit ad designandos Numos unciales Episcoporum Mindensium, Monasteriensium, Osnabrugensium, Paderbornensium, Passaviensium, Ratisbonensium, Sedunensium, qui Principes S. R. I. sese vocant, licet dudum careant assensionis ac suffragii in comitiis jure, Spirensium, quorum quatuor Thaleri duntaxat adhuc innotuerunt, Strasburgensium, seu Argentoratensium, e quorum numero *Joannes*, Comes Manderſcheidensis, duarum specierum feriundos curavit numos, Tridentinorum, Tullensium, quorum fortasse existant nulli, Virdunensium, Wormaciensium, Wirzburgensium, quorum occurrunt complures unciales, Olomucensium, Episcoporum Gurcensium & Chiemſeensium, Salisburgensi Archiepiscopo obnoxiorum, jure tamen monetae præditorum, Magistrorum Ordinis Teutonici Mariani, Joannitici, Enſiferorum Livoniæ. Hisce subjungit designationem uncialium, qui jussu Abbatum percussi fuerunt, nominatim Corbejensium, Fuldensium, Kampidunensium, Præpositorum Elwangensium, Abbatum Murbacensium, Stablensium, Werdensium, Abbatissarum Essendiensium, Thornensium, Quedlinburgensium. Pergimus ad significandos Numos, qui curis eruditissimi scriptoris fuerunt illustrati, ac hac serie sese invicem excipiunt: 1) Numisma majoris moduli artificiosum, representans urbem *Augustam Vindelicorum*, ejusque perpulchram curiam, ad A. 1677, ubi subjicitur descriptio regiminis; 2) Metallio, exhibens prælium navale, a Duce

a Duce Eboracensi *Jacobo* A. 1665; feliciter commissum cum classe Batavica; 3) Numus mnemonicus in *Joannem de Oldenbarnevelt*, magnum Hollandiæ Questorem, seu Pensionarium; 4) Numus Principis Aufconensis *Mauritii* in obtruncatum *Oldenbarnevelt*, ad A. 1610; 5) Numus rarior *Joannis Ehrenreichii*, Comitis *de Sprinzenstein*, ad A. 1717; 6) Uncialis *Ludovici*, Comitis *Stolbergæ & Kœnigsteinii*, ad A. 1546; 7) Florenus aureus, significans introitum Noribergensem Imperatoris *Matthiæ*, ac conjugis augustissimæ, *Annæ*, ad A. 1612, ubi additur *Phonasi*, Noribergensis, Carmen Teutonicum, quo ille introitus tunc fuit expositus; 8) Numisma pulchrum, indicans munia ducis supremi bellici, que *Marchio Badensis Ludovicus* A. 1693 contra Gallos ad Rhenum suscepit; 9) Numus, referens coronationem *Caroli IX*, Regis Galliarum, ad A. 1651. In postica apparet descendens e cælo columba, rostro deportans ampullulam olei plenam. Dissert hic Autor de Ampulla Rhemensi. 10) Thalerus *Friderici Christiani*, Episcopi Monasteriensis, nati *Baronis de Plettenberg*, ad A. 1696. Atrexitur genus factorumque illustrium series gentis *Plettenbergiæ*. 11) Numus sepulchralis in *Fridericum Christianum*, Episcopum Monasteriensem, *Baronem de Plettenberg*, ad A. 1706; 12) Numus aureus admodum rarus *Waltheri de Plettenberg*, Principis S. R. I. & Magistri Ordinis Eustiferorum in Livonia, ad A. 1525. In postica clypeus bis refert crucem, Ordinis signum, & per vices insignia *Plettenbergica*. 13) Numus urbis *Rigæ* aureus, præferens nomen & insignia Magistri Ordinis Eustiferorum Livoniæ, *Waltheri de Plettenberg*, ad A. 1533; 14) Thalerus Comitum *Waldecensium*, *Georgii Friderici & Joannis Volradi*, ad A. 1654; 15) Numus rarus *Philippi Magnanimi*, Landgravii Hassiorum, quem ferri curavit in memoriam *Henrici junioris*, Ducis Brunsvico-Wolferbuttelani, ab ipso capti A. 1545. In antica ad marginem exstat ambigua inscriptio: IVSTVS. N. RELINQ. quæ exponitur vulgo: *Iustus non relinquitur*, ab aliis vero satyricè: *Iustus nunc relinquitur*, id est, *Henricus*, qui sibi talis videretur. 16) Thalerus mnemonicus *Christi mi Ernesti*, Marchionis *Brandenburg-Culmbacensis*, referens munia tribuni militaris nomine

TAB. V
Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

mine circuli Franconici, A. 1664 suscepta; 17) Numus mne-
 monicus *Georgii de Maming*, Capitanei provincialis per Au-
 striam supra Anisum, ad A. 1570. De regimine provinciali t

- TAB. V ræ Austriacæ adjunguntur memorabilia. 18) Rarum Numi.
 Fig. 4. *Alberti*, Archiepiscopi & Electoris Moguntini, Administratoris
 Halberstadenfis, Marchionis Brandenburgici, ad A. 1515. Ipse
 obiit A. 1545, 24 Sept. Atschaffenburgi, sepultus in æde cathedra-
 lî Magunticæ. Primus exstitit eorum Principum in Germania,
 Pag. 144. qui A. 1542 Jesuitis Magunticæ dederunt domicilium. 19) Nu-
 misima Regiæ *Christine* Suecorum ænigmaticum, ad A. 1665,
 quippe in cujus postica eminet epigraphe: MAKEΛΩΣ, quæ,
 Græcis literis notata, Suecice est interpretanda, ac notat *incom-*
 147 seq. *parabilem*. Adjunguntur nonnulla de Regiæ cum doctis com-
 mercio, ac eventu horum plerumque tristi. 20) Numisma in
Hugonem Grotium, ejusque cistam librariam, cujus interventu
 sese eripuit ex custodia. 21) Uncialis pretii duplicis, cufus jus-
 su & nomine *Ferdinandi*, Archiducis Austriæ Tirolensis; 22)
 tres Numi obsidionales, cufi, cum Juliacum A. 1610 circum-
 sideretur ab hostibus, ex Archiducis Austriæ, *Leopoldi*, Episcopi
 Passaviensis & Argentoratensis, in obsessa Juliaci arce relictis va-
 TAB. V sis argenteis; 23) rarum Numisma in clarissimum Philosophum
 Fig. 5. & Medicum, *Hieronymum Fracastorium*. Optat Cel. Autor, ut
 Pag. 184. *Friedericus Otto Menckenius*, Collega noster, qui *Fracastorii* vi-
 tam & merita singulari libro exposuit, contulisset operam suam
 ad *Conradum Gesnerum* debite describendum. Sed cur Itatorum
 gloriæ amplificandæ essemus iniqui? Illi non sunt extra rem-
 publicam literariam positi, quippe quorum industriæ meritis-
 que debemus, quod humaniores literæ sese in Germaniam in-
 fuderint. 24) Uncialis rarus Ducis Megalopolitani Suerinensis,
Christiani Ludovici, ad A. 1670; 25) Thalerus Ducis Lotharin-
 giæ, *Caroli II*, ad A. 1575; 26) rarus Uncialis Scoticus Regis *Ja-*
cobi I Britannicæ; 27) Thalerus Episcopi Wirceburchensis, *Phi-*
lippi Adolphi, ad A. 1623; 28) Thalerus rarior Episcopi Mona-
 steriensis, *Bernhardi Christophori de Galen*, ad A. 1659, in cujus
 postica repræsentatur crux miraculorum conciliatrix Cœsfeldi-
 ensis; 29) duo rariores Ducati *Ludovici XII*, Regis Galliarum, &
 Papæ

Papæ *Julii II.* Ducatus prior in postica habet perigraphen ex *Es. XIV, 22: Perdam Babilonis nomen*, Romano Pontifici oppositam, quicquid *P. Harduinus* in contrarium differere studuerit, quem refellit *B. Liebius* in scripto peculiari. 30) Numisma rarum unilaterale, præferens imaginem *Mariæ*, Scotorum Reginae, in qua notamus perigraphen: *Maria Stowar, Regina Scotia & Anglia*; 31) Numisma rarum & unilaterale *Casimiri*, Marchionis Brandenburgici in Principatibus Franconicis, ad A. 1525; 32) Numus *Sixti V.* memoriam ædiculæ *S. Petri*, Romæ ab eo structæ A. 1589, conservans. Ædiculæ in postica adjecta est perigraphæ: *SUPER. HANC. PETRAM.* Infra adscriptum: *ROMA.* 33) Numus rarissimus, ex auro & argento in urbe Monasterio a Rege Anabaptistico A. 1534 percussus. Anabaptistæ & Rex & Ministri erant pessimi & libidinosisimi mortalium, qui in puellas innuptas quoque involabant, ac nonnullas earum ad necem usque stuprabant. 34) Numisma, referens *Henricum IV.*, Galliarum Regem, & pulcherrimam *Gabriellam*, Ducem *de Beaufort*, concubinam Regis primam, ad A. 1597. Regis caput in eo est delineatum uti *Herculis*, pelle tecti leonina. 35) Numisma *Alexandri VII* Papæ, in cuius postica conspicitur porticus, quo cinxit arcam magnam ante templum *S. Petri*, ad A. 1661; 36) Numisma mnemonicum in Electoris Saxonie *Joannis Georgii I* Vicariatum Imperii A. 1612; 37) Numus argenteus Regis Francorum, *Caroli Calvi*, ad A. 878; 38) Numus sepulcralis in *Joannem Georgium III*, ultimum Comitem Eislebiensis, seu Evangelicæ, prosapiæ, ad A. 1710; 39) Thalerus Comitis Lowensteinensis, *Maximiliani Caroli*, ad A. 1711; 40) rarum Numisma *Mariæ*, Reginae Hungarorum viduæ, sororis *Caroli V & Ferdinandi I*, ad A. 1530. Pretium ejus æquat sex Ducatos. 41) *Francisci Carrariæ* Numus, memoriam iterum occupati ab eo Patavii significans, ad A. 1390. Tragicum ipsius exitum quis non dolet? In carcere fuit Venetiis cum fratre & duobus filiis strangulatus A. 1406, 2 Jan. 42) Uncialis rarus *Mariæ*, Scotorum Reginae, & secundi ejusdem conjugis, *Henrici*, ad A. 1566. Regina hunc Regem A. 1567, 10 Febr. noctu in lecto strangulandum curavit. 43) *Eucharisti Casimiri*, Comitis

TAB. V
Fig. 5.
Pag. 234.

328.

336.

Bbb b

Lowen-

Lowenstein-Wertheimensis, uncialis admodum pulcher, ad A. 1697; 44) Numisma rarum *Wilhelmi VII*, Comitis principali dignitate ornati, ad A. 1557; 45) Capitatus Ducis Sabaudia, *Caroli I*, ad A. 1483; 46) rarissimus Thalerus *Caspari Ignatii* Comitis *de Künigl*, Episcopi Brixienfis, ad A. 1710; 47) rarum Numisma aureum alicujus Russorum *Pseudo-Demetrii*, probabiliter primi; 48) duo singulares Numi Ducis Sabaudia, *Emanuelis Philiberti*, ad A. 1562; 49) uncialis Numus *Caroli Emanuelis I*, Ducis Sabaudia, in cujus postica spectatur imago pii Ducis *Amadei IX*, ad A. 1619; 50) Thalerus ejusdem, percussus A. 1630, cum foedus iniret cum Hispanis adversus Regem Galliarum; 51) Thalerus, tutelam referens *Christiana*, Ducissa, cui inculca est ipsius imago & filii *Caroli Emanuelis II*, ad A. 1642; 52) angulatus unilateralis Numus *Ferdinandi I*, Regis Hungaria, bello Hungarico urgente A. 1552 percussus. In Supplementis occurrunt Numi praeterea pauci, quorum mentionem negligere est nefas. Additur eclypon 1) Thaleri & Ducati, quem A. 1712 & 1716 cudendum curavit *Maximilianus Carolus*, Princeps Lowenstein-Wertheimensis; 2) Numus mnemonicus *FridERICI III*, Regis Dania, referens oppugnationem, a Suecis Hafniae intentatam, sed feliciter A. 1659, 11 Febr. propulsam. Additur duplex Ducatus Sabaudicus tutelaris, ad A. 1677. In Tabula, titulo adjungenda, afferuntur duo Numi praeterea, videlicet infelicis *Francisci junioris de Carraria* ad A. 1390, & Thalerus *Elwangenfis* Praepositi ac Domini *Henrici Christophori*, in cujus postica legitur perigrapha: LVPIS. ROMA. NVTRITVR. ELVACVM. SERVATVR. Quos multijuga Autoris Cel. tenet eruditio, ac historicae rei amoenitas allexit, ii ex ipsis gratius bibent fontibus, ac recensionem *Partis sextae* eupide a nobis expectabunt.

SPIEGATIONE DI ALCUNI MONUMENTI DEGLI

antichi Pelasgi, &c.

id est,

EXPLICATIO NONNULLORUM MONUMENTORUM,
ad antiquos Pelasgos referendorum, translata e
Gallico,

Gallico, una cum observationibus nonnullis de eisdem monumentis.

Pisauri, 1735, 4.

Plag. 11.

Expositionis Autor est Cl. *Ludovicus Bourguetus*, Professor Philosophiæ in Academia Castelli Novi inter Helveticos, sed nuper, quod dolent boni omnes, ad Superiorum vitam evocatus, cuius celebrata est olim amplissima linguarum notitia, per Orientis & Occidentis tractus longe lateque patens. Exposuit ipse Monumenta tria, quorum primum est tabula ænea, cujus cætypon dedit *Sponnius* in *Miscellaneis erud. antiq. pag. 87 edit. Lugdun.* illustrissimus Marchio *Maffeus* in doctissima *Dissertatione de Italis primitivis* prima tria verba hujus tabulæ explicavit. Reliquas *Bourguetus* dedit expositas satis ingeniose. Interpres Italus, qui Dissertationem præcæmialem præfixit, recenset primo *Bourgueti* expositionem, dein vero eam dijudicat, suumque interponit iudicium. Credidit *Bourguetus*, *Lerprium Santirpium* Daunvium, ætati *Romuli* supparem, ex voto distribuisse frumentum pauperibus, ac placentam unam, serpo nardi uno, pinique & mali granati, ac eam, quæ denuo delineata assertur, fieri fecisse tabellam, quæ exstiterit in templo *Apollinis* & *Clatre*, quod, secundum *Victoris* testimonium, fuerit in sexta Romæ regione, quorsum eam obtulerit *Lerprius*. Objectiones expromit adversus hanc opinionem interpres & unam & alteram. Primam desumit ex *Dionysio Halicarnassensi*, referente, tabulas æneas tempore *Tullii Hostilii*, Regis Romani, nondum usui fuisse adhibitas, sed factas e ligno querno. Inter hæc fere dubitat, an tabula sit genuina & facti veri index. Secundam deducit ex *Ægyptio Clatre* habitu, *Isidi* proprio, modio in capite *Apollinis*, listro & flore lothi juxta *Isidem* conspicuo. Addit idem, Romæ ætati cultum *Ægyptiæ* religionis haud convenire. Postea etiam *Ædilibus* Romæ fuit mandatum, ut animadverterent, ne qui, nisi Romani Dii, neu quo alio more, quam patrio, colerentur. Anno U. C. 700 Senatus sana *Serapis* & *Isidis* destrui jussit, quod eos non magnopere inter Numina numerabat, teste

Pag. 2.

3.

4.

5.

Pag. 6. Livio Lib. XL. Paucos post annos iterum omnia templa *Isidis Serapidisque aruspices demoliri jusserunt*. Noluere scilicet in-
 vehi Numina nova. *Victor* descripsit Romam, qualis erat suo
 tempore, non *Romuli* ætate qualis exstiterat. *Livius* de *Romu-
 lo, Herculis* cultum adoptante: *Hæc tum sacra Romulus una ex
 omnibus peregrina suscepit*. Commercia, multis post annis cum
 variis gentibus instituta, infuderunt Romæ cultum Numinum per-
 egrinorum, quemadmodum autor est *Juvenalis Satira III. Ægyptii*,
 cum *Romulus* viveret, cum peregrinis commercia fa-
 stidiebant, teste *Herodoto Lib. II Cap. 152, 154*. Adde illud *Var-
 ron* ex *Augustini Lib. IV de Civ. D. Cap. 36: plus quam annos
 centum & septuaginta Romam sine simulacro Deo coluisse*. Idem
 confirmant *Plutarchus* in *Vita Numæ* & *Tertullianus de Idolola-
 træ Cap. 3*. Duo, à *Bourguet* explicata, *Osiridis & Isidis* simu-
 lacra simplicitati *Romulidarum* primorum haud respondent. *Ovi-
 dius* certe *Fast. Lib. I:*

*Dum populus pauper, dum nova Roma, fuit,
 Jupiter angusta vix totus stabat in æde,
 Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.*

9. Cultus complurium Numinum in monumentum primura con-
 fluxerunt. In ea, quæ dicitur *Apollinis*, figura vides pallium,
 manum lyra adnotam, fulmina *Jovis* in sinistra manu, radios
 solis, modium *Serapidis*, rotam *Nemesæos*. Figura altera,
Isidem referens, in sinu gerit lunam corniculantem instar
Dianæ; præterea habes in ea characteres *Isidis*, sistrum, flores-
 que loti, serpentem, *Salutis* symbolum, virgam, providentiæ in-
 diciam, proram navis, indicem affluentia, pinumque *Cybeles*.
 Quomodo hæc ad simplicitatem ævi *Romulo* proprii quadrant?
 Inscriptio utriusque monumenti est mere Latina, ad ætatem *Ro-
 muli* haud referenda. Si nobis licet, quæ sentimus, dicere, in
 monumento primo *Antonium & Cleopatram* latere putamus. Sub-
 scriptio posthæc fuit addita ab homine barbaro, vel ad aliam
 pertinuit tabulam. *Gubiis*, seu *Iguvii*, vero hoc repertum fuit
 monumentum. Alterum monumentum est tabula *Eugubina*,
 quam *Gruterus* jam de lit ex parte inculam pag. 145, & quæ
 olim *Patavii* in *Bibliotheca Bembi* fuit allervata. *Pescia* in proce-
 mio

mio explicationis magnæ tabulæ Eugubinae n. 7 existimat, partem in ea existare promissorum, datorum Deis, urgentibus calamitatibus horrendis. Ventionem tabula illa contineri, pro-
 sus improbable videtur Auctori, siquidem deest vox *ventitionis*, momentum *contractus*, &c. Tabula duabus diversis dialectis fuit perscripta ob convenientiam vocum multarum. Votum in ea continetur, Deis nuncupatum, quo expetitur, ut hinc Pelagis liberent confinia Eugubii, vel alia loca. Adjunguntur ab interprete nonnulla ad monumenti tertii illustrationem, quibus licet superfedere. Succedit Epistola de duabus, vulgo Hetruscis, Inscriptionibus, ad *Scipionem Maffei*, Illustriss. Marchionem, ex *Diarrii, Bibliothecæ Italiquæ* inscripti, *Tom. III. Art. 8* huc translata. Iguvium, nunc Gubbio, Eugubium, Umbriæ est oppidum, itinere urbis diei Roma distans. Tabulæ octo Eugubinae æneæ, olim pars conclavi subterranei in Amphitheatro ibidem, creduntur vulgo, si *Merulam & Cruturum* sequimur, ita scriptæ, ut in septem illarum Latine adhibita sint literæ, in una Hetruscæ. Tabulæ fuerunt inventæ A 1444. Ex eo tempore doctis crux fuit per eas fixa. *Cl. Bourguerus* litanias eas existimat Pelasgiæ oppositas, ac ita expositionem suam orditur:
 Este. Perso. Aveis. Ateriater. Enetu. 12.
 13.
 29 seq.
 44.
 45.
 55.

Latine hæc ita interpretatur:

<i>istud</i>	<i>augurium</i>	<i>avium</i>	<i>fulguratarum</i>	(<i>en ipsæ</i>
<i>Parfa.</i>	<i>Carnasæ.</i>	<i>Derfa.</i>	<i>Peiqu.</i>	<i>Peica.</i>
<i>coruix,</i>	<i>cornix,</i>	<i>excortæ,</i>	<i>picus,</i>	<i>pica,</i>
<i>Merfa.</i>	<i>Poci.</i>	<i>Angla.</i>	<i>Asteriatio.</i>	
<i>scilli)</i>	<i>facis</i>	<i>numium</i>	<i>ficitatis</i>	
<i>Este so.</i>	<i>Tremu.</i>	<i>Serfo.</i>	<i>Aofect.</i>	
<i>que eris</i>	<i>tremula</i>	<i>fatium</i>	<i>curtorum</i>	
<i>Ure.</i>	<i>Ehuelru.</i>	<i>Styl.</i>	<i>Oelerialis.</i>	
<i>proventus</i>	<i>evulsione</i>	<i>siptarumque</i>	<i>ustulatione &c.</i>	

Si quæris de ratione interpretationis, ejusque fundamentis, docendus es adhuc pauci. Subjuncta sunt Nota hinc interpretandi modulis, quibus incognitis verbis, & obscuritati, oleum infunditur ex Græcis, & nonnunquam ex Palæstina & Chaldaea.

Latinae interpretationi subjicitur porro interpretatio Italica, quæ cohæret melius, quam Latina. Laudamus merito viros, magna & difficilia ausos, non inficiante, nos tam acutum non cerne-
re, ut libeat quidquam definire, nisi id unum: *Non li-
ques.*

TRAITE' DE LA PHLEBOTOMIE ET D' ARTE-
riotomie, &c.

hoc est,

TRACTATIO DE PHLEBOTOMIA ET ARTE-
riotomia, ex veteribus recentioribusque Autoribus col-
lecta, & observationibus criticis in utrosque aucta,
per MARTINUM, Medicinæ Doctorem, & Facultatis
Montis Pessulani atque Universitati Medicinæ
Avionensî adscriptum.

Parisiis, apud Cavalerium, 1741, 12 chart. maj.

Plag. 11.

Experientissimo Autori, & Cel. *Sylva* de sanguinis missione li-
brum, & quæ in hunc editæ posthæc in lucem fuerunt,
Quesnaysi Observationes criticas, & incogniti Scriptoris Ten-
tamina physica, perlegenti cum cura, atque inter se contendenti,
varix circa loca, quæ adhuc obscuriora ipsi videbantur, in
mentem venerunt animadversiones, quas extemplo mandavit
chartæ, & cum in amplam satis molem excrevissent, plane in lu-
cem publicam emittere destinavit. Itaque nunc illæ prodeunt,
& quæ ad venæsectionis theoriam non minus, quam praxin,
pertinent, generatim speciatimque edisserunt, observationibus
Autoris sui ubique interspersis, qui, cum, re diligentius expen-
sa, ad *Sylva* amplectendum systema trahi se videret, nihil quid-
quam eorum simul prætermisit, quæ, ad tanti viri sententiam
confirmandam, in melioribus scriptoribus reperit. Quamvis
etiam & ab hoc, & a duobus reliquis Autoribus, dissentire inter-
dum habuerit; tanta tamen erga omnes usus est modestia, ut in
nemini reprehensionem incurfurus eo nomine videatur. Ord-
tur

tur autem omnem suam de Venæsectione tractationem a doctrina generali, quam *Cap. I* de derivatione, revulsione, atque evacuatione, sanguinis proponit. Derivationem in directam, sive principalem, & in lateralem, revulsionem vero in absolutam & constantem, ac invariabilem, dividit. Evacuationem quoque bifariam considerat, vel quatenus adhuc fit, ac pedetentim se per omnia vasa distribuit, vel quatenus jam iusta proportione per omnia vasa dispersa fuit. *Cap. II* ad derivationem speciatim progressus, primum naturam, & mechanicam ejus, explicat, hinc ad objectiones Autoris Tentaminum physicorum contra systema derivationis respondet, tunc placita *Quesnaysi* de derivatione excutit, observationes de magnitudine ejus subnectit, & post expositionem extensionis derivationis lateralis juxta atque contrarii nitus, qui sub venæsectione contingit, effectus, causas, & emolumenta, venæsectionis derivatorix, derivationemque lateralem in venis sanguineis & lymphaticis, persequitur. *Cap. III* de revulsione sigillatim tractans, naturam ejus, regulasque revulsions, absolute non minus, quam variabilis, ac demum utilitatem venæsectionis revulsorix, explanat. *Cap. IV* de evacuatione sigillatim eodem modo disquirat. *Cap. V* indicationes, ut vocantur, & contraindicationes diversarum venæsectionum, evacuatorix nimirum, revulsivæ, tum in brachio, ejus simul emolumenta singularia recensentur, tum in pede, tum in collo, ubi simul systema *Cel. Sylvæ* sub examen venit, & derivatorix, enarrat. *Cap. VI* indicationes & contraindicationes venæsectionis speciales, quæ ex morbi genio, & statu ægrotantis, petuntur, eruit, hincque morbos, qui magnas frequentesque venæsectiones exigunt, & circumstantias, quæ easdem permittunt, tum morbos, circumstantiasque, quæ easdem prohibent, eos porro casus, ubi venæsectio in tumoribus convenit, & singulares denique observationes, de pulsuum ad sanguinis millionem habitu, exhibet. *Cap. VII* virtutes boni Chirurgi, & cognitionem, quæ ad venam dextro secundam necessaria est, collaudat. *Cap. VIII* cautiones, a Chirurgo & Medico ante, in, & post, venæsectionem teneudas, sistit. *Cap. IX* de iis, quæ sub venæsectione tum in
brachio,

brachio, tum in pede, interdum accidere solent, & medelo, istis adhibenda, exponit. *Cap. X* de remediis, quæ venæsectionis vices gerunt, scarificatione nimirum, & hirudinum applicatione, tractat. Ad extremum *Cap. XI* Arteriotomiam subjungit. Dedimus jam conspectum totius Opusculi, ut, quid in eo tractatum fuerit, unico velut obrutu perspicere facile queat. Quæ vero omnia quomodo diducantur latius, explicenturque, cum instituti nostri ratio non permittat, ut copiose referamus; ne prorsus ἀσύνθετοι discedamus, ex postremo de Arteriotomia *Capite* quædam in medium adducere placet. Certum scilicet exploratumque habet Cel. Autor, morbos esse, qui sanguinis missionem postulant, a venæ autem sectione non perferantur. Prius igitur, quam ægrotus certæ neci relinquatur, summe & absolute propemodum necessarium putat, ad Arteriotomiam confugere. Omnis hujus remedii vis & efficacia ad impetum sanguinis arteriosi refertur, quod, incisa arteria, sanguis magna cum celeritate profilit, ac proinde etiam derivatio ac revulsio, hinc orta, longe promptior, vividior, & major, est, quam ea, quæ fit vena aperta. In inflammationibus igitur, obstructionibusque nobiliorum viscerum, quæ primarii morbi, non vero effectus tantum febris cujusdam putridæ & malignæ, sunt, & in quibus vena sine fructu secatur, satius habet Noster, arteriotomiam suscipere secundum regulas phlebotomiæ præscriptas, quam ægrotum in præsentissimo vitæ discrimine destituere. Quare enim non potius in apoplexia, aliisque gravioribus cerebri morbis, qui sanguinis missionem exposcunt, a secta aurem vena non levantur, arteria temporalis, vel quædam pone aures, incidere, avocatusque sic ab interna carotide sanguis ad extremam invitaretur, vivido magis & efficaciori impetu, quam jugulari venæsectione? Exemplis etiam atque testimoniis Autorum constat, ejusmodi arteriotomiam in cephalæa, & hemisphæria inveterata, ophthalmia item & phrenesi, aliisque morbis similibus, admodum fuisse reliquis irritis fructuosam. Quamvis etiam omnes de sectione arteriæ radice tam veteres, quam recentiores, taceant Autores; Noster tamen religioni sibi ducturus esset, eam non adhibere interdum propter utilitatem, quæ

in apoplexia, angina, pulmonum & abdominis inflammationibus, atque obstructionibus maximi momenti, ipsisque cerebri obstructionibus, ubi reliqua omnia frustra fuerint usurpata, hinc expectanda essent. Tribus, ut videtur, rationibus a secanda hac arteria Medici se deterreri patiuntur: 1) quod ea satis magna est, ut hinc varii periculosi eventus merito timeantur; 2) quod os radii, fulcri loco huic arteriæ inserviens, non satis planum esse videtur, ut arteria recte comprimi queat; 3) quod punctura illa, quando Chirurgus arteriam in flexura cubiti loco basilicæ aperit, difficulter sanatur. Quamvis vero inde recte conficiatur, hanc arteriotomiam non nisi casibus maximi momenti esse reservandam; neutiquam tamen eandem damnare exinde, & omittere prorsus, oportet, imprimis si cogitetur, 1) hanc sanguinis missionem aliquem fructum felicemque successum in arduis illis & difficilibus morbis, quos supra indicavimus, polliceri; 2) non esse adeo difficile, arteriam radiazam, de industria incisam, comprimere, ut hic ex anatome demonstratur; 3) inter ejusmodi sectionem, quæ in arteria radiazam peragitur, & quæ in arteria juxta flexuram cubiti ex incuria fit, magnam esse diversitatem. Ubique autem in secandis arteriis quinque hæ cautiones teneantur: 1) Ejusmodi eligatur arteria, quæ subtus os habet, fulcri loco ipsi inserviens, ut satis comprimi illa, & sanguis in arterias laterales derivari, queat, eademque nec ampla admodum, nec valde exigua, esse debet; 2) ligatura tam in arteria temporali, quam radiazam, methodo hic fusius descripta recte applicetur; 3) ipsa arteriæ sectio ratione, hic itidem fusius tradita, administretur; 4) nec parum emittatur sanguinis, nec nimium educatur, & media ubivis via inter *Riverii* parsimoniam & liberalitatem *Lindani* teneatur; 5) sanguinis fluxus, prout hic indicatum est, perite circumspecteque coerceatur.

JO. JAC. HUBER, PHIL. ET MED. D. IN Acad. Georg. Augusta Med. P. P. & Anat. Prof. in Acad. patria, quæ Basileæ est, Facult. Med. Adj. Medici Aulici Sereniss. March. Badena-Durlac. & Acad.

*Cæsar. Leop. Nat. Curios. Collegæ, de Vaginae uteri
structura rugosa, nec non de Hymene, Com-
mentatio.*

Gottingæ, 1742, 4.

Plag. 8, cum Tab. æn. 1.

Structuræ corporis humani cognitionem, ut naturæ in univer-
sum historiam, magis singularum partium sedula observa-
tione, quam systematibus condendis, promoveri, certum est. In
singulis fere studiose rimanti licet nova quædam invenire, li-
cet plura, ab aliis jam proposita, illustrare, quæ, etiam si sæpe mi-
nuta videantur, scire non inutile est. Illæ vero corporis fœ-
minini partes, quæ ad propagandum genus faciunt, quæ pluri-
mis morbis obnoxie sunt, quarum medicina omnium morta-
lium salus nititur, quarum inspectio ad famam castitatis resti-
tuendam interdum necessaria est, satis curate explicari non pos-
sunt, cum ex earum habitu, secundum naturam perspecto, &
obstetricia manus dirigatur, & morbosæ constitutiones feliciter
inveniantur, inventæ facilius ad sanitatem reducantur, & inno-
centia oppressa certioribus indiciis restitui possit. Libellus,
quem de his agere, titulus indicat, e copia observationum de-
sumtus est, quas Cl. Autor se e pluribus quam centum huma-
nis cadaveribus, a se dissectis, collegisse profiteretur. Brevem ejus
§. 1. conspectum hic dedisse juvabit, ut sciat Lector, quid in-
§. primis inde expectare possit. Partes externæ igitur in duas
quasi cameras dividuntur, exteriorem unam, alteram interio-
rem. Exterior, jam dudum cognita, & figuris expressa, labiis,
five alis, inferius coalitu suo fossiculam navicularem efficien-
tibus, continetur. Interior, sive sinus arctior, superius clitoride,
& ejus crenis, (nymphas alii appellant,) inferius eadem fossicu-
la naviculari, terminatur. Hanc vestibulum quibusdam vocare
placuit, quod in virginibus intactis & junioribus valere posse
putat Cl. Autor; verum, cum postea pars ejus inferior in unam
cum vagina cavitatem abeat, mavult vestibulum e sede quidem
superiori, (ut sinum arctiorem,) clitoride & ejus crenis, ex infe-
riori autem, vel hymenis arcu superiori, si adsit, vel vagina
parte

parte superiori, describi. Continet hoc vestibulum, modo dictum, & urethræ orificium, papilla carnea tectum, eminens, folliculis, ab inventore *lacunæ Graafii* nominatis, instructum, & utrinque plica magna interceptum spatium, quod, propter figuram convenientem cum ventriculis laryngis, ventriculos vestibuli Cl. Autor primus appellat. In horum exacta historia aliæ lacunæ enarrantur, quæ ad demulcendas partes, & ab urinx acrimonia defendendas, faciunt, diversæ ab orificiis *prostatarum Bartholini*, quæ extra ventriculos locatæ recensentur. Hymenis descriptio his succedit, & variis ejus figuris examinatis, asserit Cl. Autor vere & constanter, *hymenem esse membranam singularem, ab omnibus partibus vicinis distinctam, quæ nunquam penitus deficiat in vere intactis, quamvis interdum paulo minus emineat, & conspicua reperitur*, deinde pluribus de ejus fabrica acturus. Vaginæ rugæ pro ætate diversæ, diversa capacitas vaginæ, prout propius ori uteri, (quod internum male vocari existimat Cl. *Huberus*, cum externum non sit, nisi ostium vaginæ ita appellare velis,) vel remotius ab eo, consideres, postea traduntur. De vero habitu oris uteri hoc imprimis constanter observatum est, labia ejus in junioribus crenulata esse, deinde re vera labium superius & anterius, majus inferiore, extra inferius eminere, cum cetera eorum constitutio a vaginæ situ pendere videatur. Disputantur ea occasione plura de situ oris uteri obliquato, quem, antiquitus jam cognitum, rarius tamen observari, neque tantum periculi habere in parientibus, quantum vult omnium manibus tritus liber versatissimi in obstetriciis *Deventeri*, argumentis & experimentis, quæ Cl. Autori in cadaveribus partim, partim in viventibus, quarum partum adjuvit, capere licuit, adstruitur. Si obliquatum sit, plerumque sinistrorsum vaginæ apprimitur, utero dextrorsum reclinato, quod ortui intestini recti a colo tribuendum. Ipsas rugas quod attinet, summa eo redit, circa os uteri membranam lævem vix corrugatam inveniri, antrorsum deinde rugas magis magisque eminere incipere, & arcus circuli modo longiores, modo breviores, formare, qui lamellis brevibus, transversim interpositis, ab uno arcu ad alterum seceduntibus,

§. 6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

- dentibus, interfecentur; tandem ad ostium vaginæ breves, æ-
- ctus sibi applicatas, rugas lamellarum fluctuantium naturam in-
- duere. Hæc dum amplius declarantur, imprimis elegans re-
- ticulata structura, intercepta duabus columnis, anteriori post
- urethram, & posteriori minori ad rectum, amplis, eminenti-
- bus, carneo-papillofis, exponitur. Deinde de quarundam ca-
- runcularum myrtiformium, integro hymene existentium, origine
- quædam afferuntur, & corpuscula globosa *Verbeyni* videri pa-
- pillas carneas columnarum, indicatur. Elegans est, quod inter
- alia de rugarum utâ proponit Cl. Autor, illas ad augendam
- vaginæ diametrum in partu nihil conferre, quod nimirum, cum
- in orbem dispositæ sint, si complanentur, ad axin potius auge-
- retur vaginæ capacitas, & necesse esset, longitudinales esse, si
- ad incrementum peripheriæ aliquid conferre deberent, quod
- deinde pars superior vaginæ, ori uteri proxima, minime cor-
- rugata, omnium maxime distendi possit; atque adeo rationem
- diametri auctæ & in spongiosâ vaginæ natura quærendam esse,
- & si quid rugæ huc conferant, id pendere ab iis rugis, quæ in-
- terjacent ceteris, & eas obliqua directione conjungunt. Ipsum
- vaginæ ostium, vel duabus plicis, membranaceis, superiore
- minore, inferiore majore, lata, falcata plus minus, se invi-
- cem contingentibus, vel unica, circum membranaceum effi-
- ciente, in medio superiora versus perforata, vel duabus tan-
- dem in reticuli formam coalitis, in virginibus intactis conclu-
- sus est. Has structuras hymenis pro ordinariis habet Cl. Au-
- tor, ita, ut rotundus tenerarum in falcatum, accedente ætate,
- plerumque degeneret, etiamsi viderit, corpuscula carneo-papil-
- losa pone hymenem cum hymenis margine ampliori concrefces-
- se, etiamsi viderit, medium marginem superiorem falcis, quam
- plica inferior hymenis constituit, cum producta ex medio mar-
- gine superiori vaginæ carnea papilla, columnæ carneæ ope, co-
- hærere. Sed nempe, quam modo diximus, fabricam morbo-
- sam esse putat, & Chirurgorum manum interdum requirere,
- certe genesis ejus eleganter describit, allatis antea aliorum opi-
- nionibus de structu & hymenis diversâ ratione. Corpuscula, quæ
- interdum ad constituendum hymenem facere dicta sunt, & de
- quibus

quibus superius jam actum est, cum myrtiformibus vulgo confusa, ut distinguantur, *carunculas carneo-papillares pisiformes* appellandas censet Cl. Autor, cum omnino integro hymene sæpe per se subsistant, & re vera in mulieribus existent rupti hymenis heminæ, nomini & descriptioni caruncularum myrtiformium convenientes, distinctæ a corrugationibus ostii vaginæ, quæ, si explanetur ostium, evanescent. Quomodo hæc omnia per ætatem & usum immutentur, postea docetur. Nimirum hymenem non nisi vi externa adhibita lacerari, & frustra menstruarum purgationum acrimoniam interdum accusari. Rugas sensim deleri incipere, columnis tamen carneo-papillaribus crenulatis ad summam sæpe ætatem durantibus; primam magnam tandem cum sinu arctiori in unam pane cavitatem degenerare, ita tamen, ut distincti maneat ventriculi vestibuli; corpus glandosum urethræ magis eminentius evadere; & lacunas omnes ampliores fartas magis apparere. Verum hæc omnia fusius & accuratius descripta in libello ipso videri possunt. Tabula ænea, ad calcem adjecta, depicta habet: 1) uterum sexagenariæ, cum partibus, eo pertinentibus, vaginam imprimis a parte posteriori resectam & explicatam, ut, quæ de structura sedium exteriorum pariter & interiorum dicta sunt, inde eluceant; 2) ex eadem fœmina laciniam ovarii hydropici, per microscopium consideratam, ut corpuscula, acinos referentia, distinctius viderentur; 3) hymenem rotundum ex puella, aliquot hebdomades nata; 4) hymenem falcatum ex puella 14 annorum; 5) ejusdem puellæ vaginam a latere sinistro resectam; 6) hymenem, columna carnea superiori oris vaginæ parti affixum, ex puella 7 annorum; 7) uterum, ceteris partibus remotis e latere sinistro resectam & explicatam, e muliere 40 annorum. Adjectæ sunt explicationes figurarum minutissimæ. Figure ipsæ a peritis artificibus ad naturam ductum delineatæ & æri intusculptæ sunt, ut etiam hæc ex parte res anatomica incrementum cepisse videatur.

§. 16.

33.

34.

35.

25.

26.

27.

ANTIQUITES DE LA VILLE DE LYON, &c.

hoc est,

Ccc c 3

ANTI-

ANTIQUITATES URBIS LUGDUNENSIS, aut explicatio antiquissimorum illius monumentorum; una cum inquisitionibus in res alias notatu digniores, quæ quidem peregrinorum trahere attentionem possunt, per Patrem D. D. C. F.

Tomi II.

Lugduni Gallorum, apud Franciscum Rigolletum, 1738, 12 maj.
Alph. 1 plag. 17, cum variis Figuris æneis.

Est utique, cur Vir eruditissimus, has qui Antiquitates Lugdunenses publici juris fecit, operæ fecisse pretium dicendus sit. Non de peregrinis solum, qui celebrem illam Galliæ civitatem lustrare solent, non de ruderum antiquitatumque scrutatoribus, sed de omni plane eruditorum hominum genere, meritis hoc libello egregie fuit. Vel perbrevis lucubrationum *συνοψωσις* clarius id manifestabit. Fundamenti loco sternitur regula generalis, antiquitatem urbium Gallicarum, Romanarum, Græcarum, dijudicandi. Inde sigillatim ad primordia Lugdunensia progressio fit. Conditæ urbs illa est, *Dione, Plutarcho, Polybio, Seneca*, testibus, a *Planco*, post *Cæsarem* occisum, & *Antonium* hostem patriæ declaratum; atque initio Lugudunum, mox Lugdunum, nuncupata. Vana igitur sunt, quæ de fundatione hujus urbis per *Lugdum*, aut *Momorum* & *Atepomarum*, narrantur; quanquam principes pariter isti in Gallia quondam maxime claruerunt. Neque hæc civitas, ut aliæ tantum non omnes, a tenuioribus initiis ad insignem gloriam surrexit; sed primum fere durationis suæ seculum gloriosissimum habuit. Atque exstant etiam numi auri argenteique, jam illo tempore ibidem cusi; fuit enim ipsa regio ejusmodi metallorum fertilis. Disputatur hac occasione non solum de modo antiquo cudendi, sed & de moneta quadam *Marci Antonii* Triumviri. Hic idem construendos curavit aquæductus Lugdunenses magnificentissimos, quorum hodieque rudera exstant, quemadmodum balnea Romana propemodum integra conspiciuntur. Nec minus vestigia exstant majorum imperiæ Romanæ viarum, quarum hic centrum posuit *Agrippa*. Erant autem

autem quatuor ejusmodi viæ militares, non sine insigni difficultate constructæ, ac lapidibus, seu columnis, ad singula milliaria exornatæ. Nec minus notari meretur ara sive templum *Augusti*, quod sexaginta illæ nationes, quæ mercaturam ibi exercebant, ædificarunt. Claruit nimirum statim ab incunabulis urbs Lugdunensis commercio. Exponebantur autem præsertim pannus; ferrum, carbatæ, atque aliæ res plurimæ. Ac dignum quoque fuit ædificium tam copiosæ societatis opibus; nec templo indigni Pontifices. Conspicuum se præsertim inter illos fecit *Ligarius*, cujus inscriptio quædam notatu dignissima adducitur. Dedicabat templum *Augusto Drusus* eodem die, quo Imperator *Claudius* Lugduni nascebatur. Sed de gloria hujus urbis *Caligula* etiam meruit, quippe qui præmia ibi eloquentiæ, tam Græcæ, quam Latinæ, constituit. Successor ejus, *Claudius*, & bonis & malis animi proprietatibus conspicuus, eximiam semper erga suam hanc patriam gratiam fovit, eandemque omnino in coloniarum Romanarum ordinem evexit. Murmurabant quidem initio Romani contra conatum istum; sed ipse non solum publicam in Senatu orationem pro hac civitate habebat, verum etiam a nomine suo coloniam *Claudiam copiam* vocabat. Abundantiæ nimirum Dea a Lugdunensibus sigillatim adorabatur, cujus superstitionis quinto etiam inde a Seculo existant vestigia. Oratio *Claudii* quibus tabulis æneis intusculpta fuit, quæ Seculo XV denuo repertæ sunt, quæque hic descriptæ exhibentur. At, quemadmodum summa quælibet proxima sunt ruinæ, ita & Lugdunum, in medio fortunæ splendore, incendio fractum est ac destructum. Vestigia hujus incendii, quæ etiam nunc plurima inveniuntur, *Gabriel Symeon* accuratius consignavit, rem autem ipsam jam olim *Seneca* vividius exposuit. *Nero* tamen non parum contulit, ut urbs, quoad fieri posset, instauraretur. Hoc beneficium cives haud ingrati susceperunt, verum & ideo in simultates inciderunt, quas cum Viennensibus deinceps diu aluerunt; donec demum vinculo inprimis communium sacrorum, nomen Christo dantes, hæ civitates unitæ carius fuerunt. Quid? quod, *Hadriano* imperante, eundem plane rei sacre antistitem acceperunt. Sed nos alia vocant. Non possumus facere, quin antiquum forum annotemus, ad imitationem fori *Trajanæ*

Cap. 4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

- jani* Romanorum accommodatum. Juvabantur præterea cives, quod vectigalia & tributa diminueret *Hadrianus*; nec deerat illis, cur de *Antonini* adoptione plauderent, ac duo ipsi templa fundarent, quorum hodieque exstant rudera. Sed multo celebrius, ad *Antoninum* quod spectat, restat monumentum, taurobolium dictum, cujus illustratio multum in orbe literato sermonum fecit ac seripcionum. Observaciones e. g. suas publicæ luci donarunt antistes Adrianensis, *Blanchini*, & *Bonanni*, Lojoliticæ Societati adscriptus. Nec vero, in aliam discedentes sententiam, partibus suis defuerunt Academia Gallicæ Socius & Academia Inscriptionum Secretarius perpetuus, *de Boze*, ac Pater *Daniel*. Talibus antecessoribus gaudens Noster, totum aliquod *Caput* considerationi tauroboliorum generali, & alterum horum singulari, impendit. Ibidem Inscriptionem, eo pertinentem, illustrat egregie. Post tractationem autem illam, tam longam, quam accuratam, ad alia sacra antiquorum civitatis Lugdunensis incolarum contemplanda accedit. Excudit ibi præsertim traditiones fabulosas de Samotheis, Sarrodis, Bardis, Druidis, qui Poetæ, Philosophi, legum latores, Theologi, fuere Gallosum. Enarrat item cultum, *Mercurio*, *Apollini*, *Hermathena*, *Marti*, *Jovi*, *Mithra*, atque aliis, a Lugdunensibus præstitum, vota que, iisdem nuncupata; qua occasione antiquitatis quoque nonnulla monumenta explicantur. Hæc eadem ad considerationem formulæ solennis Autorem deducunt, quæ tumulis antiquorum Lugdunensium inscribatur: SVB ASCIA DEDIC. Verba ista verum Nostro esse problema literarium videntur. Dissidium ergo sententiarum proponitur atque examinatur. Opiniones *Chorierii*, *Sponii*, *Fabretti*, *Lazii*, *Mentriotti*, rejiciuntur; magis autem sunt ad palatum *Aldi Manutii* & *Moneti* explicaciones. Reperitur autem *Manutii* explicatio in ipsius *Comment. ad Lib. II Cic. de Legibus*, respiciens antiquam Romanorum legem: *rogum ascia ne polito*, simplicitatemque monumenti indicatam esse ostendens. Sed potiores hic esse inquisitiones videntur, quæ de situ urbis antiquo, deque duorum amantium tumulo, inspicuntur, ubi præsertim ex Inscriptione quadam confirmatur, hunc tumulum esse fratris & sororis, quorum nomina fuerint *Amandus* & *Amanda*. Nos autem, ne fabulis derineamur, id saltem adhuc memoramus, quod in primario urbis templo plurima reperiantur, quæ attentionem merentur curiosorum, quæque sub finem elegantissimæ tractationis Autor percenset.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ
Calendis Octobris Anno MDCCXLIII.*

ΠΛΟΥΤΑΡΧΟΥ ΑΠΟΦΘΕΓΜΑΤΑ ΒΑΣΙ-
λέων καὶ στρατηγῶν, &c.

hoc est,

*PLUTARCHI APOPHTHEGMATA REGUM ET
Imperatorum. Apophthegmata Laconica. Aliqua La-
cedæmoniorum instituta. Apophthegmata La-
cænarum.*

Londini, apud Guil. Darres & Claud. Dubosc, 1741, 4 maj.

Alph. 1 plag. 2.

Tamet si hoc Apophthegmatum opus doctissimus *Rualdus* in *Vita Plutarchi Cap. 21 κιβδηλον* esse iudicet, ipseque *Fabricius*, Vir πολυμαθέστατος, in *Bibliotheca Græca* nervos & sanguinem *Plutarchi*, imo colorem, in illo dudum se desideravisse profiteatur; fecit tamen ex voto cum nostro, tum literarum, egregie *Mich. Matrairius*, Vir Clarissimus, quod tam splendida veste & typorum cultu exornatam hanc sapienter acuteque dictorum syllogen denuo promulgavit. Sive enim *περγύμνασμα* filii *Plutarchi* appelles, ex variis consultum pannis, sive alium atque alium his sententiis parentem quæras; lectu tamen jucundissimus liber est, omnibusque suo jure commendandus, quoniam sat vetustus est, & doctrinas, venustissima urbanitatis salibus respertas, exhibet. Quanquam vero nullorum librorum commemoratione magis delectamur, quam Græcorum Latinorumque; satendum tamen nunc est, præter voluntatem otium hac in re fecisse nobis Cl. Editorem, quoniam præter paucas annotationes, ex editione *Stephaniana & Nylandri*, aliis-

D d d d

que

que scriptoribus, in fine collectas, & magnificam chartæ literarumque formam & mundiciem, nihil facile, quod memoratu dignum sit; invenies. Id unicum silentio præterire non licet, Cl. Editorem ad Græcum *Henrici Stephani* exemplum verba recognovisse, Latinamque *Xylandri* & *Stephani* interpretationem textui subiecisse, ita quidem, ut in *Apophthegmatibus Regum & Imperatorum, Laconumque, Xylandrum, in Laconicis contra inflicis, & Lacunarum Apophthegmatibus, Stephanum, adhibita Raphaelis Regii*, ubi res postulabat, versione, sequi studuerit.

ANNALES ECCLESIE DANICÆ DIPLOMATI-
ci, oder nach Ordnung der Jahre abgefaßte, und mit Ur-
kunden belegte, Kirchen-Historie des Reichs Dän-
nemarcck, &c.

hoc est,

AD ORDINEM ANNORUM COMPOSITA, ET
Diplomatibus illustrata, Historia Ecclesiastica regni Da-
nici, diligentissime adornata ab ERICO PONTOPPI-
DANO, Ecclesiaste Aulae Regiæ Danicæ, & S. S.
Theol. Profess. Extraord.

Pars I.

Hafniæ, typis viduæ Andree Mølleri, 1741, 4.

Alph. 4 plag. 18.

Denuo Autor S. Rev. sacram ac eruditam civitatem monū-
mento, pietatis & usus publici plenissimo, quod ære
perennius diligentissimeque est exactum, exornat, sibi que de-
vincit. Præmissa est Annabus icon *Canuti II*, Regis Danorum,
ac eorum Protomartyris. Opus Regiæ *Christiani VI* Majestati,
ac Regiæ *Sophiæ Magdalene* Serenissimæ, quibus ecclesia Evan-
gelica plurimum debet, merito fuit consecratum. Prædicat
Autor merita historica Regum Danicæ, *Suenonis Eistritsoni, Wat-
demari Magni*, † 1182, *Erici Mændesed*, ejus olim exstite-
runt *Congesta Mænedi, Erici*, Pomerani, *Christiani II*, *Fri-
derici III*, ac ipsius Augustissimi *Christiani VI*. Jam inde ab
A. 1730 Autor in hoc Opere detudavit. In hoc studio jam
decur-

decurrerunt *Andreas Wellejus*, D. *Joannes Pauli Resenius*, Episcopus Helsingensis, *Thomas Bartholinus*, *Thome* filius, D. *Hector Gorbofredus Masius*, D. *Joannes Lassenius*, *Christianus Lassen Tychonius*, *Joannes Messenius*, aliique. Sed nihil operum, quod scribere voluere, vel scripserunt, lucem publicam adiecit. Expectavit hæc sparta virum indefessum, Autorem nostrum Venerandum, qui ipsam digne tueretur & ornaret. Dolendum est sane, quod Diplomata & Acta multa aliorum traxerunt *Mechtildis*, vidua Regis *Abel*, *Ericus*, Pomeranus, *Christianus II*, & ipse *Leo X*, Pontifex Romanus, A. 1517, immo Monachi, ævo Reformationis discedentes. Incendia inciderunt quoque sæpius funesta, quibus Acta & Diplomata ecclesiastica fuerunt comprehensa & combusta. A. 1634 pyrotechnicis officinis advecta fuit innumerabilis membranatum congeries, missilibus ignibus admota & adhibita, ac ludicro spectaculo concremata. Hæc recenset & exponit Noster in Prefatione. Pars hæc prima procedit usque ad exitum Seculi XIII. Secundum pertinet usque ad Seculum Reformationis ecclesiasticae. Tertia decurret usque ad annum 1700. Quarta hæc fortassis excipiet. Proroget, tueatur, & defendat Deus ter optimus vires S. Rev. Autoris, ut ipse huic operi ad umbilicum adducto supersit, vivusque gloria, qua dignum sese præstat, perfruatur! Chronologicum ordinem ipse fuit affectatus, cuique Seculo præmisit conspectum, nec omisit historias Regum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, singulis Seculis inferere. Partem hæc in Libros quatuor distribuit, quartoque subiecit *Jus ecclesiasticum Norwegie*, A. 1253, regnante *Magno Laghasther*, sancitum, & ab Archiepiscopo Dronheimensi *John* scriptum Norwegico veteri sermone sub titulo *Christen Rett*. Attulit ipse non archetypum, sed interpretationem *Anne Magnæ* Latinam. Tractationem exorsus fuit a conjecturis, quibus attinguntur primordia Christianæ religionis in Dania usque ad ætatem S. *Anscharii* & annum 826. Repudiat merito fidem Suecici Theologi, *Petri Bangi*, qui, *Adamum*, putavit, Sueciæ fuisse Episcopum, ac Seculo primo a C. N. jam religionem Christianam Suecis innotuisse. Conjectat tamen eum *Archiepiscopo*, Trinitatis dogma latere sub fabulis de *Othimo*, *Thoro*, ac *Frelia*. Com-

- memorat porro, baptismum quendam infantibus a populis septentrionalibus adhibitum fuisse. Adde, quod signum crucis diu ante *Anscharium* ab eis fuit adhibitum, & *Witichindus Lib. III* luculente tradit: *Dani antiquitus fuerunt Christiani, sed*
- Pag. 7. *nihilominus idolis ritu gentili servientes.* Veteri traditum est fide, *Egiltum & Marianum*, discipulos S. Petri, in Saxonia inferiori doctrinam Jesu hominibus nuntiassent. Recenset quoque
15. alias Autor ejusmodi traditiones. *Witibrodum* in Daniam venisse, *Alcuinus* est autor, addens, a Rege *Ongendo*, Jütlandiæ Principe, eum honorifice tractatum fuisse, *Paschalis I Ebonem & Halitgarium* misit in Germaniam septentrionalem ac terras adjacentes. Literas ejus bullatas edidit Autor. *Anscharius* tradidit, *Ebonem* terris aquilonaribus Evangelium nuntiassent, &
22. Danos ac Sueones jam permittere, ut sacerdotes fungantur apud
24. eos officio. Hinc Autor ad *Gautberti & Anscharii* expeditionem Danicam processit, monens, *Haraldum* ac *Ericum*, Principes Daniæ exules, imperantis *Ludovici Pii* opera doctrinam Christi suscepisse, rediisse in patriam, primam Christi ecclesiam circiter A. 827 in Hadebye prope Slesvicum fuisse conditam, primos ibi Christi candidatos in anse Schley baptizatos esse, *Haraldum* A. 836 decem annis post lustrationem sacram obiisse, & Christianos postea a Rege *Regnero Ludbrog* vexatos esse durum in modum. Suecos ab *Anschario & Gautberto* ad Jesum ex parte adductos, Danosque Suecorum Apostolos existisse, Autor docet. *Ludovici Pii* ad A. 834, & *Gregorii Papæ* ad A. 835, literas, quibus *Hamburgensis* Episcopatus sit constitutus, ipse attulit. Suspicio autem nos incessit, Diplomata illa minus esse genuina, existimandi, siquidem æra Christiana eis est sub-
34. juncta. Exponit Autor vicissitudines, quibus Christianæ doctrinæ cultores in Dania fuerunt jactati, onerati, & sublevati. Edidit literas *Nicolai*, Pontificis Romani, ad *Ericum* Regem datas, post *D. Philippum Cæsarem* ex Reformato Ecclesiaste Jesuitis aggregatum. *Anscharii* vitam enarravit, ejusque scripta recensuit. *Caantum I* religioni Christianæ favisse, negat, ac extremam unctonem a sacris Christianis in Dania haud disjunctam
51. fuisse, contendit. De Rege *Prothone*, Christianæ doctrinæ addicto, disserit. *Unium*, Archiepiscopum Hamburgensem, ejusque

ejusque conata per annia . . . egregia, attingit. <i>Ottonis M.</i> expeditionem Danicam perluſtrat ac Regem <i>Haraldum Blaatand</i> laudat, Christianæ rei favenda intentum. <i>Suen-Otto</i> Rex Christianam religionem amplectus & tutatus fuit. Deinde de iniitiis rei Christianæ apud Norwegos Autor exponit. <i>Poponis</i> miracula perluſtrat, & annotationibus perfundit. <i>Haraldum</i> celebrat, Episcopatum, Slesvicenſis, Ripenſis, & Arhufenſis, auctorem, ac <i>Ottonis Magni</i> Diploma, A. 965 Magdaburgi datum, adjicit, ratus, Daniam ab <i>Ottonis</i> potestate tunc nequaquam perpendiſſe. <i>Adeldagi</i> , Archiepiscopi Hamburgeniſis, merita in Daniam eccleſiaſtica collauſat. <i>Ottonis II</i> Diploma ad A. 987 affert, quo eccleſiæ Othenesvigenti privilegium impertitur, addens, <i>Ottónem</i> de alieno fuiſſe liberalem. <i>Suenonem</i> exulem ac reducem, Chriſtoque denuo aggregatum, propius inuetur, nec inficitur, ipſum in Anglia veſtigia crudeliſſima ubique ſparſiſſe. Hæc ad Seculum X. Tum vero res Seculi XI delineat eccleſiaſticas. Exponit figuram templorum & materiem, Episcoporum natalem terram, rectores eccleſiæ, quorum verba interpretis populo declaravit, redditus Parochorum, Monachos & Cœnobia, Synodos, diſciplinam eccleſiaſticam, ſtatum rei literariæ, ſcholas, <i>Rombertum</i> , Danorum ſcriptorem primum, doctrinamque & vitam Chriſtianam. Recenſet Poetas, ſeu <i>Skalderos</i> , Seculi decimi ac undecimi. Doctrinam Theologiæ apud Danos inter primordia profeſſionis Chriſtianæ æque atque in reliqua eccleſia occidentali multum ſcoriæ traxiſſe, oſtendit. Oſtendit, <i>Anſcharii</i> ætate Sanctos fuiſſe invocatos, ignem purgatorium cœſumuni ſuſſragio approbatum eſſe, tranſubſtantiationis dogma jam egiſſe radices, &c. Tum vero ſuccincte ſolideque edifierit vitas Regum Daniæ, qui Seculo undecimo floruerunt, <i>Canuti Magni</i> , <i>Canuti Dani</i> , <i>Suenonis Eſtveſchi</i> , <i>Haraldi VII</i> , <i>Canuti Sancti</i> , <i>Olai Famenſis</i> , & <i>Eriki Noni</i> . <i>Sueno II</i> <i>pianam quartam</i> in Dania obſervari ac vigere juſſit. <i>Canuti IV</i> martyrium, ab <i>Ælnoſho</i> Monacho deſcriptum, ſummatim per centem Autor. indicans, illum, eo quod decimas attribuere voluerit eccleſiæ miniſtris, a ſuis rebellantibus afflicatum & lancea tranſoſſum eſſe. Si cauſa Martyrem efficit, non martyrium	Fig. 61. 66. 75. 77. 83. 87. 91. 91. 100. 105. 118. 122.
--	---

- rium cruentum, quæri potest omnino, an *Canucus IV* exstiterit Martyr. Episcopos jam omittimus. Monemus tamen, *Eckebardum*, Episcopum Slesvicensem, sub finem Seculi X egressum abiisse ad *Berwardum*, Episcopum Hildenesheimensem, ac apud eum permansisse. Fit ejus aliquoties mentio in *Tanemari* Vita illius *Berwardi*, quæ legitur *Tom. I Leibnitii Scriptorum Brunsvicensium*. Superest Diploma suppositivum Gandersheimense ad A. 1013, in quo inter testes *Eckebarði* hujus quoque legitur nomen, apud *Cel. Havenbergium* in *Historia Ecclesiæ Gandersheimensis* pag. 527. Autor Canones Concilii Slesvicensis, ante A. 1036 habiti, luci dedit. Unde perspicitur, consuevisse tunc homines in signum innocentie suæ sumere epulum eucharisticum. Preces, quibus Dani olim *Olaum I* venerati fuerunt, ab Autore exhibentur, qui paulo post *Canuti* Regis peregrinationem Romanam egregie exposuit. *Dicemarium*, Episcopum Hildenesheimensem, Danum genere fuisse, tradidit. Daniam ad pendendum *Petri* denarium fuisse adstrictam, negavit. Canonicorum Danicæ originem in fine Seculi XI sinit. Clericos Seculi XII jam egisse senatores regni & bellatores, significavit. Dissolutam cœnobarum vitam haud omisit intactam. Fratrum *Roeschildensium* similitudinem cum *Ma'tensibus* monstravit. De *Saxonis Grammatici* Historia Danica ex professo exposuit. Nec omisit dicere de *Suenone Aggonis*, ejusque opusculis historicis, de Anonymi Commentario historico, quo Danorum profectio, in Palestinam A. 1187 instituta, comprehenditur, de *Theodorico*, Monacho Nidrosiensi, Norvegorum scriptore, de *Oddo*, Monacho, de *Olas*, Cimbro, JCo, Juris Cimbrici scriptore, de scriptis *S. Ketilli* & *S. Wilhelmi*, ac de Poetis. Fermenta, doctrinæ Christianæ medio ævo admista & inserta, solide indicavit. Enumeravit viros, a Danis choro cœlitum adscriptos. Clavis solventis præposteram expositionem, Seculo XII familiarem, declaravit. Locum *Matth. XI, 12*, ubi dicitur: *regnum Dei* *Siçæteræ*, de expeditionibus cruciatu homines tunc temporis exposuisse, monuit, adjectis *Alexandri III*, Pontificis Romani, literis bullatis, quibus cuicumque Christiano, contra *Esthonas* aliosque paganos pugnanti, ad
- annuus

annum integrum remittuntur peccata. Accinxit sese deinceps ad vitas Regum Seculi XII enarrandas, nominatim *Nicolai, Erici IV*, cujus sepulcrum templo tantum ex dimidia parte clauditur, *Erici V Lam, Suenonis IV Grathe*, cui *Jutbi* op- Pag. 269.
 posuere Regem *Canutum, Waldemari I Magni*, historiam amantis, avaritiæ & injustitiæ infensi, & *Canuti IV*, qui vitam usque in Seculum XIII protraxit. *Eskilli*, Archiepiscopi Lundensis, vita excellit inter reliquas. Hic, Hildeneshemii bonis literis imbutus, cum *Waldemaro I* litibus implicatus, militiæ tandem deditus, *Bernardo Clarevallensi* amicus, ac Ordinis *Bernhardini* exstitit mirificus amator. Tandem concessit in Cœnobium Clarevallense, ibique viam monasticam professus est. Successorem *Eskilli, Absolomum*, Autor cum *Richelio* adducit in contentionem. Sese editurum annotationes ad *Martini Petri Genealogiam Absolonis & Esberni Suare*, promisit *D. Christia- nus Nettelbladt*, Suecus. Petit Noster, ut fides exisset promis- 280.
 so. Ni *Axel*, seu *Absolon*, fuisset, historia Danica Seculo XII nondum fuisset exculta. Sorano Cisterciensium Cœnobio *Absolon* præcepit, ut perpetuo extarent in eo aliquot viri docti, qui historiam patriæ literis consignarent. Cœnobitis nihil mi- 284.
 nus, quam hoc promissum, curæ fuit. Operæ pretium fuerit le- 287.
 gisse testamentum *Absoloni*, ab *Ottone Sperlingio* A. 1696 edi- 299.
 tum, ac pridem raritatem præferens, quod Cel. Autor hic de- nuo evulgavit. *Afcerus* fuisse primum Lundensem Archiepi- 342.
 scopum, a Bremensi exemptum & liberatum, luculente ostendit. *Jonam Ogmundi*, primum Holæ in Islandia Episcopum, *Afcerus* ordinavit. Uxoribus *Calixtus II* interdixit Clericis Dan- 349.
 niæ A. 1120 in Concilio Rhemensi. Plerique tamen Clerici uxores maluerunt, quam concubinas, alere, donec A. 1222 Car- 364.
 dinalis *Gregorius de Crescentia* in Synodo Slesvicensi, suffragiis Episcoporum præmunitus, conjugia Clericorum Daniæ penitus evertit & profligavit. Prætervehimur Archiepiscoporum Bre- mensium molitiones, opera *Calixti II* Papæ tollendi Archiepi- scopatum Lundensem. Omittimus dicere de Concilio, A. 1140
 Lundæ coacto, cui Legatus Pontificis Romani *Theodignus* præ- fuisse videtur, interfuit certe. Non est opis nostræ, fundatio-
 nes

- nes cœnobiorum ac scholarum huc transferre, quas Noster Diplomatum in apicum prolatis illustravit. Notat Benedictinos Daniæ, qui vergente Seculo XI in Canonicos *Augustini* regulares, ac exeunte Seculo XII in Canonicos seculares, degeneraverint. Originem Bernhardinorum, seu Cisterciensium, in Daniam traductorum, perlustrat. Foundationem Archiepiscopatus Drondensis, ab *Anastasio II* confirmatam, recenset, literasque Pontificis adjungit. Initia Archiepiscopatus Sueciæ ad annum 1163 edisserit. Unde Archiepiscopus primus *Stephanus* obtinuerit pallium, non satis liquet. *Alexander III* sanxit, ut ipse obnoxius esset Archiepiscopo Lundensi. Rugii A. 1163 a Danis per vim ad Christi doctrinam adducti, & Episcopo subiecti sunt Roeschildensi. Hæc & complura alia exponit Noster & eleganter & luculente, additque legem ecclesiasticam Seelandiæ. Origines urbis Hafniæ ad annum 1171 exhibet. Catalogum reliquiarum Viburgensium texit. Bellum monasticum Slesvicense persequitur. A Danis Livonos & Esthonas Christo aggregatos fuisse, docet. Ubique diligentia, venustas, veri studium, Diplomata, & iudicii, brevissime expromti, candor, sese commendant. Gratulamur proinde Cel. Viro hanc operam, tam præclare collocatam, & ab eodem continuationem Operis præstantissimi avide exspectamus.

DE THERMIS HERCULANIS, NUPER IN DACIA detectis, PASCHALIS CARYOPHILI Dissertatio Epistolaris. Editio altera, post Vindobonensem anni 1737 secundis curis aucta & emendata.

Mantuzæ, 1739, 4 ch. maj.

Plag. 13.

ÆJUSDEM DE USU ET PRÆSTANTIA Thermarum Herculanarum Dissertatio Epistolaris altera, quæ, A. 1737 Cal. Aug. consecuta, nunc primum prodit.

Mantuzæ, 1739, 4 ch. maj.

Plag. 14.

Cum

Cum, autore Illustrissimo Comite *Hamiltono*, locus quidam, inter Meadium & Orfaviam positus prope Tsiernam fluvium, non ita pridem esset perfossus; balnea in eo, statuas, atque *Herculis* aras, ac simul quamplurima vota, Deo huic pro salute & incolumitate Imperatorum ac Præsidum nuncupata, variasque Inscriptiones ex veteri ævo, repperunt. Illustrissimus itaque Comes, qui eximius semper intelligentissimusque omnis antiquitatis cultor fuit, Doctissimum Autorem ad illustrandas eas res excitavit pariter atque permovit, præterea autem ipsas has thermas, per longissimum tempus sub terra velut sepultas, revocavit in auras, & lavacra ac fellas balneares restituit, ut nunc frequens ibi convenire soleat hominum turba, atque ingens fieri confluxus, invitante tum loci amenitate, tum salubritate fontium calidorum, quibus corpora, gravissimis morbis correpta, pristinam recuperant sanitatem, & mirifice recreantur. Diligentissimus vero Autor, ut hæc omnia, singularemque summi hujus Herois in meliores literas amorem, in Dedicacionis formula, qua ipsi prior Dissertatio consecrata est, prædicavit, ita, postquam Inscriptiones istas semel iterumque ex lapidibus suis exaratas diligenter perlegit, opus ipsum aggressus, non existisse *Herculana* hæc balnea ante *Titi Ælii Antonini* ævum perspexit, atque hinc in prima Dissertatione, qua in Daciæ antiquæ parte sita ea fuerint, & cur ab *Hercule* nomen habeant, inquirere, neque minus Inscriptionum aras diligenter eruere, easque non minus, quam in transitu multas res alias, ex antiquis numis, marmoribus, veterumque Jurisconsultorum scriptis, solerter illustrare, studuit, ex quibus potiora mo-
 Dissert. I
 menta breviter nos excerpemus. Ipsæ igitur thermæ hæc in pag. 25.
 Zernensi territorio sitæ fuerunt; Zerni vero nomen a Tsierna flu- 26.
 vio est, qui illud territorium præterfluit. *Trajanus* Zerni co- 29.
 loniæ juris Italici beneficium contulit, quales provinciæ, præter
 reliquam liberalitatem, plenam a tributis immunitatem accepe- 31.
 runt. *Justiniani* ætate Zerni memoratur castellum ad arcendas
 barbarorum incursiones, ubi statio militum, qui locum propu- 37.
 gnabant munitum, collocata fuit. De his Daciæ thermis re-
 ste intelliguntur aquæ, a *Ptolemaeo*, & in *Tabula Peutingeria-*
 na,

- Pag. 40 *na*, sine speciali regionis nomine commemorata. Data hinc
 seq. occasione, legio XIII Gemini, a *Trajani* temporibus in Dacia po-
 54 seq. sita, itemque legio quinta Macedonica, quæ itidem in Dacia sta-
 58. tiva sua habuit, neque minus legio gemina victrix *Minerva*,
 quam in Dacia, ex quo ei *Hadrianus* præfectus fuit, hiemasse
 59. verisimile est, ex antiquis Inscriptionibus illustrantur. Dacia-
 rum quoque explicatur vexillatio, & contra *Turnebum* præci-
 pue monetur, per vexillationem non tantummodo veteranos,
 sub vexillo eo usque, donec ~~Therma~~ & agros caperent, reten-
 tos, intelligi, sed vexillationes idem esse, ac vexilla, hæc au-
 62. tem idem, ac vexillarios, seu auxiliares milites. Variis ex
 causis veri propemodum redditur simile, thermas has sub *Tra-*
 72. *jani* temporibus fuisse constructas. Villicus rei rusticæ & ra-
 73. tionibus fundi præfectum denotat. Procurator, quando no-
 men hoc in lapidibus, in Dacia repertis, absolute positum obve-
 79. nit, eum significat, qui aurariis Daciæ fuit præpositus. Bal-
 nea *Herculana* semper de calidis, nunquam de frigidis, dicuntur,
 80. calidique fontes, qui e terra erumpunt, *Herculi* a veteribus
 83. sacri semper fuerunt habiti. *Σωτηρ* & *salutifer* dicitur *Hercu-*
les, quoniam omnibus, qui ipsam invocant, opem fert, hic
 autem præcipue ob calida lavacra, quæ sanitatem restitunt. Ex
 quibus rationibus satis jam constat, cur *Thermæ* hæc *Herculanae*
 91. denominentur. *Invictus* idem vocatur *Hercules*, quoniam, eum
 93. præ omnibus fuisse robustum & fortem, ferunt. Balnea variis
 quondam ornabantur statuis & marmoribus, quales statuae se-
 94. ptem in *Herculanis* his *Thermis* fuerunt inventæ, quæ a Nostro
 explicantur copiosius, & præcipue de alba fronde populea, qua
 95. coronatus in aliqua illarum cernitur *Hercules*, de ejusdem cla-
 va, & *Hesperidum* malis, quæ in quadam ex iis statuis dextra
 98. tenet, nonnulla exponuntur. Ad extremum singularem ali-
 quam & præclaram statuam affert, & icone exprimit, quam in
 rei antiquariæ studiosis magnam admirationem, nec medio-
 crem voluptatem, esse excitaturam putat, cujus iconem &
 nos hic repetimus. *Herculem* ea repræsentat, qui sinistra ma-
 nu *Hylam* tenet, quem adamavit. Tunicae in sinu tria *Hespe-*
ridum mala habet *Hylas*, prope sinistrum vero pedem *Hercu-*
lis

lis cerva stat erecto capite. Eam nempe *Alcides* agros devastantem occidit in monte *Arcadiæ Ceryneo*, ejusque caedem gavitam admodum fuisse *Dianam*, tradidit *Euripides*. Nostro tamen hæc *Herculis* statua potius *Telephum* ostentare videtur, ipsius filium, quem ex *Auge*, *Aleonis* filia, suscepit, ac in silva expositum cerva enutrivit, unde *Corythus*, a quo fuit educatus, *Telephum* eum vocavit, ἀπε τῆς τρεφῆσῃς ελαφῆ, quod cervæ ubera sugentem invenisset; cujus rei argumentum in egregio aliquo *Maximini Augusti* numo maximi moduli exstat, in quo *Hercules* cernitur, puellum sinistra sustinens, ad quem cerva caput erigit, non dissimili ratione, ac in statua nostra apparet, cum epigraphe: ΤΑΡΧΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΑΜΚΤΒ. in qua ultima voce literas AMK per *Πρωτης Μητροπολεος Κυλικιας*, & ΓΒ per *Γραμματι Βελης*, explicandas esse, cum *Tornardo* putat. In altera Dissertatione de Thermarum elementis, Differt. II. & cur tam eximiam sanitati opem ferant, disquirat. Usus est Cl. Autor, utpote qui data opera medicam artem non tractavit, eam in rem analysi, quam peritissimus Medicus, *Jacobinus Cramerus*, jussu Illustrissimi Comitum *Hamiltoni* instituit, & quamplurimis experimentis eorum, qui Thermarum *Herculanarum* usu gravissimos morbos repulerunt. In examine illarum usus Chemiæ, quæ initio statim collaudatur, & Chemiam quidem medicam veteribus Græcis Latinisve incognitam, ab Arabibus tamen primum hæc, & apud Pag. 34.

38.
41.
46.
50.
52.
54.

Eꝛc e 2 subter-

- subterraneo igne per ingentes telluris tractus præterlabentes magis minusve incallescunt aquæ. Mineralis & sulphureus spiritus, pro ea, qua est, subtilitate, subterranea loca penetrat, metallorumque venas inficit. Et, quando sulphuræ marcasitæ, motu expansiori, majorique vi, agitata, tenuissimam hujusmodi substantiam foras educunt, aquæ largius ea imbuuntur, cum illisque velut conglutinantur. Siccos enim subtilesque vapores aquæ non difficulter cohibent, & vehiculum illis subministrant. Generatur vero cum his aquarum fervor ex salibus, aliorumque corporum particulis. Nam dissimiles sales vel spiritus, aquis etiam permisti & confusi, quoties sales metallici alterius & contrariæ indolis occurrunt, magnopere solent effervescere, & colorem aquis impertiri. Inest præterea thermis
- 57, 58. his pars quædam terræ martialis, sulphur, sal alcalinæ indolis,
59, 60. sal commune, nitrum, atque ipsæ aquæ singulari & exquisito
61, 66. nitore levitateque eximia excellunt. Ob levitatem hanc & puritatem conveniunt in partium interiorum tendinosarum atque
69 seq. nervearum molestis distensionibus, ut malo hypochondriaco,
72 seq. colica, asthma; propter sulphureum & mineralem atherio-elasticum spiritum præcipue, universos corporis canales libere pervadunt, densosque liquores solvunt, atque ex his, quicquid mali est, præclare extrahunt, materiamque maxime glutinosam evocant, & sales, acresque particulas, quibus sanguis abundat, leniter simul & reprimunt, & emolliunt. Propter
77 seq. sulphureas partes frigidis præcipue morbis medentur, viscera corroborant, membraque & juncturas relaxatas instaurant, & morbos, qui cutem inficiunt, profligant. Ratione bituminosarum partium attenuant, & super balnea alia peculiari facultate, corpus, ejusque morbidas partes, emolliunt, quin & pro moderato bituminis calore moderate digerunt, attrahunt, siccantque, & denique glutinant, hinc ulcera commodissime conjungunt, atque recentia brevi ad cicatricem perducunt. Propter nitrum, densum atque viscidum sanguinem, ceterosque corporis humores, incidunt, extenuant, atque egregie extergunt, interdum etiam laxant alvum, urinas cient, & sudores evocant, mirum in modum renes perpurgant juxta & roborant, pulsibus
atque

atque solutis arenulis, quin imo & contra vesicæ calculos mirificam præstant opera, & cum adstringenti aliqua substantia, vel minutissimis ferri particulis, conjunctæ, partibus, nutritioni addictis, intestinorum levitati & hepatis celerrime subveniunt. Ob martiales particulas, tremulos, terano & paralyti affectos adjuvant, morbis quoque podagricis non confirmatis, ischiadicis, & arthriticis, efficacissimam opem ferunt; salibus suis exsiccant, adstringunt, contrahunt, abstergunt, purgant, cutem emendant, humorum sordes auferunt, & nimiam corporis crassitiam longo usu extenuant, scabiosis, leprosis, elephantiacis, maculatis, vitiliginosis, summopere conducunt, artuum extuberationes prohibent, inflationes, atque œdemata, discutunt; hinc podagricis atque articularum malis medentur, hypochondriorum distensiones mitigant, ventris intestinorumque & uteri status disjiciunt, albos mulierum fluores ac vulnerum ulcera purgant, oris demum exulcerationes colluendo leniunt, gingivarum tumores compescunt, dentium fœtorem tollunt, eosque a putrefactione & corrosione vindicant. Quæ omnia ita persequitur Noster, ut singulorum horum elementorum vires in corpus humanum maxime ex præcisis scriptoribus explicet, & ubi similes reperiantur fontes medicati, e. g. nitro, salibus, ferro, fœti, indicet, illorumque simul virtutes exponat. Quæ cum ita se habeant, atque hæc Therma obstructiones eliminant, insensas ac noxias mitigent materias, deperditum fibrarum robur fulciant, ac denique inutilia e corpore proferant; proinde Noster, ea summam rei in curatione morborum conficere, & plus ipsis pharmacis quamplurimis præstare, argumentatur. Ad calcem de alio quodam fonte disputat quædam, ab *Herculanis* thermis non multum distito, in curanda autem lue venerea insigni & maxime comprobato, hincque a militibus admodum frequentato, ut propter illam virtutem luis etiam veneræ fons appelletur. Quamquam vero nullam ejus analysin adhuc impetrare potuit; ex eo tamen, quod Gallica lue correptos usus illius internus externusque adjuvet, aquas has colligit temperatæ esse caliditatis, & non nisi tenuissimas sulphuris particulas, multum vero resinæ & nitri, continere, dataque hac occasione plures

Pag. 94
seq.

96.

97.

etiam aquas, curandæ lui veneræ idoneas, recenset. Denique & suum excusat conatum, quod ipse, non Medicus, de rebus tamen medicis consignare quædam fuerit ausus, & ad similia maiorum virorum exempla provocat. Nobis ita suis defunctus esse partibus, præcipue in priori Dissertatione, videtur, ut neminem operæ, in perlegendis his lucubrationibus collocatæ, pœnitere debeat.

JUS NATURÆ, METHODO SCIENTIFICA pertractatum. Pars prima, in qua obligationes, & jura connata, ex ipsa hominis essentia atque natura a priori demonstrantur, & totius Philosophiæ moralis, omnisque juris reliqui, fundamenta solida jaciuntur. Autore CHRISTIANO WOLFIO, Potent. Suecor. Regis, Hassiæ Landgravii, Consiliario Regiminis, Mathematicæ ac Philosophiæ Professore primario in Academia Marburgensi, Professore Petropolitano honorario, Academiæ Regiæ Scientiarum Parisinæ, Societatumque Regiarum Britannicæ atque Borussicæ, Membro.

Frankofurti & Lipsiæ, prostat in officina libraria Rengeriana, 1740, 4.

Alph. 4 plag. 19.

Primam hanc Juris naturæ Partem Ill. Autor publici juris fecit, cum adhuc in Academia Marburgensi doceret. Vix eam ediderat, cum & ad Professionem Philosophiæ in Academia Ultrajectina vocaretur, iis oblatis conditionibus, quæ ibidem inauditæ dicebantur, & ad reditum in Academiam Halensem invitaretur; de quo nuper diximus. Non nova solum methode systema Juris naturæ condit, eadem scilicet, qua in anterioribus operibus usus; verum etiam huic Juri omnem tribuit amplitudinem, quam habere potest, cum omnes omnino regat hominum actus liberos, qualescunque tandem illi fuerint. Non alium agnoscit ejus fontem, quam ipsam essentiam atque naturam

ram humanam, ex qua deducuntur continuo nexu obligationes & jura connata, de quibus in hac *Parte prima* potissimum agit. Dividitur ea in *quatuor Capita*, quorum *primo* de obligatione & jure hominum universali in genere, *secundo* de officiis erga se ipsum, *tertio* de officiis erga alios, & *quarto* de officiis erga Deum, & cum singulis connexis juribus, agit. Principia generalia dedit in *Parte prima Philosophiæ practicæ universalis*, quibus in præsentibus demonstrandis utitur. Quoniam vero ex obligatione nascuntur jura, homini competentia; ideo quoque ostendit, quoniam eidem jura competant tum respectu officiorum erga se ipsum, tum respectu eorum, quæ ad Deum & alios homines spectant. Quemadmodum itaque obligationem internam, quæ in conscientia spectatur, ab externa, quæ spectatur inter homines, ac inter eos effectum juris fortitur, ubi vis a se invicem distinguit, etsi utriusque rationem habendam esse in Jure naturæ contendit; ita etiam ubi vis jus externum ab interno separat, ne, quæ jure externo ab aliis hominibus permitenda, confundantur cum iis, quæ in se licita sunt. Præterea, cum dudum Juris naturæ interpretes inter statum naturalem ac civilem distinxerint, in utroque autem non eadem sit officiorum & juris ratio; ideo Cel. Autor ante omnia demonstrat, quoniam hominis sint in statu naturali obligationes & jura, suo deinde loco ostensurus, quomodo per statum civilem immutentur. Subdividit autem Nolter statum naturalem in originarium & adventitium, in quorum illo tantummodo vigent obligationes & jura connata, & in adventitium, in quo hæc superaccidunt obligationes & jura acquisita, dominio & imperio privato introducto. In statu originario vigent jus libertatis & æqualitatis, jus ad res, quantum usus homini necessarius, siquidem officiis satisfacere voluerit, jus securitatis, & jus circa cultum divinum; ex his enim cetera deducuntur. Hæc igitur jura cum obligationibus, seu officiis, ex quibus ortum trahunt, præsentis *Tomii* argumentum præbent. Monet autem in Præfatione, per illa ipsa jura patere, dominium & imperium non minus privatum, quam publicum, introduci potuisse, quemadmodum suo loco sit ostensurus. Ex dominio & imperio dedu-

deducenda esse cetera jura omnia, qualiacunque tandem fuerint. Dari nimirum theoriam naturalem Juris etiam civilis, in qua ex ipsis principiis Juris naturalis ostendendum, quid legibus naturæ addendum, vel demendum, sit, ut ex Jure naturali, quemadmodum *Ulpianus* agnovit, efficiatur civile. Hanc partem Juris Naturæ agnoscit Autor, eam suo loco traditurus. Hæc ipsa theoria simul docet, quomodo Jus Gentium externum, quod voluntarium dixit *Grotius*, ex Jure naturali deducendum sit. Quando nimirum civitates introducuntur, quælibet civitas spectanda tanquam persona singularis, ad quam totam applicanda sunt jura, quæ singulis in statu naturali competunt, & hinc oritur Jus Gentium internum. Enimvero civitates omnes, simul sumptæ, constituunt civitatem quandam maximam, in qua per theoriam naturalem juris civilis determinatur jus gentium voluntarium ex jure interno seu necessario, quod nonnulli recentiores male rejecerint. Ex his adeo apparet, quale Systema Juris Naturæ Ill. Autor sibi condendum proposuerit. Ceterum, ne quis existimet, cum Philosophiam moralem cum Jure Naturæ in unum confundere, in Præfatione monet, in Ethica demonstrandum esse, qualis fieri debeat facultatum nostrarum usus, ut officiis singulis satisfaciamus, & ne jure externo abutamur. Ethicam v. g. sumere, quod temperantia sit virtus moralis, prudentia vero virtus intellectualis; in Jure autem naturæ id demonstrari. In hoc inculcari, quod habitus morales & intellectuales sint acquirendi, iisdemque conformiter sit agendum, vitando iisdem oppositos; in illa autem docendum, quomodo habitus isti acquirantur, oppositi vitentur, ac istis conformiter sit agendum. Unde simul patet, quid de Philosophia morali Ill. Autoris sit expectandum. Atque, ita demum fieri posse, confidit Noster, ut Systema Juris Naturæ & Gentium methodo demonstrativa constatur, in quo obligationes & jura omnia ex ipsa hominis essentia atque natura continuo nexu deducantur, & sequentia ex antecedentibus legitime demonstrantur. Neque dubitat, fore, ut idem lucem affundat Juris civilis antiquis, & consensum Juris Romani cum Jure Naturæ, ac utriusque differentiam, manifestet; simulque usui sit

sit Theologis in haud paucis Scripturæ locis interpretandis. Hæc quidem in genere tenenda sunt de Systemate Juris Naturæ ac Gentium, cujus hætenus prostant *Tomi tres, quartus vero sub prelo sudat.* Diximus ante, *Capite primo* Ill. Autorem agere de obligatione & jure hominum universali in genere. In hoc igitur, explicatis differentiis obligationum & jurium in genere, jus æqualitatis & libertatis potissimum expendit; natura enim homines omnes æquales & liberi sunt. Sunt æquales, quatenus eadem habent jura, & iisdem obligationibus tenentur; liberi sunt, quatenus in agendo non dependent ab ullo alio, nisi a se ipso, modo nil faciant contra jus alterius. Æqualitas tollit prærogativam, ita, ut nemini competat jus quoddam præ ceteris, sed, quod uni licitum, vel illicitum, id etiam alteri licitum, vel illicitum, sit, & præcedentiam seu jus priori in ordine a pluribus simul observando. Libertas non tollit obligationem naturalem, sed tantummodo agentem independentem efficit a voluntate alterius, ita, ut conscientiæ ipsius relinquendum sit, quid agat, nec ulli hominum rationem reddere teneatur actionum suarum, quamdiu nil facit contra jus ipsius. Abusus adeo juris est, qui officii contrariatur, quemadmodum usus iisdem convenit, immo ab iisdem exigitur. Ceterum hic etiam Ill. Auctor agit de homine morali, qui est subiectum jurium & obligationum, eumque distinguit in integrum & corruptum, quatenus ejus actiones, tam privativæ, quam positivæ, cum obligationibus ac juribus ejusdem consentiunt, vel iisdem contrariantur. Quando vero jus acquisitum a connato separatur, quomodo modus acquirendi & titulus a se invicem differant, ostendit. Nimirum, modum acquirendi, docet, esse factum, quo juri reddimur participes, titulum vero esse rationem legalem, per quam patet, factum quoddam tale jus parere posse. Unde titulus verus est, si factum fuerit verum, & lex declarat, hoc factum jus tale acquiri; putativus est, si putes, factum esse verum, cum non sit, lex autem declarat, hoc factum jus tale acquiri; falsus denique titulus est, si factum quidem fuerit verum, in eo autem erres, quod lex declarat, hoc factum tale jus acquiri posse. Ubi de officiiis erga se ipsum agit, ante omnia urget, satisfaciendum esse

Cap. 1.

2.

tum officiis erga animam, quam erga corpus, & quoad statum
 externum, nec satisfaciendum generi uni cum neglectu cetero-
 rum, ac omnem fieri debere facultatum usum, qui ad ser-
 vandam legem naturæ requiritur, consequenter ad perficien-
 dum animam, corpus, & statum externum, & ad arcendam ab
 iis omnem imperfectionem. Quodsi ergo cuidam amplior sit
 facultatum, virium, ac rerum, usus, & auxilium alienum majus,
 eum ad plura præstandum obligari, quam alios; neminem au-
 tem obligari ultra id, quod in potestate sua est, hoc est, quod
 facultatum, virium, ac rerum suarum, usum, aliorumque ope ac au-
 xilio, consequi, vel evitare, potest. Ideo obligationes distinguit
 in communes, quarum ratio sufficiens continetur in natura &
 essentia hominis, quatenus ea est omnium hominum communis,
 & proprias, quarum ratio sufficiens non continetur nisi in es-
 sentia atque natura hominis, quatenus eidem insunt determi-
 nationes, quibusdam hominum individuis, aut uni eorum, pro-
 priæ. Ex hisce principiis generalibus in specie deinde demon-
 strat, ad quamnam sibi teneatur homo tum quoad animam, tum
 quoad corpus, tum quoad statum externum, & quæ eo sine
 ipsi competant jura. Inter jura hic eminent jus ad res, quibus
 indigemus ad satisfaciendum obligationi nostræ. Rei enim no-
 mine hic venit ens omne, quod homini usui esse potest, veluti
 ad vitam conservandam, & commode ac jucunde transigendam,
 vel ad animæ corporisque perfectionem quomodocunque pro-
 movendam. Res autem communi more dividit in corporales
 & incorporales, item in necessarias, utiles, & voluptuarias, qua-
 rum illas tam istis, quam hisce, istas vero his, præferendas esse
 demonstrat, ac denique in naturales, industriales, & artificia-
 les, ut doceri possit obligatio, res industriales & artificiales mul-
 tiplicandi, & quamnam de labore tenenda sint, demonstrari
 queat. Quæ unusquisque sibi debet, ea etiam debet alteri,
 quatenus citra neglectum officii hoc alteri præstari potest, alter
 vero id in potestate sua non habet. Hinc fluit officium gene-
 rale de alio quocunque diligendo tanquam se ipsum, etiamsi sit
 inimicus, cum, si alter non satisfaciat obligationi tuæ, vel con-
 tra eam & jus tuum faciat, tibi ex eo non nascatur jus, obliga-
 tionis

Cap. 3.

tioni tuæ non satisfaciendi, vel contra jus alterius faciendi; deducuntur autem porro in specie, quæ quoad animam, quoad corpus, & quoad statum externum, debeamus aliis. Redditur autem ratio, cur ad officia humanitatis ab aliis nobis præstanda nobis non competat nisi jus imperfectum: nimirum quia nemo nobis tenetur ultra id, quod in potestate ipsius est, & citra neglectum officii erga se ipsum fieri potest, de hoc autem non nobis competit iudicium, sed idem relinquendum alteri vi libertatis naturalis. Quoniam vero læsio naturaliter admodum late patet, cum sumatur pro qualibet actione, qua alter, vel status ejus externus, redditur imperfectior; ideo copiose admodum demonstratur, quomodo quis lædatur vel quoad animam, vel quoad corpus, vel quoad statum externum. Demonstrat tamen Ill. Autor, denegationem officii humanitatis non esse læsionem, etsi peccatum esse possit. Ex obligatione neminem lædendi nascitur jus non patiendi, ut quis te lædat, quod jus securitatis est, homini omni natura competens, & cui omnis læsio advertatur. Ex jure securitatis descendit jus se defendendi, hoc est, lædere intendenti, vel conanti, resistendi, ne lædere possit, aut læsionem, quantum in nobis est, avertendi, quod esse in se infinitum demonstratur, ut ei in genere præscribi nequeant limites, sed hi demum ex circumstantiis præsentibus sunt definiendi. De hoc jure defendendi pluribus agit Ill. Autor, & quomodo silva charitate id sit exercendum, quomodo in eo excedatur, & quodnam ex excessu aggressori jus nascatur, demonstrat. Agitur etiam hic de justitia, quæ unicuique jus suum tribui jubet. Ex obligatione, suum cuique tribuendi, nascitur jus, vi persequendi jus suum adversus eum, qui idem nobis tribuere non vult, homini natura competens, quod sub se continet jus, se defendendi adversus eum, qui læsionem intreat, & puniendi eum, qui actu læsit; unde fluit bellum offensivum, defensivum, & punitivum, quale obtinet in statu naturali, & ex quo metienda sunt actiones forenses, & jus puniendi in statu civili, metiendum quoque est jus belli, gentibus competens, quemadmodum suo loco Ill. Autor est ostensurus. Demonstrat autem, bellum geri posse ac debere absque odio partis

Cap. 4. adversa, nec in se amori inimicorum repugnare. Quando de officiis erga Deum agit, hominem per ipsam essentiam atque naturam suam ad eum colendum obligari, & Deum ab homine coli velle, demonstrat, & quidem in omnibus actionibus suis. Distinguit autem cultum internum ab externo, quamvis utrumque lege naturali præceptum demonstret. Ad cultum internum refert pietatem, agnitionem Dei vivam, obedientiam, eisdem debitam, amorem ipsius, timorem filialem, magnificationem, fiduciam in eo, acquiescentiam in providentia divina, gratum erga Deum animum, celebrationem nominis divini, invocationem & gratiarum actionem mentalem; ad externum vero reverentiam erga Deum, celebrationem nominis divini, orationem, hymnos, ceremonias, institutionem de Deo & voluntate ipsius, lectionem librorum, de Deo & cultu divino agentium, immo actiones omnes, quatenus per eas gloria Dei promoveatur, tandemque conventus, cultus divini gratia celebratos. Hinc deducit jus in res naturales quoad omnem usum, qui ad earum cognitionem facit, & ad eos actus, quibus alterum, qui gloriam Dei obscurat, vel ipsum blasphematur, peccati sui convincere potest, jus instituendi ceremonias cultus divini in suum usum, & Deum per figuras hieroglyphicas representandi, etsi nulla ejus imago pingi possit. Superstitionem vero omnem non minus, quam idololatriam, lege naturali prohibitam esse, ostendit.

MARCI MAPPI, MED. D. HISTORIA PLANTARUM
Alsaticarum posthuma, opera & studio JO. CHRISTIANI EHRMANNI, Med. Doct. & Pract. Argent.

Argentorati, sumptibus Joannis Danielis Dulfeckeri, Amstelodami, apud Petrum Mortier, Bibliopolam, 1742, 4 maj.

Alph. 2, Tabb. æn. 7.

Diversarum regionum plantas disquirere, & loca earundem natalia indicare, labor est, qui in incrementum studii rei herbariæ omnino suscipitur. Quilibet enim, qui circa plantas atten-

attentius versatur, semper nova quædam in illis detegit, que vel genera accuratius definiunt, vel species a varietatibus distinguunt. Historia plantarum Asiaticarum, a Medico Argentinen-
 sum celeberrimo, *Marco Mappo*, conscripta, Botanophilis gratissi-
 ma erit, cum videant, quas plantarum species tractus Germania,
 Gallia vicinus, contineat. Collegerat *Cel. Mappus* a multis re-
 tro annis plantas, in Asia crescentes, illasque ordine alphabe-
 tico disposuerat, qui forsitan ipsi tum temporis commodissi-
 mus videbatur, cum opusculum hoc propriis usibus accommo-
 daret; ipse vero, ut Præfatio Cl. Editoris testatur, lucubra-
 tiones suas circa hanc doctrinam viliores semper judicavit, &
 publicæ luci exponere noluit. *Cl. Ebrmannus*, qui Autorem
 hunc in studio botanico præceptorem colit, non solum ipsi
 in excolendo hoc scripto aditit, sed illud quoque cum omni-
 bus reliquis libris botanicis hæreditario jure obtinuit; unde amo-
 re in præceptorem motus, hoc Opus botanicum publici juris
 fecit. In tanta, quæ hodie observatur, nominum genericorum
 differentia omnino optandum fuisset, ut Cl. Editor, ordine
 quodam methodico assumpto, alphabeticum immutasset, sed, cum
 forsitan graviores ob rationes ordinem Autoris mutare noluit,
 indite synonymico ampliore defectum supplere potuisset. In-
 terim nec adeo confundere poterit lectores, quoniam nomina
 generica maximam partem ex *Institutionibus Tournefortianis*,
 omnibus cognitis, hauriuntur. Generibus igitur & speciebus
 expositis, in singulis plantis nomina synonymica specifica addi-
 dit, & in his quidem ad *Cusp. Bauhini* Pinacem theatri botanici,
 & *Tournefortii* Institutiones rei herbariæ, qui libri in scriptoribus
 materiæ medicæ crebrius citantur, primario respexit. Non ta-
 men ex his tantum, sed ex aliis pluribus quoque, scriptoribus,
 qui vel ante *Cusp. Bauhinum*, vel post eum, vixerunt, ea nomi-
 na adduxit, quæ & icones & descriptiones uberores plantarum
 expositarum subministrant. Nomina Gallica & Germanica in
 pluribus & notissimis quidem plantis quoque adduntur, id
 quod in provincia, cujus plantas descripsit, convenientissimum
 est. Plantas officinales asterisco notavit. Varietates specie-
 rum eodem modo ut species distinguit. Inter has sunt plurimæ

plantæ, quas Editor nec in *Tournefortianis* Institutionibus, nec in corollario Institutionum, invenit, & quas ideo signo solis notavit. Hæc varietatum disquisitio non quidem improbanda est; requiritur tamen accurata characterum diversorum, nec non mutationis loci & culturæ, observatio, qua ad veras specierum definitiones & varietatum distinctiones ducimur. Descriptiones ampliores non inveniuntur: illæ enim in plantis a variis Autoribus, jam descriptis, superfluz sunt; interim passim breviores descriptiones vel totius plantæ, vel partis cujusdam, subjiciuntur. Hinc inde observationes miscellanæ historico-physicæ sunt additæ. Virtutes vero plantarum, imprimis officinalium, ex observationibus aliorum collectæ, exponuntur. Tandem quoque loca varia, in quibus plantæ crescunt, annotantur.

CHRISTIANI GOTTLIEB RUDERI, SERENISSIMIS Saxonie Ducibus a Consiliis Aulicis, Juris Publici, Feudalis, & Historiarum, Professoris Ordinarii, Facultatisque juridicæ Assessoris, Amœnitates Juris Feudalis, observationibus selectis ex Actis libellisque publicis, Diplomatum, literis clientelaribus, monumentisque fide dignis, erutæ.

Jenæ, impensis viduæ Crœkerianæ, 1741, 8.

Plag. 12.

Non potest amœnitates scribere, nisi qui ipse amœnitate ingenii conspicuus sit. Tali vero gaudet Illustris Buderus, non Salanzæ tantum Academiæ, sed seculi nostri, decus, Vir eo magis celebrandus, quo rarius inveniuntur hodie, qui ejus industriam in divulgandis libris imitantur. Nota sunt omnibus, quæ, jam inde a quatuor, & quod excedit, lustris, suis elaborati scriniis passus est, tanto suscepta eruditorum plausu, ut in publica commoda merito peccaret, si nunc in parta nominis fama acquiescens, deponeret calamum, nec latius præstantissimæ doctrinæ suæ copias explicaret. Non hanc Viro optimo mentem esse, ille, quem ante oculos habemus, libellus satis luculenter nos docet. Suo hac in re exemplo præverunt ei *Ægid. Menagius,*

magius, & Jo. Strauchius, quorum ille *Amantibus Juris Civilis*, hic *Amantibus Canonici Juris*, ingentem ab omnibus, elegantiora amantibus, gratiam iniit. Sub suavi igitur *Amantibus Juris Clientelaris* nomine selectas quasdam Observationes, Feudorum leges, maxime domesticas, illustrantes, exhibere voluit laudatissimus Buderus, quanquam, pro argumenti ratione, non eum venustatis colorem suo inducere Opusculo potuerit, qualem præcipue *Menagium* ex Græcis scriptoribus Latinisque attulisse scimus. Nihilo tamen minus egregius est Illustris Buderus labor, qui *sex & viginti Capitibus* constat. En eorum summam! *Capite primo* conjectura in medium proferatur *de prima Placitorum Feudalium Collectione*, quæ Avthenticis accessit, & *decimæ Collationis* titulo insignita est. Factum id opinatur Celeberrimus Autor non sub *Fridrico II*, quæ plurimorum sententia est, sed sub *I* ejusdem nominis, quod jam olim *Carol. Sigonius* probabiliter affirmavit. *Alterum Caput de investitura Feudorum Imperii in Camera* inscribitur. Olim investituram Feudorum Imperii, regalium præcipue, non sine magna pompa in Comitibus regni publicis sub dio fuisse peractam, notum est iis, qui vel aliquam Historiæ Germanicæ notitiam habent. Floruit isthæc consuetudo ad Imperium usque *Ferdinandi I*. Post investitura talis in Camera Imperiali invahuisse videtur sub *Carolo V*, quod illustribus exemplis ostenditur. Prima hujus mutationis causa haud dubie fuit absentia Electorum ac Principum, Convasallorum Imperii; deinceps sumtuum magnitudo displicuit, cui addendum, quod nunc auctoritas & eminens imperii character non ferat, ut ipsimet Principes genua inflectant, & tot regulis alligati, tot cerimoniis fatigati, nonnulla faciant, quæ ipsorum juribus, sane prægrandibus, converso seculi more, quadantenus viderentur contraria, ut ex *Gundlingii* *Diatriba de Feudis Vexilli Amplissimus Buderus* apposite commemorat. *Caput tertium agit de investitura extra Curiam Domini, prerogativa Vasallorum*. Adire debent Vasalli, investituram desiderantes, Feudi dominum, quocunque etiam Germaniæ loco Curia ejus sit. Singulare nonnullorum beneficium est, quod non nisi eo casu & tempore investi-

turam

turam accipere teneantur, quo dominus directus in eorum territorio commoratur; alias procurator domini, vel pro-dominus, in eo territorio constitutus, quo Feuda sunt, clientelas conferre ex consuetudine vassallis debeat. Ejusmodi prærogativa eminent Austriaca domus, & S. R. I. Procerum Vassalli aliquot. Pertinent huc Feuda, in Ducatu Bipontino sita, quæ dominium directum Episcopatus Argentoratensis agnoscunt; item Feuda Archiepiscopi Salisburgensis in terris Austriacis, Archi-Ducatu, Ducatibusque Styriæ & Carinthiæ, &c. *Quartum Caput Feudum quaternatum* illustrat; *quintum* autem supplementi instar est ad *causas Feudorum oblatozum*. *Jo. Nic. Hertius*, in iis recensendis diligentissime olim occupatus, prætermisit causas duplices, quæ doctissimo Autori, medii ac superioris ævi chartas pervolutanti, obvenerunt. Earum prima est, quod multa castra munita ab urbibus Imperii liberis, post *Friderici II* ætatem, parum tuta essent, ideoque, ne diruerentur, a possessoribus Imperatori & Imperio, vel vicinis potentioribus Principibus, oblata Feudi nomine fuerunt. Deinceps oblatio quoque Allodiorum facta est a viris nobilibus, conservationem familiæ splendoremque optantibus, ad excludenda testamenta, recepto Jure Romano frequenter condita, pariterque ad arcendas portiones hæreditarias fœminarum, quibus & jus illud peregrinum, & tenerrimus parentis amor, læpiuscule favebat. *Sextum Caput de Feudis ex oblatis & datis mixtis* spicilegii nonnihil complectitur post largam laudati *Hertii* messem. Ita e. g. præstantissimus Autor in ipso Hassiæ Principatu, primisque, quæ *Henrico* Brabantino, *Puer* dicto, ab *Adolpho*, Romanorum Rege, datæ sunt, literis clientelaribus, memorabile oblatis datique Feudi exemplum reperit. *Septimi Capitis* argumentum est *de Feudo, ad pauciores annos & dies vitæ concessio*. Dubium id olim summo *Gundlingio* visum; sed contrarium evincunt omnia Franciæ, & orientalis, & occidentalis, sincera monumenta. Uberrime hoc docet *Illustris Buderus*, eoque peracto, in *Capite octavo Feudum injuratum, vulgo Hand-Leben*, explicat. Usû plerumque evenire solet, ut ea Feuda, quæ dignitate superiores ab inferioribus accipiunt, sine solenni fidelitatis

licitatis jurejurando, sive Vafallagio, conferantur. Et hæc Feuda injurata sunt, quæ variis exemplis, apte subjunctis, intellectu redduntur faciliora. Quod sequitur, *nonum Caput varia ædificii Feuda* enarrat. Non leve fuit stipendium plenissimus usus & fructus ædium, in magnis præsertim & copiosis urbibus. In Diplomatario *Caroli IV Augusti*, ab *Illustri Glaseio* edito, non raro hujusmodi Feudorum ædificii mentio fit. Sæpe etiam eadem data sunt castrensibus *zu Burg-Leben*. Singularia multa occurrunt in *Capite decimo de Feudis Ambachtia*, vulgo *Ampachts-Leben*. *Caput undecimum* observationes utilissimas *de Feudo apertura Castrorum* cum harum rerum amatoribus communicat. Plerumque Feuda hujusmodi sunt oblata. Turbulentis enim mediæ ævi temporibus multi nobiles & opulenti viri in terris suis, & rupibus, quas allodii jure possidebant, ob quotidiana fere pericula de extruendis beneque muniendis castris solliciti fuerunt. De his in potestatem suam vel plene, vel ex parte, redigendis cogitabant Reges, Duces, alique præpotentes Germaniæ Proceres. Oblatis igitur possessoribus vel pecunia, vel aliis, illorum familiæ commodis, conditionibus, castra hæc in Feudum commutabantur, novique domini aperturam, quæ loco servitii erat, omni sibi tempore reservare solebant, ut scilicet pateret illis castrum, si eodem sibi esse opus intelligerent. *Duodecimum Caput in Feudorum Censualium naturam* inquirat; *tertium vero ac decimum singularia quædam jura utilia, in Feudum concessa*, indicat. Dabimus inde specimina duo, ipsius Autoris verbis. *Lud. Ant. Muratius*, inquit, *curiosè annotavit: 1) majorem natu Nobilium de Rangonea investitum fuisse jure accipiendi quodcumque ex ferculis, quæ ponuntur in convivio Patriarchæ Aquilejensis. Feudum palato gratum, & singulare plane. Sic 2) Barones Hesbergii in Franconia, Sub-Pincernæ Episcopatus Würtzburgensis, investiuntur a dominis suis directis, Comitibus de Castell, mit zwölff Pferden, dazu mit einem guten Mahl, und dazu eine schöne Frau, &c. seu, in gratiam exterorum, Latine: duodecim equis, lautis epulis, insuperque foemina elegantis formæ. Hactenus Illustris Buderus ipse. In Capite decimo quarto de investitura cum*

lucris Cellarum meretriciarum, Frauen-Haus, differitur. Floruerunt olim Germani morum gravitate, & laude castitatis; mirum igitur, a dominis directis, & inter hos sacri ordinis, Vasallis quibusdam beneficii loco assignatum fuisse lucrum, quod ex foedissimis lupanaribus, aut titulo meretricum notatis cellis, percipi poterat. Sed res tamen ita se habet, quod perspicitur ex investiturarum exemplis, ab Autore in medium productis. *Caput quintum ac decimum est de Etymologia vocis Vasallus, deque titulo Nobilis, Vasallis adscripto; decimum sextum de Vasallis Nobilium Landsassorum; decimum septimum de investitura per gladium Comitum ac Nobilium; decimum octavum, amplum sane, de formula investiturarum feudatium: mit Hand und Munde; nonum ac decimum de Feudis pignoratitiis; vicesimum de antiquitate literarum clientelarium, ac de prerogativa & privilegio quorundam Vasallorum, nullas accipiendi tales tabulas; vicesimum primum de molestia in beneficiis, Ansel, sive Anevelle, dicta; vicesimum secundum de axiomatico Juris Germano-Saxonici: Major dividit, minor eligit, inter illustres quoque personas usitato; vicesimum ac tertium de servitiis Vasallorum zu Ehren-Zügen und Ehren-Fellen; vicesimum quartum de servitiis Vasallorum militaribus, extra territorium prestandis; quintum & vicesimum de lustratione Vasallorum; ultimum denique Caput de prestationibus Vasallorum, sive Symbolis, in signum recognitionis domini. Omnia hic selecta, erudita, & jucunda, variisque doctrinae elegantioris floribus conspersa, qualia ut porro, in magnum literarum commodum, suis exire forulis patiat, Ill. Autorem humanissime rogamus.*

SPECIMEN ARITHMETICUM, EXHIBENS methodum generalem approximandi ad radicem aequationis quotquot dimensionum.

Fiat aequatio data nihilo aequalis, & differentietur, quae sitate incognita variabili considerata, ut prodeat nova terminorum series per differentiale ipsius incognitae dividenda. Fiat fractio, cujus numeratorem termini aequationis datae, denominatorem vero termini novi inventi, constituent. In qua fractione

atione pro incognita substituatur quantitas quælibet arbitraria. Hujusque pro lubitu assumta & inventi fractionis valoris differentia erit nova quantitas in dicta eademque fractione loco incognita substituenda. Cujus, per substitutionem enata, novæ fractionis iterum indagetur valor, priori differentie subducendus. Hacque operatione in infinitum continuata, est tandem residuum ultimo loco inventum una e radicibus æquationis. Sit data æquatio :

$$pz^m + qz^{m-1} + rz^{m-2} + sz^{m-3} + tz^{m-4} \&c. + vz + w = 0$$

qua differentiata, ubi z ut variabilis ponitur, obtinentur :

$$pmz^{m-1} dz + q(m-1)z^{m-2} dz + r(m-2)z^{m-3} dz + s(m-3)z^{m-4} dz \&c. + v dz,$$

novaque hinc terminorum series:

$$pmz^{m-1} + q(m-1)z^{m-2} + r(m-2)z^{m-3} + s(m-3)z^{m-4} + t(m-4)z^{m-5} \&c. + v,$$

& fractio formanda:

$$\frac{pz^m + qz^{m-1} + rz^{m-2} + sz^{m-3} + tz^{m-4} \&c. + vz + w}{pmz^{m-1} + q(m-1)z^{m-2} + r(m-2)z^{m-3} + s(m-3)z^{m-4} \&c. + v}$$

Atque a quantitate pro arbitrio sumta

$$b = \frac{pa^m + qa^{m-1} + ra^{m-2} + sa^{m-3} + ta^{m-4} \&c. + va + w}{pma^{m-1} + q(m-1)a^{m-2} + r(m-2)a^{m-3} + s(m-3)a^{m-4} + t(m-4)a^{m-5} \&c. + v}$$

$$p(a-b)^m + q(a-b)^{m-1} + r(a-b)^{m-2} + s(a-b)^{m-3} + t(a-b)^{m-4} \&c. + v(a-b) + w$$

$$c = \frac{pm(a-b)^{m-1} + q(m-1)(a-b)^{m-2} + r(m-2)(a-b)^{m-3} + s(m-3)(a-b)^{m-4} \&c. + v,}{p(a-b-c)^m + q(a-b-c)^{m-1} + r(a-b-c)^{m-2} + s(a-b-c)^{m-3} \&c. + v(a-b-c) + w}$$

$$d = \frac{pm(a-b-c)^{m-1} + q(m-1)(a-b-c)^{m-2} + r(m-2)(a-b-c)^{m-3} + s(m-3)(a-b-c)^{m-4} \&c. + v,}{\dots}$$

$$\dots$$

Et hac quidem calculi lege infinities adhibita, sive tot vicibus iterata, quot radici satis exactæ inveniendæ sufficere videntur, est

$$z = a - b - c - d - e - f \&c. \text{ in infinitum.}$$

604 NOVA ACTA ERUDITORUM

Esto e. c: $py^6 \star + qy^5 - ry^4 - sy^3 - vy^2 - wy + w$
 $= 0$ & erit

$$a = a$$

$$b = \frac{pa^6 + qa^4 - ra^3 - sa^2 - va + w}{6pa^5 + 4qa^3 - 3ra^2 - 2sa - v}$$

$$c = \frac{p(a-b)^6 + q(a-b)^4 - r(a-b)^3 - s(a-b)^2 - v(a-b) + w}{6p(a-b)^5 + 4q(a-b)^3 - 3r(a-b)^2 - 2s(a-b) - v}$$

$$d = \frac{p(a-b-c)^6 + q(a-b-c)^4 - r(a-b-c)^3 - s(a-b-c)^2 - v(a-b-c) + w}{6p(a-b-c)^5 + 4q(a-b-c)^3 - 3r(a-b-c)^2 - 2s(a-b-c) - v}$$

$$e = \frac{p(a-b-c-d)^6 + q(a-b-c-d)^4 - r(a-b-c-d)^3 - s(a-b-c-d)^2 - v(a-b-c-d) + w}{6p(a-b-c-d)^5 + 4q(a-b-c-d)^3 - 3r(a-b-c-d)^2 - 2s(a-b-c-d) - v \&c.}$$

& $y = a - b - c - d - e$ &c. &c.

Simul ac numerator fractionis nihilo aequalis occurrit, id indicio est, valore radice jamjam invento exactiorem non dari, e. g. quodsi esset:

$$ax^5 - 161x^4 + 3398x^3 + 297146x^2 - 3797319x - 4090905 = 0$$

& $a = 100$, foret

$$ax^5 - 161a^4 + 3398a^3 + 297146a^2 - 3797319a - 4090905$$

$$b = \frac{5a^4 - 4 \times 161a^3 + 3 \times 3398a^2 + 2 \times 297146a - 3797319}{114362805} = -8$$

$a - b = 108$

$$c = \frac{(a-b)^5 - 161(a-b)^4 + 3398(a-b)^3 + 297146(a-b)^2 - 3797319(a-b) - 4090905}{5(a-b)^4 - 644(a-b)^3 + 10194(a-b)^2 + 594292(a-b) - 3797319} = 2$$

$a - b$

$$a - b - c = 106$$

$$d = \frac{(a-b-c)^5 - 161(a-b-c)^4 + 3398(a-b-c)^3 + 297146(a-b-c)^2 - 3797319(a-b-c) - 4090905}{5(a-b-c)^4 - 644(a-b-c)^3 + 10194(a-b-c)^2 + 594292(a-b-c) - 3797319} = \frac{55574825}{37961593} = 1$$

$$a - b - c - d = 105$$

$$e = \frac{(a-b-c-d)^5 - 161(a-b-c-d)^4 + 3398(a-b-c-d)^3 + 297146(a-b-c-d)^2 - 3797319(a-b-c-d) - 4090905}{5(a-b-c-d)^4 - 644(a-b-c-d)^3 + 10194(a-b-c-d)^2 + 594292(a-b-c-d) - 3797319} = 0$$

Cumque per operationem ulterius continuatam valor 105 neque augeatur, neque minuat, $x = 105$.

Si vero & reliquas ejusdem æquationis radices investigare luberet, dividatur

$$(x^5 - 161x^4 + 3398x^3 + 297146x^2 - 3797319x - 4090905) \text{ per } (x - 105), \text{ eritque quotiens nova æquatio minus composita}$$

$$x^4 - 56x^3 - 2482x^2 + 36536x + 38961 = 0, \text{ cui omnes prioris æquationis radices præter } 105 \text{ adhuc infunt. Sic itaque}$$

$$a = 1 \text{ eritque}$$

$$b = \frac{1 - 56 - 2482 + 36536 + 38961}{4 - 3 \times 56 - 2 \times 2482 + 36536} = \frac{62000}{31408} = 2$$

$$a - b = -1$$

$$c = \frac{d + 56 - 2482 - 36536 + 38961}{-4 - 168 + 4964 + 36536} = 0. \text{ Ergo } x = -1 \text{ \&}$$

$$(x^4 - 56x^3 - 2482x^2 + 36536x + 38961) : (x + 1) = x^3 - 57x^2 - 2425x + 38961, \text{ ac proinde}$$

$$x^3 - 57x^2 - 2425x + 38961 = 0$$

Cum tamen tot permutationes signorum in æquatione
Ggg g 3 x³ -

$x^3 - 57x^2 - 2425x + 38961 = 0$, scilicet duæ adhuc obvia
sint, quot in illa $x^4 - 56x^3 - 2482x^2 + 36536x + 38961$
 $= 0$, patet, numerum -1 esse radicem æquationis falsam.

Ponatur vero itidem

$$a = 10$$

$$b = \frac{1000 - 5700 - 24250 + 38961}{300 - 1140 - 2425} = \frac{1009}{-3205} = -3$$

$$a - b = 13$$

$$c = \frac{(a-b)^3 - 57(a-b)^2 - 2425(a-b) + 38961}{3(a-b)^2 - 114(a-b) - 2425} = 0 \text{ Ergo}$$

$$x = 13.$$

Cumque $(x^3 - 57x^2 - 2425x + 38961)$ divisum per
 $(x-13)$ det $x^2 - 44x - 2997$, est

$$x^2 - 44x - 2997 = 0 \text{ i. e. } x^2 - 44x + 484 = 3481 \text{ \& } \\ x = -22 + 59$$

Sunt ergo omnes æquationis $x^5 - 161x^4 + 3398x^3 +$
 $297146x^2 - 3797319x - 4090905 = 0$ radices; vera
quidem $+105$, $+13$ & $+37$, falsa vero -1 & -81 .

Quodsi radix unitati sit incommensurabilis, per fractio-
nem decimalem approximari poterit.

$$912^3 + 62^2 - 13655x + 76 = 0$$

& $a = 10$, erit

$$b = \frac{91000 + 600 - 136550 + 76}{27300 + 120 - 13655} = \frac{-44874}{-13765} = 3.2$$

$$a - b = 13$$

$$c = \frac{91 \times 2197 + 6 \times 169 - 13655 \times 13 + 76}{273 \times 169 + 12 \times 13 - 13655} \\ = \frac{23502.6}{32638} = 0.7$$

$$a - b - c = 12.3$$

$$d = \frac{91 \times 1860.867 + 6 \times 151.29 - 13655 \times 12.3 + 76}{273 \times 151.29 + 12 \times 12.3 - 13655} \\ = \frac{2366137.1}{27794770} = 00.8$$

$a - b$

$$\begin{aligned}
 a - b - c - d &= 12.22 \\
 91 \times 1824.793048 + 6 \times 149.3284 - 13655 \times \\
 e &= \frac{12.22 + 76}{273 \times 149.3284 + 12 \times 12.22 - 13655} \\
 &= \frac{164037768 \dots}{27358293200} = 000.6 \\
 a - b - c - d - e &= 12.214 \\
 f &= \frac{608303304 \dots}{27218198308000} = 00000.2 \\
 a - b - c - d - e - f &= 12.21398 \\
 g &= \frac{-159553761991938 \dots}{27216610091229200000} = -000000.5 \\
 a - b - c - d - e - f - g &= 12.213985 \text{ \&c. \&c.} \\
 \text{Ergo } z &= 12 \frac{213985 \dots}{1000000 \dots}
 \end{aligned}$$

Quam quidem methodum hic expositam ideo potius approximationem dicere vitium est, quia plerique casus, ad omnem rigoris mathematici absolvendum gradum, hujus calculi progressum in infinitum exigunt, & omnis aequationis radix hic in genere per seriem infinitam exprimitur, quæ solummodo in quibusdam casibus specialibus summari, ac in numero finito exhiberi, potest. Quod tamen aliter evenire non potest, cum radix semper inveniat ab omni signo radicali & numero surdo æque libera ac ipsa æquatio data. Hancque approximationis denominationem sibi vindicans hic tradita methodus eo minus objectionem incurreret, quod sit species regule, quæ falsè vulgo audit. Ceterum haud minimum ex hisce emolumentum emolumentorum in eo positum est, quod error calculi antecedentibus facile subrepens in consequentia non propagetur, neque certitudinem calculi continuati fallat, cum potius ille per ipsius calculi sequentia rite instituti non corrigi non possit, inveniendæ genuinæ radici moram tantum injiciens.

PARA-

PARADOXON STOICUM ARISTONIS CHII,
Ὁμοιον εἶναι τῷ ἀγαθῷ ὑπερβῆναι τὸν σοφόν, apud DIO-
GENEM LAERTIUM Lib. VII Segm. CLX, *novis*
Observationibus illustratum; quibus simul varii va-
riorum antiquorum Philosophorum, Græcorum Latino-
rumque, loci explicantur; Philosophorum, qui a veteri-
bus Histriones, Scurræ, & Hypocritæ, vocati sunt,
Histrionumque generatim, historia traditur. Opera
JOANNIS BENEDICTI CARPZOV.

Lipsiæ, sumtibus hæredum B. Lanckisii, 1742, 8.

Alph. 1 plag. 13.

Cam omnes hodie figuras Philosophus cogatur induere, ita, ut in luxuriantis imaginationis deliriis pendeat totus; conscripisse satiram in eos Cl. Autor videtur, qui nullarum rerum non modo non imperitum, sed omnium potius esse callentissimum debere Philosophum jactitant, & argumentum, quod fortunæ alicui se debere in Præfatione scribit, elegit ad eam rem ejusmodi, quod ex Philosophia desumptum Stoica, & longe παράδοξον, est, unde efficitur nimirum, ut Philosophus bono esse histrioni similis pronuntietur. Nota in vulgus sunt Stoicorum paradoxa, quibus non magis a sapiente suo res, quæ fieri non poterant, exegerunt, ac hodie in recentiori Philosophia requirunt cognitionem rerum omnium, quæ sunt, & possunt fieri, & modum, quo demum id fiat, insuper. Volupe est huic hominum generi, efficere, ut sua ipsius magnitudine ruat Philosophus, & ad impossibilitatis, ut Autor dicit, tetram basilicam ducatur. Cum autem ita sint comparata Stoicorum hominum paradoxa, ut magni quidpiam sonent primis auribus, postea vero, considerata magis atque magis, aut ad morum aliquam sententiolam redeant, aut risum sæpius bonamve misericordiam commoveant; horis iis, quibus animum a magis feruis reficere occupationibus voluit, ad percoquendum plenius sibi sumsit id, quod a *Justo Lipsio*, in *Manuductione* ad eam Philosophiam, penitus erat omissum, & obtinere voluit, ut
procax

procax *Megalandri Halensis* (quem ita pag. 2 & 404 appellat,) sapientia requirat atque poscat eodem modo inaudita, quo Stoica olim Philosophia sapienti suo omnes omnino formas, histrionicamque adeo speciem, concessit. Serio autem rem omnem ipse tractare, quacum sibi ludere difficile haud esse scribit, cupit videri. Ex universo tamen nexu, imprimis ex *Capitibus septimo & octavo secunda Sectionis*, plus satis patet, hoc ei fuisse propositum unice, ut Philosophos e recentioribus multos rideret, historicam illorum absurditatem, quam saepe summam putat, ostenderet, & sub antiquitatis fuce & pallio novellorum cosmodidascalomonosophorum stultitiam, praesertim qui *Megalandro* ita adherent, ut histrio solet praefecto suo, traduceret. *Praxitelem* autem, ut ex *Phaedro* ait, quo majorem opus suum auctoritatem penes hos inveniat, qui antiquitatibus plus nimium operantur, novo marmori suo adscripsit; neque suo nomine, data opera & sedulo, sed alio ambitu, & adjunctis aliis, materiam hanc pertractare ipsi placuit, ne bellum indicere videretur his, quibus ad se defendendum nec ira, nec fortasse arma, desunt. Locus est autem *Diogenis Laertii* longe elegantissimus, quem *Suidas* etiam, sed praeter hunc nemo, habet, qui, cum in vita *Aristonis Chii*, Stoici, summum bonum ejus, positum in *αἰδία* totum, describat, intelligentiae plenioris causa adjecisse eum simile, affirmat, quo ipsa penitus indifferentia perspiceretur, similem nempe sapientem bono esse histrioni oportere. Habetur is in vita *Zenonis, Cittiæi, Lib. VII Segm. CLX* editionis *Meibomianæ*. In hunc igitur locum, indictum huc usque omnibus, & sibi relictum, commentatus est Cl. Autor, nihilque reliquit intactum, quod ad intelligendum plenius cum verborum sensum, cum naturam paradoxo, facere poterat. Ipsum autem opusculum *παράδοξον*, de paradoxo exponens aliquo, ad historiam literariam & philosophicam, quam specialissimam quidam vocant, referri totum potest, in quo occurrunt ex omni parte, quæ ad constituendum & illustrandum Stoicorum potissimum dogma de indifferentia, de convenientia naturæ, de notione vera sapientiae ad

mentem Stoicorum, de decoro etiam, ac aliis rebus, faciunt. Sed, quia histrionum fit mentio in isto loco, cum index id argumenti postulet, & quævis duarum notionum explicationem requirat comparatio, cœpit de histrionibus primum dicere. *Due* igitur integri libelli *Sectiones* sunt. *Prima* de histrionibus exponit, quos & hypocritas nominat. *Alterâ* ipsam *Abjectionis Cibi* præceptum pensitat. *Prioris* igitur *Sectionis* varia capita sunt, prouti vel hoc, vel aliud, histrionum adjunctum pertrahant. *Caput primum* de origine histrionum agit, & e Tyrrenia artificum collegium, cujus præfectus *Hister* dicebatur, accessit. *Caput secundum* veram histrionum notionem exponit, seduloque istos homines ab ipsis actoribus, quibuscum semper confundebantur, discernit. *Caput tertium* loca habet, ubi gesticulabantur; orchestram puta, convivis, nuptias, funera, ægrotorum lectos, &c. *Caput quartum* varia histrionum nomina ac genera sistit. Dicebantur nempe *ὑψηλοὶ*, saltatores, chironomi, cinædi, staticuli, mimi, pantomimi, archimimi, &c. *Caput quintum* de nomine *ὑπερφιάδου* loquitur, histrionibus proprio; ubi in veram vocis *ὑπερφιάδου* notionem inquirat, & varias ejus significationes recenset. Ad quem etiam locum referenda sunt, quæ veluti postliminio disputantur sub ipso indice rerum, libello subiecto, voce *ὑπερφιάδου*. *Caput sextum* de relatione histrionum ad actores suos verba facit, de qua huc usque nemo exposuit, cum non levem ea tamen & contemnendam attentionem mereatur. Probare eam e locis Autorum legitimis anallus est, & operam adhibuit, an ad liquidum illam posset perducere. Qua occasione de histrionibus quoque publicis, privatis, & aulicis, adjecit varia. *Caput septimum* de vestitu & ornatu histrionum tractat. Toga, veste Romanorum propria, usi nunquam histriones sunt, vestibus multicoloriis usi, lituo instructi, verendis coriaceis & scorteis obsceni, &c. *Caput octavum* histriones, ad tibicinem saltantes, repræsentat, & multa notatu digna in eam rem persequitur. *Caput nonum* estimationem histrionum, & *Caput decimum* illorum infamiam, pluribus indagat. Omnia ubique ex scriptoribus antiquis, aut

his, probat, qui auctoritatem ac fidem merentur, & habent approbationem omnium. *Sectio secunda* inscribitur: *Paradoxon Stoicorum Aristonis Chii*, ὁμοιον εἶναι τῷ ἀγαθῷ ὑποκειτῆ τὸν σοφόν, variaque & ipsa in *Capita* dispescitur. *Caput primum* de natura paradoxorum stoicorum loquitur, atque, nihil absurdū continere id, quod ita dicitur. debere, satis evincit, exemplis id illustrans, & *Lipio* dein adjiciens, quod is omiserat penitus, hoc: Sapiens sit bono Histrioni similis. *Caput secundum* vitam, ætatem, dogmata, & scripta *Aristonis Chii*, Stoici, sed ea saltem, quæ vel a *Stantejo* ac *Brukero* omiſſa, vel non satis constituta, sibi videbantur, pertractat. Occasionem enarrat etiam, quod est in omni re historica imprimis commendandum, qua in hanc *Aristo* sententiam pervenerit, atque parabolas Stoicorum multis enucleat. *Caput tertium* de notione σοφίας, & σοφῶ *Aristonis*, exponit, ubi contra viros aliquos doctissimos ostendere conatur Cl. Autor, vulgaribus eam vocem servilibusque artibus male tribui, planeque tribui nunquam, & tribui non posse, nude positam, cum potius σοφός soli Philoſopho concedatur. Per *Aristonis* autem Sophum is imprimis intelligitur, qui morum bene doctrinam didicit, virtuteque præditus est in omni vita. *Caput quartum* loca quædam exhibet, cum aliorum, tum Stoicorum, quibus vita histrionis, & homines comparantur histrionibus, cum *Aristonis* illo parallela. In quibus unum potissimum *Maximi Tyrii*, Platonici, perlustrat, ejusque cum toto illo *Aristonis* convenientiam demonstrat. Sed, quoniam hoc Stoicorum παραδόξον interpretatio est & explicatio summi boni *Aristonis*, verba de eo facere necessum Auctori fuit, quod quoniam itidem ponebatur in indifferentis, propterea *Capite quinto* de ἀδιάφορα, sive sine honorum *Aristonis*, pluribus verba fecit; quibus omnibus disputatis, postquam varia etiam bonorum, malorum, neutrorum, & interjectorum, commodorum, & incommodorum, mediolorumque, genera recensuit, τέλος denique *Aristonis* evincit in virtute & decencia esse positum, Stoicorumque & *Aristonis* convenientiam cum virtute, ὁμολογουμένως τῆ φύσει εἶναι, indifferenter naturæ vivere, convenienter naturæ, & secundum naturam, vivere, modam servare,

vare, finem tenere, Deo similem fieri, alia ejus generis plura, verbis omnia discrepare, re autem ipsa penitus convenire. Stoicorum porro λογισμαχίας, & verba mente casta, agnoscit, atque ex perverso Φιλαιτίας principio omnem paradoxologię fontem derivat. *Caput sextum*, cum necessario reliqua præmittenda fuissent, rem ipsam aggreditur, & de sapiente agit, bono histrioni simili. Rem autem magnam esse, atque perdifficilem, bonum actorem esse, atque cum plausu spectantium personę suę desiderium legitime implere, ex vero ait. Rhetoricam, docet, Ethicę, & Historiam, Philosophię non tenuem cognitionem requiri, bonoque histrioni esse necessariam, adjuncta rerum omnia consideranda, decorum inprimis optime conservandum, ut, sive *Thersitę*, sive *Agamemnonis*, personam imitetur histrio, utramque convenienter referat. Atque hoc quidem sensu *Pythagoram*, *Socratem*, *Xenophontem*, ac *Diogenem*, *Maximus Tyrius* *Dissertatione XXXVII* circa finem histriones appellat, quod fufius demonstratum est. Adjecta huic *Capiti* integra est *Dissertatio*, de decoro cum in genere, tum Stoicorum ac histrionum ex *Cicerone* & *Quintiliano*. Scripsit olim de eo, quod decorum est, quam valde Autor prædicat, *Jo. Burchardus Menckenius* integram *Dissertationem*, quam tamen postea demum, postquam jam scripserat suam, consuluit *Noster*, & passim similia in eadem, cum animi voluptate sui, invenit. Stoicorum decorum in honestate ponit, quod, quamvis rigidum dicatur, cum bono tamen & virtute ab iis confusum esse, ostendit. Denique histrionum decorum in perspicua figurarum, rerum, personarumque, expressione, habituque claritate, collocat, iisque venustatem tribuit conspicuam, & gestus nimios, bonos in teatro, sed extra illud non imitandos. *Caput septimum* integrum, salibus & risu plenissimum, contra ardeliones doctos conscriptum est, de convenientia Philosophorum cum histrionibus ad extra. Nimirum, Philosophiam eodem modo, ut histrioniam, inter bona *Plato* refert. Philosophia ita æque, ut histrionia, crevit. Philosophorum disputationes eodem loco habebantur, quo histriones agebant. Theologiam mythicam, philosophiam histicam, esse evincit.

evincit. Plausum Philosophorum & histrionum considerat. Imperatorem histricum, & Regem Philosophorum, inter se componit. Histrionum & Philosophorum contemptum, exilium commune, & alia, producit. Tandem & prærogativam quandam indicat histrionum præ Philosophis, paucos nempe Philosophiæ operam dare, multos histrioniæ; & aliam horum vicissim præ illis, scilicet maledicentiores esse comicis omnibus Philosophos, quod suo etiam, si opus esset, exemplo demonstrare possit. *Caput octavum* agit de histrionibus philosophicis, ad *Acta philosophorum Heumanniana*. Philosophorum autem histrionum mores & habitum his phaleucis includit:

*Hi sunt, quos poteris vel Histriones,
 Vel Scurras etiam, vel, ut lubebit,
 Quovis dicere nomine exprobrando;
 Qui sunt ingenio levi, minuto,
 Et multum gracili, sed & maligno;
 Queis inscribere mortuis potes sic:
 En, vide! ingeniosus hic quiescit.
 Vir, & judicium suum moratur,
 Qui submittere res sibi studebat,
 Et rebus minime suas figuras,
 Fingens pro labitu faceta multa,
 Axiomata, dicta summa quævis,
 Theoremata, formulas loquendi,
 Et verum stupidus, sonum sciebat.
 Et mordacior omnibus molossis
 Erat, maximus atque disputator,
 Qui nunquam rediens suam petebat
 Quam victor vivida domum ex palastra,
 Quamvis victus erat putatus omnis.
 Immitisque, furens, minaxque, & atrox,
 Et nunquam placidus, bonus, serenus,
 Existebat obe! diis per omnes
 Quibusvis reliquis hic eruditis.
 En! Scurram σοφόν, en! & Histrionem!*

In classem vero histrionum philosophicorum transfert *Hier.*

Cardanum, Jac. Bohmium, Quirinum Kublmannum, Jordanum Brunum, Jo. Baptistam & Francisc. Mercurium Helmontios, Julium Cæs. Vaninum, aliosque, quorum vitam ex fide dignissimis scriptoribus, succincte, una cum variis ingeniosis venustatibus, tradit. Reliquos tamen, imprimis recentiores farinæ hujus, data opera omittit. Ita enim pag. 431 ait: *Quis, quæso, omnes stultos noverit, curaveritque?* Antiquorum potius Philosophorum circulos intrat, & *Capite nono* de histrionibus philosophicis ad locum aliquem *Luciani* commentatur, & primo quidem de *Socrate*. *Ἐργῶν* vulgo *Socrates*, irrisorque audit mortalium. Sensu, minime qui juvat, sed malo, hanc vocem Autor accipit, & per scurram interpretatur. Memphiticam ejus saltationem, probrosam omnem, & vituperandam, perstringit verbis duriusculis. Contra decorum egisse ait, cum in arundine longa equitaverit, cum fidibus canere in senectute didicerit, cum gestus in disputando nimis ridiculos inferuerit. Loca, quibus a *Zenone* scurra Atticus dicitur, colligit, & denique, quamvis bona eum doctrina fuisse affirmet, nullis tamen moribus doctorem morum palam profiteretur. *Caput decimum Aristippum*, histrionem aulicum *Dionysii*, parasitum, & scurram, constituit, argumentisque contra *Cel. Frid. Menzium* evincit, non esse eum a vita voluptaria, erroribusque liberatum. *Caput undecimum* de *Menedemo*, Eretrienfi, agit, locumque satis obscurum *Laertii* interpretatur, quo illius amicus longe insignis, *Asclepiades*, Poeta dicitur, ipse vero audit histrio. *Septendecim* recenset *Asclepiadas*, & autorem carminis *Asclepiadei*, qui huc usque latuit, huncce nostrum constituere, non sine verisimilitudinis specie, annititur. *Menedemi* autem histrioniam, in quantum satis est, describit. *Caput ultimum* pauca adhuc de *Menedemo*, Cynico, complectitur; *Euripidem* *σκηνακὸν φιλόσοφον* dici ab antiquis, affirmat; *Dialogos Platonis*, scenæ, quod quidam faciunt, applicari non debere, evincit; Stoicorum histrioniam enarrat; & *Memphin*, Philosophum Pythagoræum, *ἐρχηστὴν* appellat. In notis & animadversionibus subjectis non extravagatur nimium, sed loca potius, quæ sine lectionis crebra interruptione textui inferi

feri minime ipsi poterant, adducit, explanat, interpretatur; loca his similia adijcit; modo Criticum agit, modo Philologum; non raro e Philosophiæ intimis recessibus adijcit quadam; quæ satis loquuntur omnia, hanc sibi disciplinam in deliciis esse. Varios viros doctos, modeste quamvis, si a dictionibus quibusdam, iisque paucissimis, & ironicis, recesseris, refutat. *Buddeum*, suas forte causas habet, cur scribaciissimum duriuscule appellaret. Cum multis Theologorum disputationibus rem sibi minime esse affirmat; Lipsiensium suorum ridiculos mores obiter, & aliud quasi agendo, rectissime perstringit; veram multarum vocum notionem enucleat; multa Philosophorum absurda ridet atque traducit; divina e theatris exulare jubet, & emendationem morum e comœdiis expectandam non esse asserit; de variis libris, eorundemque autoribus, sat libere iudicat, conscientia fæx filius; antiquorum non nimius est admirator, aut contentor recentiorum; quæ bona sibi videntur, & cum veritate constare, eligit & assumit; Epigrammata passim, & phaleucos suos, quorum jam sæpe specimina dedit, adijcit; sermonis utitur genere satis puro atque eleganti; verbis duobus multa sæpe involvit, quæque attentius & sollicitius meruissent explicari. Denique totum libellum hac fabula claudit: *Querebatur aliquando in nescio qua civitate apud Triumviros capitales de eo, qui vocabula duriora in pseudophilosophos coniecerat. Consecabant alii, parricidii hunc esse proximum, at tertius, immo vero, inquit, finite eum, nam officium suum fecit. Fabula ostendit, vulgus in deliberationibus de rebus factis suum spectare ingenium.*

ANDRÆ DUDITHI AB HOREHOWICZA, Domini in Smigla, trium Imperatorum, Ferdinandi I, Maximiliani II, & Rudolphi II, Consilarii & Oratoris primarii, Episcopi tunc Tinniensis, Orationes quinque, in Concilio Tridentino habitæ, quarum posteriores duæ nunc primum e MSto prodeunt; cum Appendice Orationum duarum, quas GEORGIUS DRASCOWITH, Episcopus

pus tunc Quinqueecclesiensis, in eodem Concilio habuit. Prefatus est, ac Dissertationem de vita & scriptis Ill. Autoris historico - criticam adiecit, LORAN- DUS SAMUELFY.

Haltæ Magdeburgicæ, prostat in officina Rengeriana, 1743, 4. Alph. 1 plag. 5.

Hungariæ quodam in angulo reperit Cl. Editor hæc Orationes, duas imprimis postremas, manu antiqua, ejusque, quo Autor floruit, avi, exaratas, ac tribus prioribus in uno volumine annexas. Collectores scriptorum *Dudithi* huc usque omnes manu scriptas simpliciter ignorarunt, tertiamque, quæ Patavii excusa fuit, secundæ confuderunt, ambasque pro una, diversis non nisi in locis exscripta, venditarunt. Commendant omnino sese Orationes *Dudithi* dignitate rerum ac præstantia, quas magno acumine, magno dicendi apparatu, summo denique candore atque oris libertate, in Tridentinæ Synodi confessu exposuit Autor. Exinde incessit Editorem cupiditas, cetera quoque, quæ ad vitam & scripta *Dudithi* attinent, propius noscenda, siquidem *Quirinus Reuterus* partem modo scriptorum *Dudithi* olim evulgavit. In editione *Reuteriana* leguntur duæ tantum Orationes Tridentinæ. Tertiam enim Cl. Editor recentissimus *Duditho* abjudicat. Addidit hæc *Reuterus* duas tractationes, privatim ab Autore conscriptas, ac laciniæ literarum quasdam, quas Imp. *Maximilianus* ad *Dudithium*, & hic ad Cæsarem, donec flagitatam impetraret missionem, mutuo scripserunt, in quibus quippe omnis Concilii Tridentini habitus pulcherrime omnium est expressus. Est in eo Cl. Editor, ut consummatam *Dudithianorum* monumentorum syllogen edere paret. Præmisit vero hæc promulsidis loco, tum ut monita oculatorum rei literariæ custodum proliceret, tum ut eos consuleret, an e re sit Christiana, scripta omnia *Dudithi*, quorum pro viribus texuit seriem, edere, in quibus quippe plusscula sunt, quæ, ut bonorum animos olim vulnerarunt, ita pios hodieque offendere animos possunt. Cum vero ipse *Socinianis Dudithi* opinionibus responsiones virorum egregie doctorum

eorum totas sit adjecturus, immo Dissertationem, *de ratione, quæ in disputationibus cum Antitrinitariis tenenda est*, inscriptam, Operibus *Dudithii* sit præfixurus, non sane videmus rationes ullas, quæ sint impedimento, quo minus editionem illam pareat. Quis enim unquam putavit, opinioniones Socinianorum esse inexpugnabiles? Eas certe qui formidabiles prædicant & veneno onustas, illi hominibus male curiosis injiciunt cupiditatem querendi merces veritas, easque eo avidius lætandi. Imbecilli sane & ruinosa Sociniani utuntur philosophia, & eorum ratio exponendi literas sacras plerumque est puerilis, nec ullis fundamentis superstructa. Orationes priores duas Cl. Editor sumit ex editione Veneta, quæ apud *Jordanum Ziletum* A. 1562, 4, in lucem prodit. Contulit utramque cum eclypsis collectionis *Reuterianæ* *Ossenbachensis*, & cum editione *Johannis Harduini*, quæ legitur in *Actis Conciliorum Tomo X.* Præfixit eis Epistolam, qua *Petrus Fontidonius*, Segobiensis, Orationum istarum editor primus, eas Archiepiscopo Strigoniensi, *Nicolaso Olabo*, dedicavit, integram. Orationem tertiam expressit ex editione Patavina, apud *Gratiosum Perchacinum* A. 1563, 4, excusa. Quartæ, sive Panegyrici, *Maximiliano*, creato Regi Romanorum, dicti, & *Sarpus* & *Pallavicinus* meminere. Quintam vero ille quidem ignoravit, hic silentio involvit. Utramque Noster e MSto edidit. Illam, quæ apud *Reuterum* est tertia, Cl. Editor ex ordine reliquarum deturbavit, ac restituit *Drascowitzio*, Episcopo Quinqueecclesiensi. Cur in Hungaria Concilium Tridentinum haud fuerit receptum, rationem intexit. *Drascowitzii* duas æque curavit recudendas Orationes, in Concilio illo recitatas. *Thuanus Dudithii* dedit elogium, *Quirinus Reuterus* ejus edidit vitam, informator liberorum *Dudithii* postremis huius vitæ annis, ac tandem Professor Theologiæ in Academia Heidelbergensi. Hanc vitam, cui multa desunt, denuo sub incudem vocavit Noster. In elogio *Thuani* nonnihil notat. *Prætorii* narrationem emendavit ex ipsis *Dudithii* literis. Vitam *Dudithii* scripserunt præterea *Christophorus Sandius*, *Jo. Franc. Buddeus*, *Nicéronius*, *Christianus Augustus Salgius*. Postremi diligentiam Editor collaudat. Notat

Pag. 5.

7.

11.

12.

14.

- Pag. 15. tat fidem *Florimundi Raorundi*, ac Autoris Historiæ Socinismi Anonymi, quorum uterque informem *Dudithii* imaginem effinxit. Ipse operam dedit sedulo, ut integra fide res traderet, 53. ac dissensionem Autorum examinaret. Dolendum est, quod pars Orationis quintæ quædam periit, ac Orationes *Dudithii* Tridentinas reliquas nemo adhuc deprehendit, ac in lucem emisit. Vitam *Dudithii* Cl. Editor ea accuratione scripsit, ut ea de principatu cum hujus generis Commentationibus possit contendere. 744. Molitur editionem scriptorum *Dudithii* omnium; quam ut destinationem Viri eruditissimi velint ii, qui possunt, adjuvare, publico eosdem nomine rogamus. De vita *Georgii Drascowitii* Hypomnemation subjunxit vitæ *Dudithii*, legi dignum. Orationes vero *Dudithii* ea dictionis facilitate, nitore ac ubertatis *Tullianæ* præstantia, profluunt commendabiles, ut lectorem facile retineant mulceantque. De reliquo animadvertimus, Cl. Editorem, jam in Germania commorantem, abjecto nomine Hungarico, adiecit Germanicum *Godofredi Schwartz*. Ne enim de hac re ulla supersit dubitatio, efficit gravissima autoritas *Cel. Sigismundi Jacobi Baumgartenii*, qui id ipsum nos docuit in Præfatione, qua *Partem secundam Historiæ Concilii Tridentini Saligianam* ornavit hic Vir omni laude nostra excellentior.

Vollständige Historie des Tridentinischen Conciliums,
zweyter Theil, 2c.
id est,

CHRISTIANI AUGUSTI SALIGII PLENA CONCILII Tridentini historia. Pars secunda, qua exponuntur acta a Synodo Tridentum ex urbe Bononiæ reducta usque ad adventum præsulum novorum, Moroni ac Naggeri; ex probatissimis scriptoribus monumentisque, tum editis, tum ineditis, deprompta, Lutheranismi Seckendorffii loco supplementi insertura, suppeditata ex Ducali Bibliotheca Wolferbuttelana. Præfatus est SIGISMUNDUS JACOBUS BAUMGARTEN.

Halæ,

Halæ, impensis Rengerianis, 1742, 4.

Alph. 3 plag. 10.

U^sibus publicis adhibuit B. Autor cimelia Bibliothecæ Ducalis Wolferbuttelanæ ea ratione, quæ imitatoribus est admodum digna. Restat *Pars tertia* hujus Historiæ, cujus editionem propediem expectamus. Exorsus quidem fuit Vir optimus peculiare caput, de historia literaria & polemica Tridentinæ Synodi inscriptum; at dolendum est, eum haud ultra *Examen Chemnitianum* processisse. Gratulandum vero est orbi erudito, quod Cel. *Baumgartenius* duplicem ei adjunget appendicem. Prior dabit supplementum; posterior spicilegium, quo *Martini Chemnitii* de laboribus Anti-Tridentinis judicium porro exponetur, accessionesque suppeditabuntur ad ea, quæ B. *Saligius* jam fuit persecutus. Accedet designatio chronologica eventuum, toto Opere expositorum, annalium breviorum naturam amulatura. Hæc significavit S. Rev. Præfationis Autor, postquam de indole & divisione operum posthumerum commentatus fuit. Promittit idem prolixè Indicem, in universam Reformationis ecclesiæ historiam *Saligianam* adornandum, nec non aliquot Orationes *Andree Dudithii*, & duas fortasse *Drasowitzii*, Episcopi Quinqueecclesiensis, Orationes, ni in editione *Lorandi Samuelis* sit acquieturus, quam laudibus haud immeritis testatur esse concelebrandam. Respondet denique ad sex objectiones, quibus Historia *Saligiana* vulgo fuit onerata, rarus tamen, excusari haud posse omnes ejus, quibus heterodoxos extulit, laudes, vel in orthodoxos vituperationes, vel doctrinarum theologiarum controversiarumque dijudicationes. Telam exorsus fuit *Saligius* ab electione Pontificis *Julii III*, cujus nexos haud dissimulavit. Exposuit hujus commercia cum *Crescentio*, Purpurato, non penitus excusanda. Recensuit rationes, quibus Pontifex congruenter Tridenti egerit. De indole reformationis in Concilio haud adversus Pontificem tentanda secretis literis Imperator Papæ fidem dedit. Nec *Sarpium*, nec *Pallavicinum*, de hisce injectis mentionem, annotavit. Motus *Farnesianos*, & *Henrici II* lites cum Papa, percensuit copiose. *Henrici II* Regis literas,

Pag. 4.

11,

- Pag. 31. A. 1563, 13 Aug. ad Concilium intercedendi causa scriptas, exhibuit genuinas ex Bibliotheca Ducali. In necessitatem confessionis, Eucharistiæ præmittendæ, inuectus fuit, postquam
43. controversias, de sacra cœna in Concilio agitatas, attingit. Historiam juris de Clericorum depositione ac pœnis candidè edisseruit. *Jochimi II*, Electoris Brandenburgici, obsequia erga Pontificem haud dissimulavit, caulimque eorum sincere exposuit. Quenam fuerint consecrationis cœnæ sacræ verba, ignoratur. Ex generalibus Concilii Tridentini verbis subnatæ fuerunt li-
64. tes intestinæ. Autor recensuit *Christophori a Capite Fontium*
67. controversiam, eapropter agitam. Quid de communione sub utraque fuerit actum, perspicue enarravit, nec omisit iudicium facere criticum de sessionis tertiæ argumento. *Ruardi Tapperi*, Theologi Imperatorii, vitam & scripta indicavit, eumque Pelagianismi coarguit. Nec minus de *Melchiore Cano*, *Alphonso de Castro*, *Petro Malvenda*, *Joanne Groppero*, & *Ambrosio Pe-
80. largio*, succinctè exposuit. Quæ de pœnitentia in Concilio fuerunt demonstrandi ergo allata, dijudicavit idem. Doctrinæ de extrema unctione momenta præcipua, ac originis in *Marc. VI, 13*,
92. & *Jac. V, 14*, investigationem, dispexit. Reformationem Tridentinam *Vargas* vocavit *ignominiosam ac infamem, eoque tantum utilem, ut fabula ac risus esset populo*. Tonsuræ primæ abusus idem notavit. *Saligio* autem libuit ostendere ex testimoniis eorum, qui Concilio interfuerunt, Archiepiscoporum, quam parum libertatis in Synodo illa fuerit assessoribus a Præsidente relictum. De sacramento pœnitentiæ, a Tridentinis desinito,
103. acute & argute commentatur, suamque immiscet de baptismi ac cœnæ sacræ originibus opinionem. Hæcæ repetit ex exilio Babylonico, in quo Judæi postcænum paschale tantum celebrarint; illas ex baptismo protelytorum. Mallemus, Autor
109. ad liquidum utramque originem perduxisset! Quanto fastidio Protestantes excepti fuerint, ne quidem auditi, in Synodo, ipse ex Pontificiorum scriptis evicit. Literas, a Papa ad
114. Archiepiscopos, Moguntinum & Trevirenses, A. 1563 Tridentum datas, & ut manerent ibi, hortantes, ex MScO cum orbe erudito communicavit. Id vero mirabitur universa posteritas,

Seritas, Crescentium, Pontificis Legatum, ab Henrico II, Rege Galliarum, donis muneribusque corruptum, præcognovisse, quæ Mauritus, Saxonix Elector, & Henricus II in Imperatorem tentabant. Pontifex scilicet maluit abrupti Concilium, quam a Casare flecti. Verba, quæ Crescentius inferuerat decreto, quo doctrina de consecratione tradata fuerat, moribus fuisse plenissima, monuit. Crescentius sane inibi Pontificem dixerat unum & supremum in terris caput, ac statum ecclesie Christi, a portis inferorum securæ, derivaverat ab agnitione Pontificis. Assessores Concilii haud stetitæ promissis suis, luculento exemplo Autor docuit. Quis et qualis exstiterit Tridivicus Nausæa Blancicampianus, ex ejusdem annotationibus discere juvat. Crescentius, Præses, ex viâ ingenti cane atro percussus, obiit A. 1552. Omittimus multa, copiose exposita. Hosii, Purpurati Romani, colloquium cum Maximiliano II, principe juventutis, attentionem lectoris acuit. Commendonii iter per Germaniam fufus expositum est. Leuthingeri narratio de ejus actis Berolinensibus merito refellitur. Alberti, Ducis Prussix, responsum, Canobio datum, sinceritate se commendat. Zachariae Delfini iter haud minus copiose describitur. Pontificis confessio de Clericorum conjugio & communione sub una est omnino commemorabilis. Quam si ipse in Concilio corroborasset, magna orbis terrarum dissensio videtur potuisse evitari. Placebunt ea lectoribus, quæ Autor de Indicibus librorum prohibitorum attulit. Vitam Arnaldi Ferrerii, nobilis Galli, Tridentinorum mallei, delineavit idem succincte. Nec omisit commemorare vitam Vidi Fabri, domini Pibracensis. Quæ de Andrea Dudithio, ejusque vita, attulit, fufus edidit Cl. Schwartzius in Diatriba peculiari, quam modo laudavimus. De residentis, ac ordinationibus sine titulo, ut repetamus aliquid, supervacuum videtur. Argumentum de ordinatione gratis data excedit admonitionibus piis, sed quibus non potuit in Concilio relinqui locus. De calice, laicis concedendo, multi magnique exstiterunt motus. Galli, immo Imperator, per suos eum acriter poposcerunt. At votis haud respondit eventus. Nostrium est, Lectores ad librum ipsum remittere, quippe distributum accurate, diligentissimeque elaboratum, cedro dignum,

Pag. 119.

126.

135.

159.

180.

220.

237.

256.

276.

294.

gnum, & ad omnes seculorum decursiones commemorabilem. Judicium criticum paginam facit utramque. Nec facile omis- sum est ullum rei gestæ momentum minutissimum, quod un- decunque potuit exquiri. Stili limpidum tersumque ita manat flumen, ut perspicuitati acumen, & acumini compositio amœ- na, accedat. Vota idcirco omnium eo tendunt, ut coronis pul- cherrimo Operi propediem imponatur.

Vergleichung der Historien und Thaten verschiedener Ori- entalisch- und Indianischer grosser Helden und berühmten Männer, ic.

hoc est,

COMPARATIO HISTORIARUM AC FA- ctorum, quibus diversi Orientales ac Indici Heroes cla- rique viri excelluerunt, consignata ad Plutarchi exem- plum a LUDOVICO HOLLBERGIO, Assessore Di- casterii Eccles. ac Prof. Publ. Hafniensis. Ex Danico vertit, ac Præfationem præmisit, J. F. S.

Pars II.

Hafniæ & Lipsiæ, apud Jacobum Preuss, 1741, 8.

Aiph. 3 plag. 3.

In Isagoge, Operi præmissa, Interpres id egit, ut incrementa & progressus vitiorum, ac viros doctissimos, qui emendatio- nem depravatæ hominum vitæ curæ cordique habuere, per- censeret. Originem ex *Caini* exemplo demonstrat. *Chamus* se- mina nequitæ, inundatione terrarum defunctus, sparsit per re- stituti mundi exordia. Synodi sacræ ostendunt, quanta inter ecclesiastas & clericos Christianos succreverit vitiorum seges. Facies eorum nostra ætate est speciosa & pigmentis infuscata, ut subtilius ac efficacius ipsa possint imponere incautis, orbique dominari. *Aristotelis* Ethica, Cynicorum studiosa virtutum, decoro profligato, pervestigatio, *Zeno*, Stoicorum parens, ac *Epicurus* ipse, vitiis tollendis invigilarunt, fontes vero varie turbarunt. Ætate nostra *Christianus Thomafius*, *Gundlingius*, *Jo. Franc. Buddeus*, & *Rüdigerus*, nec non Ill. *Christianus Wolfius*, quem

quem Prologus vocat *omnium philosophicarum scientiarum instructorum*, idem saxum opera volverunt feliciori. Methodo Ethici usi fuerunt variis. *Ægyptii & Pythagoras* hieroglyphice moralia tractarunt, quos *Cebes & Claud. Franc. Menestrierius* imitati sunt. Dialogos adhibuit *Socrates*, cui vero id vitio vertit *Socrates*, quod crediderit, voluntatem per intellectum emendari, addens tamen statim, *Socratis* ex opinione virtutem esse donum Dei, ac precibus ab eo obtineri. *Platonis* in Dialogis notat phaleras oratorias, & fucum oratorium. Dramatica vitiorum impugnationis haud diu stetit. Successit in ejus locum Comœdia & Tragedia minus mordax. Excelluit in notandis hominum naves, ac modo elocutionis urbano, *Molierius*. Jungendus nunc est ipsi *Lud. Hollbergius*, qui serio magis Hæstie huc usque eisdem conatibus vacavit, haud citra fructum. *Æsopus*, *de la Fontaine*, *de la Motte*, *Henricus Alemariensis* in libro *Reinecke Vos*, *M. G. Rollenhagen* in libro *Froschmauser*, *Melchior Pfizing* in libro *Ritter Theurdauck*, aliique, fabulas ad vitia eliminanda amarunt. Alii fabulas Romanenses eodem fine adhibuerunt, quorum princeps existimatur *Philoxenus*, *Cytheræ* natus. *Octaviæ* autor existit solus *Dux Antonius Ultricus*, licet Autor Præfationis ei addiderit fratrem *Rudolphum Augustum*. Satyrographos ipse recenset potiores. *Joannis Swifti* *Fabulam de dolo* spectare ad Episcopales Angliæ deridendos, credit, nec omittit *Petri Paarsi Historiam*, libellum Romanensem, quo *Cel. Hollbergius* vitii navesque mortalium medicinam studuit parare. Exemplis propositis virtutem exhibuerunt commendabilem *Plutarchus*, *Valerius Maximus*, *Ælianus*, aliique. *Hosce*, primum maxime, imitari contendit *Cel. Hollbergius* in hoc ipso Opere, Danice scripto, nunc vero in Germanicum converso. *Pars prior* exhibet bis sex comparatas inter sese vitas, nempe Principis Tatarici *Gingis-Chani* & *Tamerlani*, quorum posteriorem a comitis, ac inclementia, in *Bajazethen* admissa, defendit. Excipiunt hos vitæ Mogolici Principis, *Oran-Zeb*, & *Ægyptii Sultani, Saladini*. Quæ præmissæ, monita de modis ad honores perveniendi, prorsus sunt egregia, & salibus conspersa, solis haud placitura pietatis fucosæ præconibus. Tum sequuntur vitæ Regis Indorum, *Akebari*, & Russici

Impe-

Imperatoris, *Petri Alexiowitz*; Imperatoris Hussitarum, *Ziska*, Principisque Epirotarum, *Scanderbegi*, quibus notio, de heroe formanda, fuit præmissa; Persici Regis, *Schach-Abas*, & Turcici Imperatoris, *Solimanni*; ac tandem duorum Americanorum Regum, *Montezuma* ac *Atapaliba*, quorum descriptioni Vir Cel. ad-jecit vanitatem juris Hispanorum in Indiam occidentalem occupan-dam. *Pars posterior* æque lectoribus offert sex vitarum collationes, Com-parantur in ea *Zoroaster* & *Mubammedes*. In contentionem adducun-tur *Zenobia*, Palmyrena, & *Catharina Alexiownu*. Componitur *Myrr-Weis* heros heroi *Myrr-Magbmud*. Conferitur dux bellicus, ingenii gloria præstans, *Mabubed-Kan*, cum *Emir-Jemla*, æque Indo. Compa-ratio instituitur inter *L. Sullam* & *C. J. Casarem*, ac isagoge præmit-titur de differentia inter indolem magnam, ac virum, rationi litantem. Tandem conferuntur inter sese *Socrates* & *Epaninondas*, ac genuini Philosophi diversis exhibentur notæ. Juvat perlegisse singulas præmo-nitiones, singulis comparationibus præfixas. Gravioris sane momenti est investigatio rationum, cur impostoribus, *Zoroastri* ac *Mubammedi*, per tantum temporis tractum tot fuerint asseclatores. Ad *Zenobiam* illustrandam inquit Cel. *Hollbergius* in quæstionem, an sexus fœmi-neus ab actionibus universis ponderosis sit excludendus. *Myrr-Wei-sio* præmittit descriptionem indolis, quæ conditoribus ac conservatori-bus monarchiarum excellentiorum inesse debet. Fuit enim ipsi con-stitutum, æmulari ac exprimere *Plutarchum*, qui singulis comparatio-num modulis doctrinam præmisit moralem, subjuncta comparatione illustrandam. Monuit hæc Cel. Autor ipse in Præfatione sua, addidit-que, seculum nostrum excellere heroibus virisque & fœminis in im-petiorum scena summis, licet multitudinis ac præstantia virorum vitio-rum cedat sæculo superiori. Noluit exemplaria virtutum ac vitio-rum deligere singula ex Europæ historiis, tum ob gravissimas causas, tum ne crambe esset recoquenda. Securius certe reprehenduntur res & vitia summorum virorum, a nobis remotissimorum. Quo mi-nus res gestas exponeret curate & annis adstrictas, prohibuit scopus. Ipse enim non Historicum agit, sed format specula vitæ, in quæ intu-entes discant sapere, ac stultitiam vitare. Optandum sane esset, ut ex-stant complures ejusmodi *Comparationes*, ex recentiori historia de-promptæ! Felicior enim est historia, quæ virtutem simul instillat, judi-ciumque confirmat, ea, quæ non nisi memoriam prægravat. Testimo-nia Autorum, ac testium loca, neminem hic quærere oportet. Scopus enim operosam hanc diligentiam respuit. Sæpius tamen ad scriptores fide plenos Autor provocavit, nec dissensum eorum nonnunquam dis-simulavit. Ea, quæ perlegimus, nobis visa sunt hinc inde *Plutarchum* superare, sæpius æquare, rarius proxime ad eum accedere. Docuit Cel. Autor suo exemplo, aquilonaria ingenia haud semper frigere, quin potius Gallis, huc illuc saltantibus levissimisque, esse tardiores Danos, eoque ipso judicii præstantioris, ac ingenii ad soliditatem magis subasti-



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris Anno MDCCXLIII.

VINDICIÆ CANONICARUM SCRIPTURARUM
Vulgatæ Latine editionis, seu vetera Sacrorum Bi-
bliorum Fragmenta juxta Græcam Vulgatam & Hexa-
plarem, Latinam antiquam Italam, duplicemque S. Eu-
sebio & Hieronymi, translationem, nunc primum in lu-
cem edita atque illustrata opera & studio JOSEPHI
BLANCHINI, Veronensis Presbyteri Congre-
gationis Oratorii Romani.

Pars I.

Romæ, ex typographia S. Michaelis, sumtibus Hieronymi
Mainardi, 1740, fol.

Alph. 7 plag. 8.

In aciem hic prodire videmus novum Romanæ Ecclesiæ pro-
pugnatores, *Josephum Blanchinum*. Is est patruus *Francisci*
Blanchini, qui *Anastasio*, Bibliothecarii, *Vitas Pontificum*, Ro-
mæ A. 1718 & sequentibus edidit, cujus *Tomo IV* Psalterium se-
cundum antiquam versionem Italam *Josephus* inseruit. Hic *Vin-*
diciarum vulgatæ Latine versionis liber *Tomus primus* est, ac ve-
luti nuntius magni Operis, quod *sæx Partibus*, succedente tem-
pore in lucem emittendis, absolvetur. Qui pro aris ac focis Ro-
manæ non dimicant Ecclesiæ, si omnes *authentiam* vulgatæ ver-
sionis, in Concilio Tridentino sancitam, in dubium & olim voca-
runt, & hodieque vocant. Hos quidem ita coercere *Cl. Blanchi-*
nus instituit, ut sciscet, hodiernam vulgatam Vet. Testamenti ver-
sionem, ad normam $\tau\eta\varsigma$ LXX interpretum $\kappa\omicron\tau\omicron\varsigma$ confectam, an-
tiquam

Kkk k

tiquam

ziquam illam *Italicam* itidem esse, quæ in veteri Occidentis Ecclesia primas obtinuit, & pro publica prope recepta fuit, *Augustino de Doctrina Christi. Lib. II Cap. II* teste. Atque hoc consilio in eo sibi elaborandum esse arbitratur, ut veterem *Italicam* conversionem ex optimis subsidiis pristino restituat nitore. *Fluminus* quidem *Nobilius*, autoritate *Sixti V*, Pont. Max. aliquid ejusmodi laboris suscepit, quod Romæ A. 1588 formis descriptum prodit. Verum is ex verbis Patrum dubiis & incertis laudatam versionem renovavit & emendavit, neque ipsos fontes, id est, vetustissima sacrorum Codicum exempla, in consilium adhibuit. Itaque certissimum est, non facilius in *Nobiliana* Italiam, quam aliam quamlibet, reperiri posse; ut *P. D. Huetius* judicat *de Claris Interpretibus pag. 110*. Hinc *Cl. Martianus*, Benedictinus e Congregatione *S. Mauri* Monachus, aliam, eamque meliorem, inivit veteris restituendæ versionis viam ac rationem. Is nimirum edidit *vulgatam antiquam Latinam & Italiam versionem Evangelii secundum Mattheum*, ex Codice in antiquis membranarum exarato literis Saxonice vel Merovingice ante octingentos annos, quem olim Bibliotheca habuit Corbejensis in Francia, nunc vero S. Germani a Pratis continet. Ex simili Codice, hinc itidem petito, *Epistolam Canoniceam S. Jacobi Apostoli* exire idem Vir doctissimus iussit. At nova plane, ut opinatur, arte *Cl. Blanchinus* *Canonicas vulgatae Latine editionis scripturas* vindicare molitur, multo pluribus anecdotis sacrorum librorum fragmentis utens, secundum Græcam vulgatam, & Hexaplam, Latinam antiquam Italiam, duplicemque *S. Hieronymi* versionem, quæ ex Codicibus IV, V, & VI Seculi manu exaratis delibavit. In hos eam præcipuam virtutem, quam *S. Augustinus loc. cit. Cap. 15 Italicæ* tribuit, convenire credit, *ut tenaciores verborum sint, cum perspicuitate sententia*. Hinc concludit, eos antiquam Latinam Italiam mirifice repræsentare. Occasionem ei tantum devorandi laborem cum dissensio dedit omnium, qui a sacris Romanis averti sunt, tum maxime *Thomas Jamejus*, edito *de Bello Papali* Londini A. 1600, 4, libro, quem *sacrilegum* vocat in Dedicacione *Blanchinus*. Hunc cum legisset, magnopere stomachatus est. Quare ira plenus hoc eleganter scilicet Latinum
de

de eo tulit iudicium: *Nihil illo Opere injurius Ecclesie, Patri-
bus Tridentinis, & ipsi Apostolica Sedi, excogitari poterat, ni-
hil scelestius.* Vir ille præclare doctus in *Bello suo Papali* am-
bas, *Sixtinam* pariter & *Clementinam*, vulgati interpretis e-
mendationes inter se contulit, &, quemadmodum toto a se in-
tervallo disjunctæ sint, ante oculos posuit omnium. Ambæ
sunt ejusmodi, ut a vulgata, quam Concilium Tridentinum
probavit, conversione totæ sint alienæ. Ex quo sequitur, ut
duo R. R. P. P. *Sixtus V.*, & *Clemens VIII.*, ipsa illius Concilii
decreta imprudentes everterint, &, quam ista in *obvertias*
thronum evexerant, vulgatam de eo rursus dejecerint. Nulla
hujus libri ad Pontificios pervenerat notitia, eam vero *Theodo-
ro Hufemanno*, Herbipolensi, debent. Hic antehac, ut præci-
pius Germaniæ Academiæ perlustravit, sic & in Jenensem pro-
fectus est. Ordinem ibi adiit Theologorum, eidemque septem
supra viginti quæstiones proposuit, potiora religionis dogmata
in se continentes. Petiit ab eo, ut, quod ad eas singulas re-
ponsurus esset, in literas referret, suoque sigillo muniret. Non
tulit repulsam *Hufemannus*, verum ejus desiderio satisfactum
est. Hac autem data occasione, summe reverendus ordo Je-
nensis librum *Thomæ Jamesii* legendum ei commendavit. Ex-
stat Epistola *Theodori Hufemanni* ad *Joseph. Blanchinum*, cui ali-
quam ejus responsionis partem, quæ illuc quidem pertinet, P. II
comitem dedit. Responsum *Facultatis*, ut dicitur, *Jenensis* da- pag. 288
tum est die 27 Aug. A. 1735, ejusdemque uberior declaratio
die 5 Sept. A. 1735. Nolumus hæc taciti præterire, cum
ansam harum nobis *Vindiciarum* enuntient. His declaratis, ea,
quæ hoc quidem *Tomo* continentur, primum, deinde vero,
quæ in sequentibus exhibebuntur, breviter & summatim enar-
rabimus. leq.

Totus hic *Tomus* in *binas* commode *Partes* dividitur,
quas Cl. Autor non quidem expressis verbis, at distinctis tamen
paginis, indicavit. Harum 410 *Partem* definiunt *priorem*, cui
præmissa est *Præfatio historica generalis de Vet. Testamenti textu*
originali, & versionibus Græcis ac Latinis, in *V Capita* distributa. Pag. 1.
Cap. I agit de canone divinarum Scripturarum, ab Ecclesia re-
cepto

- Pag. 12. cepto ante & post Christum natum. *Cap. II* de Libris avto-
 graphis & apographis legis & Prophetarum, eorumque histo-
 15. ria, exponit. *Cap. III* sic inscribitur: de præcipuis versioni-
 bus Bibliorum, Vet. Testamenti Græca & Latina, earumque au-
 31. toritate. In *Cap. IV* de vetustissimis, quæ hodie supersunt, exem-
 40. plaribus avtographis, vel apographis, Vet. Testamenti differitur.
 47. Ac *Capite* denique *V* historiam textus Biblici, ac versionum, ex
 antiquis Christianorum monumentis, præsertim Romanis, com-
 probatam, describit. Sequitur *divina Bibliotheca*, seu variantes
 lectiones Vet. Testamenti, juxta Hebraicam veritatem translati,
 & Novi, Græcæ fidei redditi a S. *Hieronymo*, nunc primum in
 lucem emissæ, una cum Epistola apocrypha S. *Pauli* ad Laodicen-
 ses. Sumtæ sunt illæ lectiones ex antiquissimo Codice MSto
 Toletanæ Ecclesiæ, qui Gothicis literis pictus est. Hunc *Chri-*
stopb. Palomares cum *Jo. Hentenii* S. Codicis editione, quæ A.
 216. 1569 Lugduni luci-exposita fuit, diligenter contulit. Isti Codi-
 ci Vir doctus, *Jo. Mariana*, ætatem octingentorum annorum
 50. adscripsit. Verum *Palomares* in Præfatione sua ad *exemplar*
Gothicum ad Seculum decimum retulit, cum *Joannes* quidam,
 Cordubensis Præsul, manu sua in fine annotaverit, se A. 1026
 hunc Codicem, tanquam perverustum, ad alia exemplaria
 castigasse, ac, veluti pretiosum donum, Ecclesiæ Hispalensi
 obtulisse. Huic Codici subjectæ sunt *quatuor* verbosissimæ *Epi-*
 217. *stole*; quarum *binæ* ad Abbatem *Garbellium* exaratae sunt. *Una*
 221. de Psalterio Latino Veronensi, ex versione Itala, *altera* de Psal-
 terio Græco Veronensi secundum *κοινήν*, seu vulgatam LXX in-
 226. terpretum editionem, conscripta est. *Tertia*, quæ ad Cl. *Go-*
rium perscripta fuit, de eodem exponit argumento, nec non de
 universâ Græca *ῥᾶν ὁ* versione, ab *Origene* in Hexaplis ad He-
 braicam veritatem exacta, & sub obelis atque asteriscis posita.
 250. *Quarta* denique, ad Cl. *Jo. Chrysostrum* exarata, de Psalterio
 agit Græco Veronensi, Latinis literis scripto, de nonnullis
 Hexaplorum fragmentis, antehac ineditis, de Vet. Test. libris,
 a S. *Hieronymo* ex *Origenis* LXX Interpretum exemplo Latine
 versis. Accedit specimen & descriptio Codicis Chisiani, ac
 de eo judicia, quæ *Leo Allatius*, aliique, tulerunt. Additur
 exem-

exemplum quadripartiti Psalterii, fragmentum libri *Sapientie*, Pag. 252.
 secundum Italam versionem, ex Codice Veronensi. His adjuncti 289.
 sunt libri *Ezëber & Baruch*, ex Codice Vallicellano, & liber *Baruch* 294.
 τῶν ὁ Codicis Chisiani, cum editione Vaticana collatus. Epi- 314.
 stola copiosa, quæ ad Ill. *Josephum Mariam* S. R. I. Comitem 319.
de Thunn data est, de *Bibliotheca divina* disputat, quam Cl.
Martianus Parisiis A. 1693 typis exprimentam curavit, & de
 rebus aliis, quæ huic causæ vicinæ sunt & finitimæ. Huic inser- 322.
 ta est descriptio Codicum Alcuini & Carolini, de quo etiam utro- 330.
 que fertur sententia. Ibidem inveniuntur alia, ut: Fragmentum 336.
Libri III Regum, *Libri I Regum*, *Libri Tobie*, ex Itala 341.
 versione, cum hujus insigni elogio; *Libri Judith* canonica di- 358.
 gnitas demonstrata; Capitulum XXIV Concilii Nicæni de Cano- 359.
 nicis Scripturis, nondum editum; descriptio Codicis Evangelio- 361.
 rum S. *Eusebii*, una cum Epistola Cl. *Ruggerii* de hoc Codice, & 367.
 alia Abbatis *Garbelli* de Codice Evangeliorum Brixiano; descri- 368.
 ptio Codicis argentei Vindobonensis Evangeliorum & Codicis Ve- 381.
 ronensis. Cum his, quæ hactenus recensuimus, conjungitur senten- 396.
 tia Papæ *Leonis* de apocryphis Scripturis, & specimen vulgatæ an- 401.
 tiquæ Latinæ & Italæ versionis Evangelii secundum *Matthæum*, ex 405.
 quatuor vetustissimis Codicibus eruta ac illustrata. Hæc in quarta 406.
 hujus Operis *Parte*, una cum fere toto Novo Testamento, edetur.
 Explicit hic *Pars* ea, quam *priorem* nominare nulli dubitavimus.

Accedimus nunc ad *Partem alteram*, quam novæ, quæ
 inchoantur, paginæ indicant. Præcipuum in ea est *Psalterium* 1.
duplex, cum *Canticis* sacris, ex utroque *Federe* collectis. Tex- 260 seq.
 tus est vulgata Græca LXX Interpretum, & antiqua Latina Ita-
 la versio. Prodit ex insigni Codice Græco-Latino Capitali Ve-
 ronensis, qui uncialibus literis ante Seculum VII exaratus est.
 Græcus etiam textus Latinis scriptus est literis, quas nulli si-
 gnant accentus, nec interpunctiones distinguunt. Cl. *Blanchinus*
 oræ cujusque paginæ variantes subjecit lectiones, ex aliis, cum
 editis, tum nondum editis, exemplaribus decerptas. Adjectæ
bina sunt *Epistole*: una ad Rev. *Passionem*, in qua specimen 279.
 Codicis Chisiani, in posterum edendi, datur, altera *Hufemanni*, ad
 Cl. *Blanchinum* missa, cujus jam supra compendiarium communi- 288.
 cavimus

- Pag. 290. cavimus enarrationem. Tandem descriptio interpretationis Græcæ Psalmorum S. Athanasii, & Commentarii, nondum antehac editi, S. Epiphani in Cantica Canticorum, ipsum hunc *Tomum* finiunt. Ceterum septem supra decem *tabula* æri incisa hoc continentur *Volume*, in quibus characteres rariorum, quotquot enarrantur, Codicum MStorum oculis subjiciuntur. Restat, ut contenta *sex Partium*, adhuc sperandarum, ipsis Cl. Autoris verbis designemus. *Pars I* complectetur non pauca Hexaplorum fragmenta, antehac inedita; *II* Vet. Test. libros, a S. Hieronymo ex Origeniano LXX Interpretum exemplari in Latinum sermonem translato; *III* uberem lectionum variarum silvam, ex MStis libris optimæ notæ decerptam, quibus restituetur pristinae integritati Canon Hebræus, seu Vet. Test. versio, a Cl. Martiano sub titulo Bibliothecæ divinæ S. Hieronymi evulgata; *IV* complures utriusque Fœderis libros secundum Italiam versionem; *V* Vet. Test. libros, a S. Hieronymo e Chaldaico in Latinum sermonem conversos; & *VI* demum vindicias Canonis S. Scripturarum, quem Tridentina Synodus Sessione IV, celebrata die VIII Mensis Aprilis A. D. 1546, condidit & asseruit. Ergo his ad bene de omni reliquo labore suo sperandum quasi signum aliquod sustulit Cl. Blanchinus. At nos, ut libere dicamus, parum bene de re ejus proposita speramus. Namque *duabus* ille *anteceptis* laborat *opinionibus*, quæ, quo minus verum perspicere possit, ipsum impediunt. *Una* est *studium scilicet suæ nimium*; *altera* vero *nimia causæ*, quam acturus est, *fiducia*. Quod ad nimium Ecclesiæ, in cujus luce vivit, studium attinet, illud quidem verbis declaravit injuriosis, quibus alios perit laceffitque homines, qui sacræ civitatis Romanæ rebus minime student. Hos etenim modo *heresiarchas*, modo *perduelles*, modo *hereticos*, modo denique *pestes*, vocat; ut alia ejusmodi valde ignominiosa nomina taceamus. Ea quidem excusat ille, & nescio cujus, *zeli*, & incredibilis erga sanctiores literas studii, velo in Dedicatione tegit. Nos autem *zelum* hominis, qui sub vexillo Romani Pontificis illustre meriturus est stipendium, præeunte sancto Servatoris legato, ζήλον ἔκατ' ἐπιγνάσιν Rom. X, 2, nominamus. Cl. Autor nimiam quoque causæ suæ prodit fiduciam,

fiduciam, dum, principia, quæ ponit, critica ejusmodi esse, sciscit, ut omni careant controversia, atque a nemine infirmari resellique queant. Dixit, ac si Pythius Apollo ex tripode fudisset oraculum. Sola principia *Euclidea*, &, quæ his similia sunt, philosophica, tanta valent veritatis virtute, ut omnem præcidant dubitationem. Critica vero, qualia hæc sunt, conjecturarum loco haberi debent, quæ & veræ & falsæ esse possunt, nisi has quidem præcisè & ulla sine exceptione veras esse, Summus Pontifex *ex Cathedra* decernat. Sed nos ea sequimur, quæ recta & purgata nos docet ratio. Nonne igitur novus Romanæ sedis nates triumphum canit ante victoriam? En tibi arma literarii & religiosi belli, quod nobis indixit: Versio vulgata est vetus Italica. E. est Canonica Scriptura. E. Codex Hebræus, ubi in rebus morum & fidei, atque in computatione librorum Canonicorum, a vulgata recedit editione, vitis laborat. E. Concilium Tridentinum vulgatæ *ἀποθερίας* recte meritoque vindicavit. Ridet hæc, quem leges artis ratiocinandi minime prætereunt. Id, quod sumit Cl. *Blanchinus*, nondum ita extra controversiam positum est, ut non amplius in lite veritatur. Nam fragmenta, quæ antiquam *Italiam* significare videntur, nondum eam *re ipsa* significant. Possunt quidem hanc designare; verum a *posse* ad *esse* non valet consequentia. Criterium, ex S. *Augustino* sumtum, nimis est generale, ac dubios nos semper relinquit, an non alia occiderit versio, quæ *verborum tenacior fuerit, & perspicuitatem sententiæ* præ se tulerit, *Italica* olim nomine honestata. At dabimus ultro libenterque, nos habere hodie totam Italicam conversionem; quid vero sequitur inde? Tunc hinc efficies, secunda veritate, simpliciter ac præcisè, hanc esse Canonicam Scripturam? Fingis hæc erroris opinione. Rationes hoc modo subducendæ sunt: Vetus Italica fuit *versio*, humana ope curata. Itaque fieri potest, ut nonnulla contineat, quæ in vitio ponenda sunt. Sed versio fuit *accuratior*, quæ in veteri occidentali Ecclesia magna valuit autoritate. E. in iis locis, quos accurate, id est, Hebræo Codici originali congruenter, versos exhibet, Canonicam exprimit Scripturam, in ceteris minime. Quid porro consequitur? Ubi versio, quæ *Italica*
esse

esse sumitur, recte se habeat, Hebræus Codex, qui *originalis* est, solus decernit & unus. Quod vero male in ea redditum est, id quidem ex eadem unica norma & præscriptione judicandum. Vir doctus arte abutitur critica, dum corruptiones & vitia sacro Hebræo Codici obtrudit. Hoc, quod longe petatum est, patrocini causa non bona prior erit. Nos, genuinis ejus artis præsiidiis fulti ac freti, hanc sacrilegam accusationem nervis carere, atque ab homine, desperatæ causa servituro, excogitatam esse, facile, si opus fuerit, demonstrabimus. Quæ cum ita sint, princeps cadet conclusio, a Tridentino Concilio vulgatæ versionis *αὐθεντικὴν* recte decretam esse. Cl. *Blanchinus*, & qui ab eo sunt, *versionem* suam in cælum extollunt, ut *librum*, quem Christiani ut *sacrosanctum, uniceque divinum*, recipiunt ac reverentur, deprimant, atque ex sacra proscribant civitate. Nonne igitur digni sunt, qui *Ciceronis*, veteris Romæ oratoris, verba sibi dicta putent: *Urbanis proditis, dum castella defenditis?* Sapientior est ac prudentior Tridentinorum patrum interpret, ejusdem fidei socius, *Jac. Faciolatus*, Vir Clarissimus, qui in Oratione, in media Italia habita, præ se libere tulit, *vulgatam editionem* non Græcæ aut Ebraicæ, sed reliquis Latinis, *illo Tridentino patrum decreto præpositam esse.* Vid. *Biblioth. Bremens. Class. V pag. 404.* Grandia minatur doctissimus *Blanchinus*, sed videat etiam atque etiam, ne magno promissor hiatu citetur, & eo nomine in judicium rapiatur. Provideat sedulo, ne magno conatu aut magnas nugas, aut nihil omnino, agat. Caveat denique, ne, dum parturiunt montes, nascatur ridiculus mus.

PHILIPPI A TURRE, EPISCOPI ADRIENSIS, de Annis imperii M. Antonini Elagabali, ac de initio imperii Severi Alexandri, Dissertatio Apologetica II, qua potissimum verus sensus Programmatis Cycli Paschalis S. Hippolyti restituitur & vindicatur, nec non antiqua militaria itinera Romanorum & Græcorum illustrantur. Opus posthumum. Addita Autoris Vita a Cl.

MENSIS NOVEMBRIS A. MDCCXLIII. 633

a Cl. Viro, JUSTO FONTANINO, Archiepiscopo An-
cyrano, edita, nunc Notis aucta. Item FRANCISCI
TRECCII, Veronensis, Oratio in funere
Auctoris.

Venetis, typis Jo. Baptistæ Paschalii, 1741, 4-

Alph. 1 plag. 6.

Syllogem hanc Eminentissimo Principi, *Angelo Maria Quirino*,
S. R. E. Cardinali, Brixie Episcopo, Editor, *Laurentius a*
Turre, Decanus Ecclesie Forojulienensis, inscripsit. Occasionem
Dissertationi apologetice dedit *Cel. Vignolius*, qui, ut systema,
quod proposuerat, de numerandis imperii *Elagabali* annis pro-
pugnaret, canonem Paschalem S. *Hippolyti*, Portuensis, ut fer-
tur, Episcopi, in marmorea ejusdem cathedra, que in-Vati-
cana Bibliotheca asservatur, inculptum, non dubium modo
facere, sed & falsi crimine ausus est damuare. Auctor defen-
dit ornamenta ejus Bibliothecæ, cui Emin. *Quirinus* præest.
Obiit *Philippus a Turre* jam A. 1717, 25 Febr. Vitam ejus
tertice editioni *Monumentorum veteris Antii Romæ* A. 1724
præmisit *Justus Fontaninus*. Disputationem de *Elagabali* anno
dieque emortuali agitarunt *Philippus* ille, *D. Virginus Vasse-*
chius, Monachus Benedictinus, in Academia Pisana publicus olim
sacrarum literarum Professor, & *Joannes Vignolius*, Bibliothecæ
Vaticane tunc alter præfectus. Auctor *Cap. I* affirmavit, mil-
liaria Romana recentiora aliquanto breviora, parte scilicet quin-
ta, esse antiquis. Approbavit hanc sententiam *Cel. Marchio*
Scipio Maffejus in *Verona illustrata Tom. I Lib. VI col. 132*, ac
in *Gallie Antiquitatibus Ep. 7*. Auctor *Cap. V*, occasione Inscr-
ptionis, a *Pavino* relatæ, in qua legitur dedicatio, *Serapidi* ab
Elagabalo facta, dicitavit, oculatissimos in re antiquaria scripto-
res sæpius in exscribendo fefellisse se ipsos, idque exemplis duo-
bus ivit comprobatum. *Cap. VI* expedivit difficultatem conci-
liandi numismata *Elagabali*, ejus tribunitia potestate insignia, cum
ejusdem imperio & annis, arbitratus, potestatem eam inchoan-
dam esse a die 16 Martii A. 218, quo die salutatus fuit a mi-
licibus Imperator, ut *Xiphilinus* e *Dione* habet, in quo *Majum*
LIII pro

pro Martio librarii intruserim. Olim litera *M* unica mensera utrumque indicatum fuisse, negat *Vignolius*. Id vero perspicitur ex *Camilli Peregrini Castigationibus ad Lupum Protospazham*, & ex *Gruteri Inscriptionibus*, a *Grævio* editis, *Tom. I P. II pag. 296*. Autor *Cap. 15* Cl. *Valseebii* systema expendit, quo hic conciliare nititur numos *Elagabali*, *tribusita potest. V* inscriptos, cum annis ejus imperii tribus, mensibus novem, & diebus sex, a *Dione* consignatis. Sententiam hanc Autor penitus profligavit & evertit. Integram hic Cl. *Vignolii Dissertationem II Apologeticam de Anno primo imperii Severi Alexandri Aug.* per capita singula Dissertatione hac altera apologetica expendit idem *Philippus a Turre*, & destruxit, nec non labefactavit Cl. *Valseebii* alterum systema, denuo in *Dissert. de Initio imperii Severi Alexandri Aug.* propositum. Genus contentionis hic nobis exhibetur perurbanum, dulce, festivoque quodam & jucundo lepore perfusum. Ipsa, parvis profecta initiis, in magnum veluti exarsit incendium, ex uno *Annia Faustina* Augustæ numo commota. Quam cum præter spem & opinionem *Adriensis* Episcopus excitasset, eandem ut exstingueret, hac iterum *Dissertatione II* constituit descendere in arenam, præcipue ut venerabile *S. Hippolyti* & Christianæ antiquitatis singulare monumentum fidei suæ restitueret, ac totam inde pendentem Chronologiam firmaret atque vindicaret. Inscriptiones, quarum ipse *Cap. 14* injecit mentionem, reliquit tantum sex. Reliquas hæc in lucem editis addidit Editor Venerandus. Queritur, quo anni tempore *Antoninus Elagabalus* vita excesserit. Autori visum est, obiisse istum mensè Martio A. C. 222. Idem placuit *Pagio. Vignolius*, obiisse *Elagabulum* post 16 Maji diem, contendit. Convenit inter utrosque, præcipuum hujus temporis characterem ex *Eutropio VIII, 13*, desumendum esse, referente, *Elagabulum biennio & octo mensibus*, postquam in urbem advenerat, fuisse interfectum. Consentiant in eo, *Augustum Nicomedia* initio Aprilis A. 219 discessisse. In quæstionem venit dies adventus, & an duobus fere mensibus iter *Nicomedia* Romam potuerit expediri, iter 1500 fere milliarium Romanorum. *Philippus* conjectaverat, Julio mensè *Elagabulum* attigisse Romam, siquidem

Pag. 2.

siquidem itinere militari veteres Romani 20 vel 25 millia passuum conficere consueverint. *Vignolius* huic sese sententiæ ob-
 jecit, ratus, iter illud tardiori motu fuisse peractum. Noster Pag. 35
 vero ex intervallis mansionum ostendit, nullam earum fere minus ab alia disjunctam fuisse, quam 18 miliaribus, plurimas ad
 20, 25, & plura, miliaria abfuisse. In *Itinerario Burdegalensi* perspicue: *Vit ab Aquileja Sirmium usque. Millia 422, mansiones 17.* Item: *Vit a Sirmio Serdicam usque. Millia 313, mansiones 13.* In primo exemplo mansionem æstimare licet miliaribus 25, in secundo miliaribus 24. *Livius XXI, 27,* dilucide definit iter unius diei millibus passuum 25 ferme. Qui
 exempla complura consulere volent, eorum est discurrere per
 exempla, quibus Emin. Autor sententiam suam stabilivit. *Vell-* 10.
launodaunum Cæsaris pro loco *Château Landon*, & *Genabum Carnutum* pro *Aurelia*, habet. *Bedriacum Taciti Hist. III, 15,*
 ipsi est villa nunc *Canneto* ad *Oleum* fluvium, qui ab oppido
Verona 40 miliarium abest intervallo. Tandem magnitudi- 19.
 nem itinerum militarium Romanorum tabula complexus fuit.
 Tum vero novis rationibus allatis ivit comprobatum, iter diurnum militare miliaribus Romanis 20 & fere 25 fuisse æquale,
 & *Elagabali* adventum in urbem incidisse in Julium mensem, ex- 29.
 cessum vero e vita in mensem Martium anni 222. Docuit
 præterea, voci *duplicare* inesse *augendi* significatum. Hinc
 ostendit, *Elagabalum* iniisse cum *Cornelia Paula* matrimonium
 anno 219 mense Novembri, ac ipsum primo congiario milites 44.
 donasse in adventu suo ad Urbem, secundo ob nuptias. *Vi-*
ctores Pythicos docet coronatos esse ramis ex malo arbore.
 Mortem *Elagabali* in Martium mensem anni 222 eo potissimum
 conjecerat, quod *Alexander*, ejus successor, die 13 Aprilis jam Imperator proponitur in lemma *Cycli S. Hippolyti* his
 apertissimis verbis: *Anno Imperii Alexandri Imp. facta est XIV* 48.
Pascha Idibus Aprilibus, Sabbato. Vindicavit denuo hanc sen-
 tentiam, ejusque rationem, explosa Inscriptione, quæ exhibetur a *Parvino Lib. II Fastorum*, in qua statua, seu aliud signum,
 legitur dedicatum *Serapidi* ab *Elagabalo* iisdem prorsus Idibus
 Aprilis. *Vignolius* utriusque monumenti fidem credidit sal-
 vam,

- vam, ratus, S. Hippolytum cepisse annum primum *Alexandri* a Calendis Januariis anni 222. At id ipsum pronuntiatum Episcopus Adriensis revocavit. Expromsit simul exempla Inscriptionum, in quibus exscriptores parum accurate suo munere sunt functi. *Scrapidem* ab *Elegabalo* cultum fuisse, negavit Episcopus eo, quod Imperatori illi solus probatus fuit *Heliogabalus* Deus, ceteri sordere visi, testibus *Lampridio*, *Dione*, ac *Herodiano*. Quis itaque existimare audeat, *Elegabalum* statuam *Scrapidi* in templo *Heliogabali* posuisse? Difficilior est ille nodus, quomodo numi, tribunitia *Elegabali* potestate quinta insigniti, possint in concordiam redigi cum annis imperii ejusdem. Nam A. 218, 16 Maji, dicitur acclamatum fuisse a militibus Imperatori, imperium accepisse ipse & tribunitiam potestatem 7 Junii, ac die 10, seu 11, Martii A. 222 rebus humanis exemptus est, hoc judice. Ipse addidit, *Elegabali* tribunitiam potestatem a die 16 Martii A. 218 inchoandam esse, quo a militibus salutat^{us} fuerit Imperator, non vero a die 16 Maji, ut vulgata *Dionis*, seu *Xiphilini*, verba prodant; propterea quod ea, quæ narrantur inter salutationem & pugnam cum *Macrino*, nequaquam potuerint confici intra illud temporis spatium, quod a die 16 Maji ad diem 7 Junii, quo ea commissa fuit pugna, numeratur. Conjectaverat porro, nomina mensum unica litera initiali fuisse expressa, librariumque ex *M* tecisse *Majum* loco *Martii* apud *Xiphilinum*. Adjecerat exemplum ex *Spartiano*, ubi librarii scripserunt *Idibus Augusti* pro *Idibus Aprilis* in rebus *Septimii*. Excitavit vir olim summus Inscriptionem, in qua exstat III KAL. MA. Uter mensis legendus est in hoc loco? *Martius*ne, an *Majus*? Monuit posthæc, *Ægyptios* in numis suis initium anni Imperatorum haud derivasse a die natali imperii eorum, sed a neomenia mensis *Thoth*, id est, a die 29 Augusti. *Herodianum* computasse imperii annos a Calendis Januariis, non a natali imperii, negavit contra *Vignolium*, ratus, annum XIII *Alexandri* apud *Herodianum* VI, 6, corruptum esse. Ostendit discrimen inter canones Paschales Romanæ & Alexandrinæ ecclesiæ receptos, antequam ætas *Leonis Magni* Romam quoque canones Alexandrinorum traduxit. *Victorius Aquitanus* in Præfatione *Cycli* sui pascha-

pascalis eum præverat. Prætermittimus multa. Obversatur oculis locus, ex *Dione* excerptus, *Lib. LXVIII pag. 907*, quo prælucente tempus fertur *Ettagabalus* in imperio exegisse *ad annos tres & menses novem diesque quatuor*. Eisdem numeros transcripserunt *Xiphilinus* in excerptis *Dionis*, *Zonaras*, *Cedrenus*, & *Glycas*. Consentiant *Lampridius* & *Eutropius*, quo-
 rum prior ferme triennium, posterior biennium & octo menses, ab ejus videlicet ad Urbem accessu, numeravit. Sollicitaverat *Vigilius Dionis* locum. Noster vero cum egregie vindicavit. Restat, ut *Philippi a Turre*, viri divinis olim dotibus judicioque confirmato ornatissimi, vitam delibemus. Majores ejus, exeunte Seculo XIII, Mediolano in regionem Fori-
 julii profecti, istic in civitate, unde tota appellatur regio, sub-
 avito *Canaliorum* nomine confederunt. Obsoleto ipsi paulatim eo nomine, ex situ urbis deinceps, in quo interdum ædes
 habuerunt, nunc a *Burgo pontis*, nunc *Gabrii*, nunc *Tonii*, sunt
 appellati. Denique a *Turre* perantiqua, & in patriis annalibus
Fontanini memorata, cognomentum nacti sunt serius duraturum. Nobilium enim opulentorum mos erat, Seculis XII, XIII,
 XIV, *turribus* ædes suas distinguere, teste *Ricobaldo Ferrariensi*
pag. 1171 Tom. I Eccardi. Horum soboles, *Marius a Turre* & *Camilla*,
Fruventinorum ad gentem referenda, nostrum progeniit. Ipse *Philippus*
 in lucem susceptus est A. 1657, ipsis Calendis Maji, in civitate
 Fori Julii Venetorum. Adolescens studiis liberalibus, sacra civilique
 Jurisprudentia, Patavii imbutus fuit. Ipse robustior factus, nec
 Mathematicos Astronomosque, nec Medicos & Anatomes Magistros,
 prætermisit. Doctor Juris utriusque A. 1677, 29 Januarii, ætatis
 anno 19, renunciatus est, promotore usus *Antonio Vaira*, quem
 postea in Episcopatu nactus est successorem. Astronomiæ ac Physi-
 cæ experimentalis sese addixit. De illustrandis etiam ecclesiæ
 Forojuliensis rebus cogitavit. A. 1687 abiit Romam eo sine,
 ut omnem rem literariam, sacram imprimis, accuratius
 pernosceret. Ibi primo vidit *Godofredum Guillelmum Leibnitium*.
 Cum *Turrius*, adverte valediculi consulturus, Ferraria in
 Forum Julii A. 1695 fecellit, necessitudinis vincula sese
 inter ac Abbatem Sextensem,

pag. 129.

17.

20.

22.

sem, *Iustum Fontaninum*, adstrinxit. Rediit deinde Romam A. 1697, ténique *Henrico Norisio*, Sedis Apostolicæ Bibliothecario, innotuit, ac in ejus amicitiam sese insinuavit. A. 1699 edidit *Dissertationes de Monumentis veteris Antii, de Cultu solis Mithræ, de Beleno, deque aliis Aquilejensium Diis*, nec non de *Colonia Foro-Julienfi*, in. mo fragmenta quædam Inscriptionum Collegii Fratrum Arvalium, ac 76 Inscriptiones ex agris Aquilejensi, Foro-Julienfi, & Concordienfi. A. 1702 Episcopus Adriensis dictus est. Omittimus reliqua, siquidem, *Monumentis Antii veteris* reculis vitam hanc, *Fontanini* ingenio tribuendam, præmissam esse, nemo facile ignorat.

JUS NATURÆ, METHODO SCIENTIFICA pertractatum. Pars secunda, in qua agitur de Dominio, ac inde resultantibus juribus, cumque iis connexis obligationibus. Autore CHRISTIANO WOLFIO, Potent. Borussorum Regis Consiliario intimo, Fredericianæ p. t. Pro-Rectore, Pro-Cancellario, Juris Naturæ & Gentium atque Mathematicum Professore Ordinario, Professore Petropolitano honorario, Academiæ Regiæ Scientiarum Parisinæ, Societatumque Regiarum Britannicæ atque Borussicæ, Membro.

Halæ Magdeburgicæ, in officina libraria Rengeriana, 1742, 4.

Alph. 3 plag. 2.

De Tomo primo hujus Operis diximus nuperrime; nostrum igitur est, ut de ceteris quoque, quæ prostant, dicamus. Ill. Autor initio Præfationis rationem reddit, cur *Pars secunda* lucem demum adspexerit A. 1742, cum *prima* jam prodiiisset A. 1740. Commemorat nempe distractiones animi ob invitationes sub conditionibus honorificis ac lautissimis tum ad Professionem in Academia Ultrajectina, tum ad reditum in Academiam Halensem, cum Marburgi non modo commodissimam haberet Musarum suarum sedem, verum etiam ea esset rei familiaris ratio, quæ vel insolita munificentia alibi vix ac ne vix quidem

quidem in melius mutari posse videbatur, grato inprimis animo in domum Halliacam cogitationem omnem a mutando domicilio retrahente. Accedebat cura novæ editionis *Tomi primi Elementorum Mathematicos*, quæ maximam partem A. 1740 typis fuit descripta. Tandem moram injecit domicilii mutatio, & oblarum munus Pro-Rectoratus negotiosissimum, cum vix Halam rediisset, & in rebus suis adornandis totus esset; quod unus etsi initio declinaret, semestri tamen spatio elapso eidem humeros submittere coactus fuit. Non autem moram sine ratione excusat. Sparsierant enim nonnulli falsos rumores, quasi animi corporisque vires adeo defecissent, ut nec muneri suo obeundo par esset, nec eodem, quo ante, successu animum ad scribendum appellere posset.

In *Parte prima* Ill. Autor egit de obligationibus ac juribus connatis. Hisce opponuntur acquisita, quæ ex sola quadam obligatione connata non oriuntur, sed interveniente demum facto quodam humano resultant. Jura acquisita primaria, unde cetera omnia, tanquam rivuli ex fonte suo, deducuntur, duo sunt, dominium & imperium. Quamobrem in hac *Parte secunda* progreditur Cel. Autor ad dominium ac inde resultantia jura & obligationes explicandas. Dominia surrogata sunt in locum communionis primæ, utpote inde orta, quod jus, natura omnium commune, fieri cœperit proprium. Cum adeo nemo intime perspicere possit, quale sit jus dominium, & quænam jura particularia hinc descendant, nisi qui communionem primæ intime perspectam habet; ideo amplam Ill. Autor instituit de hac translationem, ne doctrina de dominio luce sua destituatur. Nimirum, qui jura intime perspicere voluerit, is, iudice Nostro, primo loco perpendere debet, quale sit jus aliquod in statu naturali originario, quodnam jus gignat in adventitio, introductis dominis ac imperiis privatis; deinde inquirendum ipsi est, quamnam mutationem subeant hæc jura in statu civili, ut pateat, quid tum vi notionis civitatis in genere, tum vi formæ regiminis & status civitatis in specie, addendum, vel demendum, sit juri naturali, ut efficiatur jus civile, quod vel civitati omni, vel in specie huic, vi formæ ac status sibi proprii convenit. Hæc via
igitur

Cap. 1. igitur incedens Ill. Autor, ex iis, quæ *Parte prima* de obligationibus ac juribus connatis demonstravit, a priori deducit, quæ de communione rerum primæva tenenda sunt. Rerum communio primæva ipsa jus connatum est, & in usu rerum omnium, tam necessariarum, quam utilium & voluptuariarum, necessario consistit, qui scilicet ad hoc requiritur, ut obligationi naturali satisfaciamus. Usus igitur hic promiscue patet omnibus, nec quisquam licite ab eodem excluditur. Sunt vero etiam res industriales & artificiales eodem modo, quo naturales, communes, utpote quæ naturalibus incorporantur, singulis communis utilitatis gratia laborantibus, ita ut unusquisque eo defungatur labore, quo maxime opus est, & quem recte perficere valet. Relinquendum autem est uniuscujusque judicio, in quantum usus rerum sit ipsi necessarius, & quanta sit indigentia sua, & unicuique competit jus resistendi ei, qui usum rei necessarium quocunque modo impedire conatur, consequenter se adversus impedire volentem defendendi vi infinita, prouti major vel minor requiritur, ut conatus impedituri irritus reddatur; immo etiam jus puniendi eum, qui impedit, eodem modo infinitum, ut securitati futuræ prospiciatur. Hinc deducit Noster, quænam bella in communione primæva licita sint, seu iusta, quænam iniusta. Ex communi jure rerum fluit etiam jus commune ad actus, sine quibus usus rerum necessarius obtineri nequit. Monet autem Ill. Autor, imaginem hujus juris adhuc superesse penes Religiosos in Ecclesia Romana, qui voto paupertatis tenentur; quod penitus inspicere datur per ea, quæ de communione primæva demonstrata sunt. Hinc autem simul intelligi, cur Patres & legislatores Religiosorum votum paupertatis cum voto obedientiæ conjunxerint. Cum enim voto paupertatis Religiosi renuntient omni proprietati, & hoc jus cum communione primæva commutent; voto obedientiæ renuntiant juri libertatis, & id in superiorem transferunt, ut adeo quoad exercitium juris communionis seu usum facti non dependeant a propria, sed superioris, voluntate, sicque evitetur omnis juris abusus, evitentur omnia bella, quibus in communione primæva locus est. Ut vero intelligatur, communionem primævam

vam licite fuisse sublatam, & dominia introducta, ideo Autor copiose docet, in illa homines persistere non posse, nisi aut non nimis multiplicato genere humano in vitæ simplicitate persistant, aut in eximia admodum charitate, quarum illa legi naturæ contrariis, hæc vero, etsi lege naturali præcepta, magis tamen optanda, quam speranda, est. Monet hic, Patres Religiosorum ideo introduxisse communionem rerum negativam, qualis est primæva, ut non modo Religiosis charitatis exercitium reddatur familiare, sed suo etiam exemplo eandem doceant ceteros, eosque ad eandem excitent. Quando a communione primæva receditur, res, quæ fuerunt communes, fiunt singulorum, seu juri proprio subjiciuntur, ut is, cujus res est, ab ejus usu licite arceat omnes, & eidem competat jus, de ea pro arbitrio suo disponendi: quod ipsum est dominium. Quoniam autem pluribus in re indivisa dominium competere pro parte rata potest; hinc oritur communio positiva, a primæva illa, quæ negativa est, differens, nec confundenda cum mixta, in qua res equidem sunt in dominio universitatis, omnibus tamen non competit nisi usus earundem indifferenter, prouti scilicet unicuique opus fuerit, ita, ut nemo habeat dominium pro rata in rebus indivisis. Communionem mixtam Autor esse monet eam, quæ est Religiosorum, quam cum vulgo cum positiva confundant Protestantes, votum paupertatis cum divitiis cœnobiorum pugnare ipsis videri, cum tamen hoc ipsum votum pulcherrime consentiat in communionem mixtam, in qua nemo in re ulla neque divisa, neque indivisa, dominium habet, & singuli re utuntur tanquam communi, non tanquam propria, quæ est universitatis. Ceterum dominium plenum tria jura involvit, nimirum proprietatem, jus fruendi, & jus utendi, quorum illo de ipsa substantia rei, isto de fructu ejusdem, hoc denique de quovis usu, disponitur. Quoniam vero nemo actu de re sua disponere potest, nisi eo in statu sit, ut eidem etiam competat potentia physica, de eadem pro arbitrio disponendi; ideo ad dominium accedere debet possessio, de qua ipsa agit Ill. Autor, quid inter possessorem bonæ ac malæ fidei intersit, demonstrans. Naturaliter homo re sua aliter uti non debet, quam

M m m m

ut

ut satisfaciatur obligationi naturali; abusu lege naturali prohibito; vi tamen libertatis naturalis ipsi ab aliis permittendus etiam abusus est, quamdiu nil fecit contra jus eorum. Postquam igitur Ill. Autor in genere docuit, quid dominium sit, & quomodo idem exercendum; pluribus demonstrat, quomodo dominium rerum, tam corporalium, mobilium, & immobilium, quam incorporalium, acquiratur, expendens simul, quid lex naturæ præcipiat de singulis modis acquirendi, qui in Jure Romano naturales appellantur; ubi haud exiguum deprehendes differentiam eorum, quæ Ill. Autor demonstrat, a placitis Juris Romanorum. De his exponere, hic nimis longum foret; id igitur adhuc monemus, demonstrari a Nostro, introductis dominii omnes hominis actiones liberas æquiparari rebus, quæ sunt in dominio ipsius, cum hoc sit principium fecundissimum in multis aliis demonstrandis. Et, quoniam res, quæ sunt in dominio universim spectatæ, nullo attento earum discrimine, in patrimonio esse possunt, omnium autem bonorum, quæ quis habet, universitas patrimonium constituit, quid unicuique circa patrimonium incumbat, quid juris sit, Noster ostendit. Tandem Ill. Autor inquirat in obligationes & jura ex dominio oriunda. Pertinet huc obligatio, rem domino restituendi, si ea quomodocunque in potestatem nostram venerit, damnum, culpa, vel dolo, datum, quodcunque refarciendi, nemini incio vel invito rem suam auferendi quocunque animo, vel de possessione rei immobilis alios vi ejiciendi, aut eos defraudandi, porro rem suam vindicandi, furem & prædonem, defraudatorem, turbatorem possessionis, & furtum usus aut possessionis committentem, puniendi, jus fundum immutandi, rem alienandi, & jus quoddam ad actum quemcunque vi domini sibi licitum in alterum transferendi, res suas, earumque possessionem, defendendi, & quæ alia sunt, hisce agnata. In singulis Ill. Autor descendit ad particularia, quæ singula figillatim persequi, abhorret ab instituto nostro.

Cap. 3.

IL CAPITANO FILOSOFO: OPERA DI PAOLO-MATTHIA DORIA, divisa in due Parti.

hoc est,

DUX

MENSIS NOVEMBRIS A. MDCCXLIII. 643

DUX BELLII PHILOSOPHUS, COM-
mentatio PAULI MATTHIÆ DORIÆ, in
duas Partes divisa.

Neapoli, 1739, 4.

Alph. 3 plag. 4, cum Figurarum, æri incisarum, Tabulis 5.

Plura jam doctrinæ atque acuminis Præclarissimi Autoris
specimina in *Actis* his commendavimus, & nostrarum pro-
pterea partium esse duximus, historiam eruditorum ejus
ingenii monumentorum data hac occasione continuare. Hoc
Opere molestam forte pluribus, castra sequentibus, veritatem
tuetur, quod Dux belli perfectus nemo esse possit, qui non
sit Philosophus. Argumento huic autoritate Celsiss. Ducis *a*
Berwick, summi herois, Franciæ Marecalli, filii, gratiam conci-
liare studet. Ille enim, qui præclaris belli pacisque muneribus
defunctus, ante aliquot annos Neapoli obiit, Cel. Autorem.
Opus hoc molientem, non modo in sententia sua confirmaverat,
sed multis quoque invidiis argumentis ipse demonstraverat, ab
imperatore rerum philosophicarum scientia destituto bellum
nec fortiter, nec prudenter, geri posse. Manibus igitur Celsiss.
Herois suas has lucubrationes Doctiss. Autor dedicavit, iisque
elogium Viri summi concinnum atque eruditum præmisit. In
duas Partes librum distinguit, quarum *prima* omnis generis ar-
gumenta conquirat, quibus evincat, heroem in bello Philoso-
phiæ præsidio destitutum esse non posse; *altera* demonstrare
suscipit, qua ratione non tantum generalis prudentia in bello
gerendo, sed ipsa quoque aciei instructio, quam tacticam ar-
tem vocant, castra metandi scientia, locorum munitorum obsi-
dio, atque reliqua omnia militaria opera, ex sanæ Philosophiæ
præceptis fluant. Neminem itaque in dubium vocaturum esse,
Opus hoc suum genuini Systematis militaris nomen mere-
ri, sibi persuadet, cum non modo omnia, quæ ad militiæ
scientiam pertinent, *duobus* his *Voluminibus* complexus sit,
sed singula quoque præcepta ex veræ Philosophiæ, sive, ut pas-
sim loquitur, Metaphysices, fontibus hauserit. Exponit igitur
primo statim *Capite* originem perversi appetitus, qui innatus

Mmm m 2

mor-

mortalibus esse videtur, ut bello se invicem petant, atque simul generosam nonnullorum ambitionem castra sequendi, quæ finem innoxium sibi propositum habet, excusat ac laudat. Ab his enim animus non tantum honestus, atque omne vitium abhorrens, sed plane heroicus, prodi ipsi videtur, cum belli usu res publica carere nequeat. Cum enim innata sit hominibus artes varias inveniendi atque excolendi facultas, illa duce omnis generis instrumenta militaria excogitarunt, illaque subinde mutarunt, donec procedente tempore omnibus numeris perfecta elaborarunt. Monstrat itaque, qua via primum homines arma invenerint, atque militarem scientiam, inventis castellis, novi generis bombardis, atque diversis munimentorum formis, ditaverint. Inquirit igitur, quæ arma vel vi inferendæ, vel aggressibus hostium retardandis, magis idonea sint. Hisce præmissis, lucis perfecti, sive herois, in bello accuratam ideam delineat, quid theoria, quid praxis, in bello præsent, disquirit, quid prudentiæ imperatoris, quid fortunæ, in fausto armorum successu debeatur, distinguit, atque evincit, sapientem imperatorem saltem maximam partem potestatis, quam fortuna in rebus prospere gestis sibi arrogat, moderari, & sibi vindicare posse. Hisce de duce explicatis, porro in originem atque essentiam bene instructi exercitus inquirit, & compositam ex singulis ejus partibus ideam a certo quodam, ut loquitur, metaphysicæ sensibilis genere simul atque abstractæ metaphysicæ intelligibilis conceptibus pendere, contendit. Amplissima enim exercitus idea ambitu suo multum politicarum, moralium, & œconomicarum, rerum comprehendit, quæ omnia ex metaphysicis fontibus derivantur. Illa vero, quæ in idea exercitus ex sensibilibus metaphysicis pendent, sunt varia atque innumera fere militum officia. Hæc *septem* primis *Capitibus* Autor explicat. Sequenti vero *Capite octavo* ad specialia descendit, atque XXI axiomatibus succincte omnia complectitur, quæ ex variis disciplinarum philosophicarum generibus duci copiarum familiaria ac nota esse debent. Aliis porro XIX axiomatibus illa comprehendit, quæ ex doctrina morum, prudentia politica, atque œconomica, ipsum haurire, inque usus suos convertere, par est. Dubium

bium vero sibi ipse movet, quod, cum Consules olim Romani exercitum reipublicæ ipsi in hostes duxerint, dici tamen nequeat, illos omnes perfectos Philosophos, Metaphysicos, atque Geometras, fuisse. Senatus quoque Romanus res imperatorum in bello gestas non ex eventu rerum judicabat, sed secundum causas ipsas eventus curiose examinabat, licet affirmari temere non possit, omnes illos Senatores atque patres conscriptos ita in omni Philosophia, Metaphysica, & Geometria, eruditos fuisse, ut ipsi artis militaris systema condere potuissent. Arbitratur itaque, Romanos olim ejusmodi scientiæ militaris systema, quale hoc Opere exponit, a Græcis mutuatos fuisse, quod, omnium intelligentium virorum captui accommodatum, facile a prudentissimo Senatu in usus suos converti, atque singulis casibus applicari, poterat, ubi vel de imperatorum officio, vel de instruendo & gerendo bello, judicandum erat. Nisi enim illius generis systema ad manus ipsis fuisset, non sine gravissima injuria in res gestas imperatorum atque exercitus inquirere, deque illis arbitrari, suscepissent. Prudentissime enim non secundum eventus rerum, vel prosperos, vel infaustos, sententiam ferebant, sed partes ac officia ducum & militum in rebus gestis studiose examinabant, atque ita de ipsis rerum gestarum rationibus secundum æquitatis & justitiæ normam arbitrabantur. Sæpius enim duces severe puniebant, qui, rebus feliciter gestis, contra præscriptas ipsis regulas militaverant; alios vero, qui propter adversam fortunam inferiores acie discesserant, solabantur, atque præmio nonnunquam afficiebant, quod secundum præscriptas leges militares rem gesserint. Aut igitur dicendum est, temere ac injuste patres conscriptos sententiam edixisse, aut fatendum, systema aliquod militare, a Græcis acceptum, ipsos secutos fuisse, ad cujus normam res in bello gestas dijudicabant, & secundum cujus præscripta Consules exercitum in hostes ducebant. De Græcis enim Doctiss. Autor affirmare non dubitat, celeberrimos ipsorum belli duces maximam partem Philosophos metaphysicos fuisse. Certe *Xenophon* Philosophus erat, qui cum *Platone* de rebus metaphysicis acute disputavit. *Epaninondas* præterea, *Miltiades*, alique Græcorum imperato-

res, florentibus tunc in Græcia artibus ac scientiis, laudandos in Metaphysica progressus fecerant. Inter Romanos *Pompeium*, aliosque paucos, qui rempublicam condiderunt, legum & juris peritos, metaphysicos quoque Philosophos fuisse, non inficiatur, sed omnibus patribus conscriptis atque Consulibus, qui ex populi ordine nonnunquam legebantur, metaphysica scientia tribui non posse videtur. Veri simile itaque est, Romanos, sicut leges & civilia instituta a Græcis mutuati erant, Systema quoque artis militaris ab iisdem petiisse. Sententiam suam eo confirmari putat, quod de *Mario Plutarcho* in vita ejus refert, ipsum dicere solitum fuisse, duces Romanos, sui æmulos, artem bellandi ex libris Græcorum hausisse, atque, ipsorum operibus leviter degustatis, se exercitiis regendis pares existimasse, se vero militiam sudando in castris sub armorum pondere ac molestia didicisse. *Ælianus* quidem in Præfatione libri sui *de Tactica*, quem *Hadriano* Imperatori inscripsit, commemorat, Græcos artem, ordines suos militares instruendi, ab *Homero* accepisse, non vero illa rerum mathematicarum scientia instructos fuisse, qua Romani suo tempore pollebant. Suspiciatur vero Cl. Autor, *Ælianum* non optimos scriptores Græcos de ordinanda acie, sed proletarios quosvis, consuluisse, atque contendit, ex ipsa ejus, quamvis iniqua, relatione colligi posse, plures Græcorum libros de arte militari existisse, quibus Romani, tanquam norma, in causis militaribus utebantur, & quos viri inter Romanos consulares studiose legebant, illos, ceu fontes prudentia, bellum ex voto gerendi, suspicientes. Ipsius præterea *Æliani* imperitiam in Geometria sublimi & Arithmetica accusat, quem præterea ineptum fuisse ad iudicium de libris, artem belli gerendi docentibus, & arduis illis disciplinis unice superstruatis, ferendum, contendit. Ipse *Ælianus* non alium sibi propositum habuisse scopum in scriptis videtur, quam ut Græcorum de instruenda & ordinanda acie sententias referret, liberum cuilibet de præstantia aut defectu illorum iudicium relinquens. Ad melius intelligenda *Æliani* scripta, commendat imprimis *Ferrosi* versionem illorum Italicam, atque *Robortelli* Commentarios, &, data hac occasione, multum dolet, optimos
Italorum

Italorum, Seculo XV compositos, libros ita contemtim nostris temporibus haberi, ut rarius, & non nisi in instructissimis Bibliothecis, inveniantur. Hisce præmissis, Cl. Autor de origine pruritus humani, bello alios laceffendi, de artis militaris primis incunabulis, de utilitate theoriæ concinnæ, ex Philosophiæ fontibus derivatæ, & quid praxis illius artis ducem juvet, disserit. Pergit, perfecti herois in bello delineationem ex sanæ Philosophiæ præceptis exhibendo. Necessarium ante omnia judicat, veram heroicæ virtutis ideam menti ejus imprimi. Metaphysicæ vero scientiæ hoc tribuit, quod in animo humano innatum erga alios amorem accendat, & odium turpe in magnanimam adversus vitia iram, atque generosam ferociam, convertat. Metaphysices enim auxilio anima, originem suam & essentiam pervidendi cupida, supra sensus ascendit, atque ita in Deo ipso ortum suum, idearum ac cupiditatum suarum essentiam, contempletur. Felix illud abstractum ratiocinium, quo humana mens in rebus metaphysicis occupatur, in causa est, ut veræ Metaphysicæ principiis innutritus, clare ac distincte percipiat calamitates & tristitiam, quibus miseri mortales afficiuntur, ubi, hostes, a se non offensos, aut provocatos, intra lares suos lascivire, vident. Sentit heros metaphysicus ægritudinem animi hominum innocentium, qui verberibus, tormentis, ac opprobriis, ab effreni hoste vexantur. Ex clara hac ac distincta perceptione doloris alieni nobilis misericordiæ atque mæroris communis sensus nascitur. Anima enim humana, divinæ perfectionis, ut *Plato* docuit, particeps, ab ipso Deo innatum erga alios mortales amorem secum communicatum habet, cujus virtute omnes homines mutuo favore se complecterentur, nisi ignorantia & brutis cupiditatum vitiis abstraherentur. Metaphysicus itaque, cui verus misericordiæ conceptus inest, & qui desiderio, salutem aliorum promovendi, flagrat, videns, alterum immerito vapulare, domum everti, atque omnem rem familiarem turbari, sentit confestim, in se amorem proximi atque communem ex illis calamitatibus mærorem excitari. Homo autem, ab omni scientia destitutus, si præterea animo feroci ac crudeli præditus sit, ubi omnis pietati aditus præclusus est, percutiens alterum,

alterum, atque omnis generis tormentis excrucians, dolores in pectore suo non sentit, quibus proximum exanimat, sed in corpus ejus non secus ac in materiam, animæ profus expertem, grassatur. Si forte non omnis humanitatis sensus in ipso obliteratus sit, misericordia nonnunquam motus, verbera ac damna alteri non infligit, sed tamen oppresso proximo vel nullum fert auxilium, vel importune ita ipsi succurrit, ut reapse noceat. Cum igitur sola Metaphysices scientia humanum doloris alieni sensum in nobis excitare possit; fontes virtutis in ista disciplina quærere, par est. Præterea ex Metaphysica inprimis luculenta illa virtus scaturit, ut homo se ipsum pernoscat, unde omnis generis pietas, humanitas, atque misericordia, sponte fluunt. Oritur porro ex Metaphysica generosa ira, quæ heroibus singularis est, ut omni vitio atque scelestis hominibus vehementer indignentur. Metaphysicus enim, in ipso Deo pulchritudinem ac honestatem veritatis ac justitiæ intuitus, utramque impense amat. Videns itaque, honestatem opprimi, atque ab hominibus, omni scelere inquinatis, pedibus per ignorantia atque virtutis contemptum conculcari, graviter, non secus ac par est, commovetur. Sic veri heroes arma ad pugandum adversus barbarorum exercitus capiunt, & generoso zelo in hostes grassantur, qui non aliis, quam brutorum animalium, legibus vivunt. Detumescit tamen statim heroum ira, simul ac depravati populi, positis armis, pacem petunt, eamque, promissa humanarum atque salubrium legum reverentia, accipiunt. Tales *Herculis* labores erant. qui monstra, sive principum nomine indignos sui temporis tyrannos, extirpabat. Eadem generosa ira *Achilles* flagrabat, quam vividis coloribus *Torquatus Tassus* in Dramate suo immortalis depinxit. Nobili hac ira accensus *Timoleon*, ad debellandum tyrannos, qui patrum Siciliae regnum oppresserant, arma capiebat, nec germano fratri parcens, sua dextra illum obruncabat, cum, patriæ libertati ipsum insidias struere, deprehendisset. Alia luculenta honestæ ac heroicæ iræ exempla a Romanis mutuatur Doctiss. Auctor, qui clementes ac benevolos se populis devictis præbebant, modo pacem colere, ac honestis in posteruum legibus se submittere,

tere, non recusarent, barbaros vero, atque justitiam & humanitatem contemnentes, excidebant. Locum hic sibi datum esse, Cl. Autor existimat, veram fortitudinem heroicam ab audacia & impetu efferatorum hominum accurate distinguendi. Barbari enim ac feri homines, sicut animalia bruta, in inermes atque miseros lascivunt, animum vero statim abjiciunt, ubi fortes viros sibi resistentes inveniant. Audacem itaque & intrepidum animum nonnunquam in prælio mentiuntur, ubi non cogitantes, aut pugnae discrimen non respicientes, in pericula ruunt, ut mortem horrere non videantur, quia abstractam mortis ideam animo præsentem non habent. Simul ac vero casu aliquo fortuito mortis horrorem animo concipiunt, incredibili timore perculsi fugiunt, nec precibus, nec minis, ad ordines & signa revocari se patiuntur. Ab omni enim ratiocinio destituti, atque brutorum instar solo instinctu naturali impulsii, rationis virtute motus animi compescere, aut timorem, quem confusa imaginatio incutit, refrænare, nesciunt. Selectis exemplis argumentum hoc Cl. Autor, imprimis ex *Torquato Tasso* desumptis, uberius illustrat, quæ vero nobis repetere non licet, cum nostro instituto fecisse satis nobis videamur, allatis nonnullis specimenibus rationum, quibus evincere Autor satagit, perfectum belli ducem in metaphysicis scientiis imprimis versatum esse debere, quod insolitum forte aliis videbitur. Sequentibus *Capitulis* de essentia artis belligerandi commentatur, & quæ incrementa illa ceperit, inventis varii generis armis atque urbium munimentis, demonstrat. Pergit inquirendo in originem facultatis atque cupiditatis humanæ, diversi generis arma inveniendi, quibus mortales vel se tentur, vel aliis damnum inferunt, & quæ arma utrique huic scopo maxime accommodata sint, examinat. Describit porro, qua ratione olim Græci & Romani diverso armorum usu afflictis sæpe rebus suis consulerint, & qua providentia milites varii generis armis gerendis maxime idoneos selegerint. Universum deinde ambitum complexæ exercitus ideæ, quam humanus intellectus formare sibi potest, succincte describit, atque huic fundamento accuratam perfecti ducis copiarum delineationem ex mente sua superstruit,

struit, cui rursus necessitatem intelligendi theoriam artis bellum gerendi, in Metaphysica fundatam, inculcat. *Octavo* denique *Capite* regulas omnes complectitur, quas doctrina moralis, œconomica, & ipsa rei militaris scientia civilis, suppeditat, sine quorum usu heroem, aut perfectum imperatorem, aliquem esse posse, negat.

Sed ad alteram Operis hujus Partem pergendam nobis est, quam miliciam exercentibus eo magis gratam fore præsumimus, quod Cl. Autor in ea mentem suam de ipsis partibus artis militaris, *Tactica*, *Polioretica*, castrorum metatione, aliisque negotiis, in bello accidentibus, perspicue ac copiose explicat. Græcos & Romanos inter omnes populos perfectissimam belli gerendi normam suppeditasse, contendit, adeoque alteram hanc Partem auspiciatur commentario aliquo in *Æliani* libros superstites de *Tactica Græcorum*. Ad Romanos postea pergit, atque illa imprimis sub examen revocat, quæ *Vegetius*, *Polybius*, *Julius Cæsar*, aliique, de militia ipsorum memoriæ prodiderunt. Propius inde ad nostrorum temporum *Tacticam* accedit, summæque sententiam imprimis de illis præceptis, quæ celeberrimus imperator *Montecuculi* in commentarios suos retulit, edicit. Hac occasione accurato vividoque examini subjicit, quæ doctissimus *Folardus* de cohorte, a se inventa, quam columnam vocat, verbis magnificis prædicavit. Demonstrare se posse confidit, quod *Folardus* suam illam columnam a phalange Græcorum mutuatus sit, & phalangem cum cohorte imperite ac frivole confuderit. Denique a se inventum novum *Tactica* genus proponit, quod secundum usu probatas, a Græcis relictas, regulas se adornasse asserit, & quod nostris quoque temporibus vel in univèrsum, vel ex parte, feliciter adhiberi posse confidit. Verètur quidem, ne viri militares, ab omni theoria destituti, & praxin semper crepare soliti, suis quoque inventis ex ea imprimis ratione oblocuturi sint, quod ipse, theoriam in museo excludens, bellum nunquam expertus sit. Adversus illos vero Philosophiam, Geometriam, atque Arithmeticam, in aciem se educaturum, illarumque auxilio demonstraturum esse, minatur, quam prudenter & caute Græci ordines suos instruxerint, ut regulas illorum

illorum temere proferre non liceat, etiamsi in ipsa praxi ex omni parte exacte semper observari nequeant. Exercitum illi perfectissimum atque omnibus numeris absolutum concipiebant, neque aliquid hac in re peccabant, licet circumstantiarum varietas interdum ab ipsis regulis nonnihil discedere jubeat. Qui perfectam rei ideam menti suæ non repræsentat, facile, quid in illa imperfectum sit, haud pervidet, neque adeo errores perspicere potest, quos forte in excogitatis a se novis rebus committit. Non ex alia ratione homines, præjudicatæ opinionis pleni, opera sua tanquam perfectissima suspiciunt, quam quia perfectum artis, quam exercent, exemplar in mente sua non formarunt. Illis, qui Geometriam, cujus auxilio *Ælianum* explicare Noster instituit, nausent, prætexentes, quod alii multi mentem *Æliani* absque Geometriæ præsidio assecuti sint, respondet, expertum se esse, Græcos ordinum suorum institutionem ex scientiæ illius fontibus hausisse, adeoque absque illius subsidiis libros illorum vix ac ne vix quidem posse intelligi. Solatur tamen eos, qui Geometriæ propterea imprimis indignantur, quod nulla ejus notitia imbuti sint, hoc imprimis, quod in explicando *Æliano* non nisi prima Geometriæ elementa supponat ipse, & præterea vix aliquid ex scientiâ ista promat, quod per Arithmeticam & numeros non statim illustret. Neque adversariis suis, qui praxin semper incongrue ostentant, concedit, ordinem militarem, a se inventum, atque Græcorum regulis inædificatum, nostris temporibus in usum deduci non posse, nec nisi in cerebro auctoris existere. Non inficiatur, inventa sua promiscue passim absque circumstantiarum respectu adhiberi non posse, sed, aliam causam non esse, contendit, quam disciplinæ militaris, quæ inter Græcos & Romanos olim viguit, hac nostra ætate neglectum. Si princeps aliquis Philosophus meliorem educandæ in patriæ spem juventutis normam præscriberet, ac prisca ætatis disciplinam & eruditionem revocaret, ingentem spem concipit, fore, ut brevi tempore ejusmodi exercitus conscribi possit, qualem olim Græci ac Romani in hostes educebant, licet hac ætate inventis armis igniariis ars bellicandi valde immutata sit. Cum itaque Græcorum ordines mi-

litares perfectissimos fuisse, Cl. Autor sibi persuadeat, quomodo secundum Geometriæ & Arithmeticæ præcepta illos instituerint, porro demonstrat. Prudenter Græci Phalangi suæ numerum militum 16384 tribuebant. Est enim numerus hic terminus aliquis seriei geometricæ, quæ, ab unitate incipiens, semper in ratione dupla progreditur. Nascuntur igitur ex illo alii numeri, qui, bifariam divisi, quatuor producunt parallelogramma, quorum eadem est altitudo. Et, cum præterea ex serie ista numeri pares & impares alternatim excerpti possint, facile ipsis erat, secundum progressionis hujus normam equitum quoque turmas formare, nec necesse erat, ut negotium cum numeris irrationalibus haberent. Ad formandos tamen equitum ordines progressionem arithmeticam, ab unitate incipientem, in qua differentia terminorum semper est binarius, seligebant. Summa enim terminorum quotlibet progressionis constituunt seriem quadratorum numerorum naturalium, quorum adeo radices semper rationales sunt. Prudentissime itaque Græci ex infinitis numero seriebus illas selegerunt, quarum terminos ita subdividere poterant, ut nunquam miles superfluus extraordinem reliquus esset. Secundum illas numerorum rationes Phalanx Græcorum in fronte habebat 1024 milites, ejusque altitudo, sive numerus linearum, erat 16. Quia $1024 \times 16 = 16384$. Si frons bifariam dividatur, servata semper eadem altitudine, quatuor inde nascuntur parallelogramma. Nam $512 \times 16 = 8192$, atque porro

$$256 \times 16 = 4096$$


$$128 \times 16 = 2048$$

$$64 \times 16 = 1024$$


$$32 \times 16 = 512.$$

Hos inter numeros 32 erat dilochia Græcorum, & 16 ipsorum decuria. Positis his principiis, Cl. Autor ex diversis harum serierum proprietatibus ordines atque evolutiones militares tum cohortium, tum turmarum, eleganter illustrat, atque plura aciei genera, inter veteres Romanos & Græcos usu recepta, figuris, æri nitide incisis, obtutui lectorum exhibet. Comparat porro inter se Romanorum & Græcorum in ordinanda acie regu-

regulas, atque demonstrat, Romanos maximam partem institutionum suarum militarium a Græcis mutuatos. Hoc loco nonnihil a proposito digreditur, ostendens, quam utile sit, antiquorum libros mente philosophica & metaphysica perlegere, & quam multa homo sagax in hodiernos usus ex fontibus illis derivare possit, modo priscorum scripta assidue meditetur. Confirmat hoc exemplo fortissimi imperatoris *Montecuculi*, cujus de arte bellum gerendi commentarios reliquis omnibus illius generis scriptis longe præfert, ipsum vestigia antiquorum accuratissime atque prudentissime secutum esse, judicans. Compendium itaque horum commentariorum suo huic Operi inserit, atque errores nonnullos deprecatur, in quos fortissimus hic dux copiarum incidisse videtur. Cum enim adversus Turcas sæpissime præliatus fuerit, quorum maximum robur in equitatu est, in suo quoque exercitu cum 24000 pedibus 16000 equites contra stabilitam olim proportionem scribi jubebat. Et, cum Turcæ igniarum arma valde metuant, illum quoque tormentorum ac balistarum numerum præcepit, qui oneri potius ac impedimento, quam usui, in exercitu esse poterat. *Montecuculi* tamen systema Noster propositæ nostris temporibus a Celeb. Equite *Folardo* cohorti, de qua tantis animorum motibus disputatum est, longe præfert. Duris admodum verbis in virum hunc invehitur, atque gravissima passim accusatione ipsum objurgat, quod nostrum non facimus, nec horum quidquam, ex *Athorum* instituto, repetere nobis licet. Conjicit ex alata ab ipso in medium cohorte militari, ipsum militem saltem, ut ajunt, practicum esse, qui, auxilium ferente *P. Vincent. Thuidlerio*, Benedictino, visis in *Polybio*, *Aliano*, & *Vegutio*, Græcorum & Romanorum ordinibus, sibi persuaserit, se quoque in arte militari nova quædam proferre, atque nostris temporibus accommodatam Tacticam excogitare posse. Non tamen ipsum in se descendisse, ut pervideret, se, ab omni Philosophiæ & Geometriæ notitia destitutum, antiquorum de ordinanda acie institutiones intelligere non posse. Pluribus argumentis accusationem hanc confirmaturus, inter alia *Folardo* exprobrat, quod cohortem suam, sive, ut vocavit, columnam, subdole ex *Aliano* sumserit,



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1743

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 613 L 4⁰

rit. neque satis habuerit perspicacia ad videndum, illam a Phalange Græcorum haud differre, si *Ælianus* satis intellexisset, ut non mutilatam, sed integram, ab eo accepisset. Evincere satagit, adversarium maligne ac invidie Phalangem Græcorum ad incrustandam fraudem distortisse, ita ut proposita a *Folardo* *Tactica* nec antiquis temporibus accommodata sit, nec nostris inservire queat. Ipsum vero *Tacticos* Scriptores antiquos, quos legit, propterea non intellexisse, quia in *Arithmetica* & *Geometria* plane non versatus, & veræ artis ratiocinandi adeo imperitus sit, ut turpiter sæpe sibi ipse contradixerit. Fundamenti loco *Folardus* ponit, quod cohors sua, secundum parallelogrammi formam instructa, ut parum frontis, ita multum profunditatis, habeat, etiam si debilior sit, necessario tamen cohortem fortio-riorem, secundum nostri temporis usum ordinatam, quæ admodum lata, sed parum profunda, sit, impetu in hanc facta proster-
 nat. Regulam hanc de minuenda latitudine, atque augenda altitudine cohortis, ex *Æliano* & *Polybio* assumptam, omni exceptione majorem esse, non inficiatur Cl. Autor, sed, generaliter ita enuntiatam, cuilibet casui indiscriminatim applicari non posse, contendit. Ratio enim imprimis habenda est numeri militum, qui pro diversitate armorum, aliarumque circumstantiarum, vel in fronte, vel in lateribus, cohortis illius collocari possunt. Debebat igitur omnino *Folardus* numerum militum, quos in fronte & altitudine cohortis suæ disponit, accurate determinare, ut dijudicari satis posset, an partes, quas cohorti tribuit, respectu armorum, nostro tempore usitatorum, ea proportione inter se ordinatæ sint, ut acies, secundum receptas nostro tempore regulas instructa, illa necessario inferior sit. Sed, provide de numeris illis *Folardus* siluisse, Cl. Autor conqueritur, aut passim incertos numeros suppeditasse, ut caliginem aliorum oculis induceret, ne perviderent, ipsum tantopere prædicatam cohortem suam *Æliano* surripuisse. Ipsum singulis *Capitibus* magnificis atque sesquipedalibus verbis ineffabilem præstantiam cohortis suæ crepare, sed nullam plane solidis argumentis evincere posse. Non enim solum ipsum, phalangem veterum corrumpendo, suam columnam incongrue effin-

effinxisse, sed quoque desumptam præpostere a cuneo Græcorum & Romanorum pugnandi rationem illi temere præscripsisse. Qui vero pugnandi modus sic, ut a *Folardo* præscribitur, nec antiquorum Tacticæ convenit, nec in acie, secundum ordinandi leges, hodie receptas, instructa, adhiberi potest. Ne injuriam *Folardo* facere videatur, rationes atque leges cohortis, ab ipso propositæ, uberius exponit, & imprimis ipsi exprobrat, quod auream antiquorum regulam, ne in cohorte vel locus a militibus vacuus, vel superfluis extra ordines miles, sit, temere neglexerit, ab insulso prætextu excusationem petens, quod numeros integros scrupulose sectari noluerit. Argumentum, quo *Folardus* præstantiam cohortis suæ extollit, quod hostium legionibus minus semper latus obvertat, & propterea igniariis illarum armis minus pateat, frivolum esse judicat, cum ira facile cohors *Folardi* circumveniri possit. Recentiorum Tacticam, in quam *Folardus* tela sua omnia vibrat, suam cohortem illi perpetuo opponens, Cl. Autor non quidem in omnibus probat, aut defendendam ex omni parte suscipit, cum, se ipsum gravissimos ejus nævos demonstrare posse, fateatur; sed, tantum abesse, contendit, ut *Folardus* inventis suis recentiorem Tacticam corrigat, atque nævis ejus medeat, ut instructa ab eo cohors longe gravioribus vitiis laboret. Nimis longum foret, omnia excerpere, quæ in adversarii cohorte reprehendit, quem suo passim gladio jugulat, continuas contradictiones, tergiver-
sationes, & illiberalem jactantiam, ipsi objiciens. Si fides Cl. Autori habenda est, *Folardus* ipse fatetur, cohortem suam sustinendis majoris sclopetis aliisque armis igniariis parem non esse; ipsam secundum veterum instituta pugnam inire non posse, ut posterior miles semper in locum prostrati succedat; & soli ingenio Gallorum servido, stricto gladio in hostes irruentium, accommodatam esse, quæ aliis diligentius excutienda relinquimus. Magnam omnium expectationem esse, prævidemus, an Cl. Autor suis inventis omnes illos nævos sustulerit, defectibus medelam adhibuerit, atque creber-
rimis virorum militarium votis exoptatam cohortem invictam instruxerit. Suas de hoc argumento meditationes *Capite octavo*
propo-

proponit, postquam de legendo exercitu, virtute & educatione militis, de natura cohortis peditum, & turma equitum, copiose commentatus est. Monet, se ideam perfecti exercitus non eo consilio determinasse, ut imperatori pro ratione circumstantiarum non liceret vel latum unguem a regulis præscriptis discedere, sed ut normam haberet, quam nunquam non respiciens, aciem, quantum fieri potest, accurate ac prudenter instruat. Requirit in perfecto suo exercitu numerum militum 42000, supponens, duces rationes ac proportionales legionum ac cohortium, a se indicatas, secururum esse, si exercitus vel copiosior, vel minor numero, fuerit. Præcipit, ut sint in exercitu suo quatuordecim legiones peditum, & cum ante in qualibet legione secundum veterum instituta 2048 milites esse iusserit, numerus peditum in exercitu ejus est 28672. Quinque ex legionibus pedestribus vult hasta armatas, atque sclopetarios galea & thorace ferreis indutos esse. In reliquis novem legionibus hastatis quoque galeam & thoracem tribuit, sed sclopetarios, more nostris temporibus solito, armari ac vestiri concedit. In novem tamen his legionibus dimidiam sclopetariorum partem granatis, ut vocant, simul armatos esse jubet. Velites in universo exercitu 1792 esse statuit, cum in quavis legione 128, vel in quavis cohorte 32, velites scribat, ut adeo numerus peditum in toto exercitu sit 36464. Requirit præterea 10000 equites, qui secundum diserta *Æliani* præcepta quartam partem aciei pedestris proxime constituunt. Equitum turmae sunt quinquaginta, quarum singulae secundum Græcorum instituta, ab *Æliano* exposita, quadraginta novem equitibus continent, qui in univsum numerum 2450 componunt. Omnes gladio prælongo atque sclopetis minoribus armati, quia ipsorum officium est, hostium turmas passim celeriter circumequitare, eosque ex improvise a latere aut tergo aggredi. Majora sclopeti gravioris armaturæ equitibus rarius usui sunt, cum ignariis hostium armis non multum exponantur, ubi stricto gladio in latus hostium impetum faciunt, ipsosque vel sclopeto minori, vel gladio, certis ictibus prosternunt. In universo exercitu secundum *Æliani* præcepta viginti quatuor equitum levis armaturæ

turæ turmas scribit, quarum singulæ sexaginta quatuor militibus constant, quibus eadem, quæ velitis, arma ministrat. Præterea equites gravis armaturæ in exercitu universo cum dimachis 6014 præscribit, quos secundum instituta militaria, nostris temporibus recepta, vestiri atque armari jubet. Turma levis armaturæ ex quinque cohortibus componitur, sicut legio equestris decem turmis constat, in qua igitur 490 equites militant. Singulis turmis, ut *Ælianus* præcipit, præsit centurio, locum tenens, & qui locum tenenti ideo maxime succenturiatus est, ut latus turmæ tueatur. Sic igitur exercitus universus, secundum Cl. Autoris mentem instructus, 40450 militibus constabit, quibus si duces, tribuni, centuriones, rei tormentariæ præfeci, chirurgi, curandis comitatibus conducti, lixæ, alique, inter impedimenta servientes, addantur, numerus, ante ab Autore requisitus, 42000 quam proxime prodibit. Requirit autem præterea legionem singularem, custodiendis impedimentis destinatam. Ubi exercitus ille in campo, aut prælio, militat, non supra viginti bombardas illi tribuit, quia, majorem illarum numerum oneri magis, quam emolumento, in exercitu futurum esse, arbitratur, alio vero loco copiosius de justo bombardarum ac tormentorum in obsidione urbium numero sententiam suam proponit. Præscriptum illum copiarum numerum summis Principibus ac Regibus in gerendo bello sufficere, & rationibus, & exemplis, *Alexandri* imprimis, hoc numero Asiam universam subjugantis, demonstrat, imo, evinci posse, confidit, orbem terrarum illis copiis superari posse, si eadem inter illas disciplina militaris exacte vigeat, quam in *Alexandri* exercitu *Frontinus* multis laudibus extollit. Si major militum numerus alatur, ostendit, provinciam gravissimo sub onere ingemiscere, aliasque molestias, inde nascentes, diserte repræsentat. Reliquum itaque est, ut ipsum aciei ordinem, quem Cl. Autor invenit, ac præcipit, perspicue exponamus. Supponit, lineam C. D. primam lineam esse aciei, in cujus parte A. B. collocat quinque legiones levis armaturæ peditum, inter quos hastati thorace & galea armati, selopetarii vero, quorum dimidia pars granatas, ut vocant, evibrat, thorace induti non sunt. A latere

TAB. VI
Fig. 1.

O o o o

cujus-

cuiusvis cohortis manipulum, in quo 49 equites militant, ita statuit, ut cohortes octo a se invicem passuum intervallo, turmae vero viginti passibus a cohortibus proximis, distent. Sic in linea A & B viginti peditum cohortes, atque decem equitum turmae, dispositae sunt. Liberum tamen duci relinquit, intervalla haec, occasione ita iubente, nonnihil immutare. In singulis lineis B. D. & A. C. quae primae lineae alas constituunt, equites ac dimachos, ac ante ipsos viginti tormenta, collocat. Ad formandam alteram lineam G. H. quam a prima C. D. 300 passuum intervallo removeret, quinque illas peditum legiones in linea E. F. disponit, in quibus & hastatos & sclopetarios galea & thorace ferreis armavit. In qualibet vero alarum E. P. & F. H. 1500 velites constituit, ut hac ratione gravis armaturae milites universam lineam secundam occupent. Intervallum vero 300 passuum inter utramque lineam, celeberrimum imperatorem *Montecuculi* secutus, praecipit, ne altera linea facile ab hoste circumveniri possit, si prima forte prostrata fuerit. Multum enim via ita hosti, tergum lineae alterius petenti, emetiendum foret, quod sine perturbatione ordinum ipsius vix fieri potest. Latera porro aciei ita ordinat, ut parallelogramma I. L. R & M. N. O. viginti circiter passuum intervallo a lineis D. H. & C. G. ita constituat, ut a quavis linearum C. D. & G. H. centum quinquaginta passibus distent. In quovis horum parallelogrammorum duas peditum levioris armaturae legiones collocat. Sic in singulis parallelogrammis, quae latera aciei constituunt, 4096 pedites ac 1220 equites pugnant. Liberum vero duci, aciem instruenti, relinquit, quo in loco velites, ubi opera ipsorum inprimis requiritur, praestari velit. Collocari enim possunt inter cohortium, in prima linea pugnantium, intervalla, ut sclopetarios hostium ac equites facilius aggredi possint, vel intra lineas C. G. & L. a atque D. H. & M. b. in spatio inter alas ac latera vacua, vel ante ipsam lineam C. D. ut in hostium praefectos rei tormentaria, postquam explosa sunt tormenta, repente impetum faciant. Impedimentis denique post aciem in parallelogrammo S. locum Cl. Autor tribuit, ut ab hostium irruptione magis tuta sint. Ipsum parallelogrammum S. interna fossa

fossa cingi, atque legionem vel 1000 vel 1020 militum præfidiariorum defendi, jubet, ne milites, in ordinibus pugnantes, præda allecti, ipsos ordines ad diripienda suorum impedimenta deferant. Hanc, a se secundum veterum mentem instructam, aciem vehementer Cl. Autor commendat, atque ordinibus, quos vel *Folardus*, vel alii, excogitarunt, longe præfert, multiplicem ejus usum & præstantiam pluribus argumentis ac exemplis demonstrans, quibus, postquam diu satis in enarrando hoc Opere occupati fuimus, immorari non licet.

PROBLEMA, AD QUOD EVOLVENDUM
Geometræ invitantur.

Cum solutione difficiliorum Problematum maxima incrementa Analyfi accesserunt, tum vero imprimis ipsa Problematum propositio plurimum profuisse videtur; cujus rei hæc ipsa *Acta* luculentissima testimonia nobis suppeditant. Quæ utilissima consuetudo cum jam ab aliquo tempore cessaverit; ad eam instaurandam sequens Problema propono, quod fortasse non indignum judicabitur, in quo Geometræ vires suas exerceant, finesque Analyticos promoveant. Notum est, ellipti eam proprietatem, quæ in hodierna Astronomia maxime spectatur, vero tantum proxime convenire, scilicet ut anguli, ad alterum focum formati, proportionales sint arcibus, quæ per lineas, ad alterum focum ductas, abscinduntur. Hæc igitur proprietas cum in ellipti locum non habeat, ejusmodi aliæ lineæ curvæ desiderantur, in quas memorata proprietas competat. Unde sequens enatum est Problema:

Datis duobus punctis E & F, invenire curvam A M N B TAB. VI
hujus indolis, ut, ductis ex binis quibusque curvæ punctis M Fig. 2.
& N rectis ME, NE, MF, NF, ad utrumque punctum datum E & F, sit perpetuo area M E N proportionalis angulo M F N.

Quodsi ergo in perimetro hujus curvæ moveatur corpus, sollicitatum a vi centripeta, ad centrum virium E tendente, tum hujus corporis motus spectatori in altero puncto F posito uniformis videbitur. Quanquam autem ex hujus Problematis solutione

lutione parum utilitatis ad Astronomiam redundat; tamen ipsum Problema in se est notatu maxime dignum, neque ullum est dubium, quin eos, qui hanc solutionem suscipient, laboris impensæ non debeat poenitere. Quo autem vis hujus quæstionis clarius eluceat, tantum indicasse juvabit, dari innumerabiles curvas satisfaciennes, inter quas sint primo algebraicæ numero infinitæ, ex quovis scilicet linearum ordine una; tum vero sunt quoque infinitæ, quarum constructio per quadraturam circuli effici queat. Præterea verò quæstionem resolvit infinita aliarum curvarum multitudo, quarum constructio nulla adhuc usitata methodo exhiberi potest. Rogantur itaque omnium ordinum Geometræ, ut hanc quæstionem attentione dignari, suasque meditationes in scientiæ augmentum cum publico communicare, velint.

ESSAIS ANATOMIQUES, CONTENANT L' HISTOIRE
exacte de toutes les parties, qui composent le corps de
l'homme, avec la maniere de dissequer, &c.

id est,

*EXERCITATIONES ANATOMICÆ, QUÆ AC-
curatam omnium partium humani corporis historiam
tradunt, cum methodo secandi, Autore Domino LIEU-
TAUD, Consiliario Regio, Professore Medicinæ in
Academia, quæ Aquis Sextiis est, & Societatis
Scientiarum Regiæ Londinensis Socio.*

Parisii, apud Petrum Michaellem Huart, 1742, 8 maj.

Alph. 2, cum Tab. xn. 6.

Corpus humanum machinam maxime compositam sistit, cu-
jus intimior cognitio novas semper disquisitiones requirit.
In hac Cel. Autor a viginti abhinc annis incubuit, nec semper
consuetas dissecandi methodos secutus est, sed sæpius nova, aliis
non tentata, via evolutionem partium corporis humani suscepit.
Non inutile innovandi studium eum impulit, sed accurata, &
ab

ab omni præjudicio libera, attentione ad considerationem partium se convertit, & ita nonnulla, quæ ad mechanisimum corporis spectant, feliciter evolvere tentavit. Ne vero quis de iis, quæ vel nova, vel ab aliis Anatomicis diversa, proposuit, dubitet, methodum secandi apposuit, & ita anatomen egregie declaravit. Dedit certe in plurimis accuratas partium descriptiones, quæ, cum tirones anatomicos in cognoscenda partium corporis humani fabrica instruere debent, proposito satisfaciunt, licet nonnunquam breviores sint, & multa momenta, ad subtilitates anatomicas pertinentia, negligent. Inprimis vero illos, qui studium anatomicum ulterius perficere, & in sectione cadaverum se exercere, cupiunt, hoc Opusculum adjuvat, cum methodi secandi ubique, inprimis in difficilioribus partibus, inveniantur. Ordo totius tractationis hic est. Brevis introductio præmissa nonnullas definitiones anatomicas exhibet; Opus vero ipsum octo *Sectionibus* absolvitur, quarum *prima* sceleti considerationem, & ita osteologiam, ordine alio consueto, exponit, & simul nonnulla de ossium recentium cognitione immisceet. *Secundo* partes, quæ caput componunt, aut ad illud pertinere videntur, describit. Præmissa igitur integumentorum corporis humani historia, oculorum, aurium, nasi, & oris, exteriorum interioreque structuram proponit, & pharyngem, laryngem, aliaque connexa, simul describit. *Tercia* pectus considerat. Mammam igitur & diaphragma primum, postea omnes partes, in cavo thoracis inventas, sigillatim evolvit, & præcipue pulmonum & cordis structuram accuratius describit. *Quarta* abdomen, & ita musculos abdominis, peritonæum, viscera, digestionis, bilis secretionis, urinæ, & excretionis, dicata, perferatur, tandem generationis organa in utroque sexu describit, & fœtus historiam tradit. *Quinta* cerebrum, ejusque partes, medullam spinalem, & nervos, per corpus distributos, proponit. *Sexta* historiam vasorum sanguiferorum, scilicet arteriarum & venarum, nec non lymphaticorum, exhibet. *Septima* musculos, qui in præcedentibus *Sectionibus*, in nexu cum aliis partibus, describi non poterant, recenset. *Octava* tandem situm omnium partium corporis humani

breviter proponit, & ita partes, in præcedentibus *Sectionibus* fusius explicatas, eo ordine, quo se invicem excipiunt, recenset. Appendicis loco duæ Dissertationes annexæ sunt, quarum prima naturam & usum spirituum animalium, altera mechanismum secretionis, proponit. Cum igitur ex ordine proposito idea operis generalis cognoscatur; passim nunc collecta, quæ nobis nova visa fuerunt, indicemus. Vomerem cum ossæ ethmoide conjungit, quod facile concedi poterit, si perpendamus, varia ossa capitis in adultioribus coalescere, quæ in demonstrationibus anatomicis in partes diffinguntur, quo eo commodius describantur. Ossæ carpi aliis nominibus non insignire vult, quam quæ a situ desumuntur. In primo ordine 1) radiale majus, 2) radiale minus, 3) cubitale, 4) pisiforme, appellatur; in secundo ordine 1) pollicem, 2) os metacarpi indicis, 3) medii digiti, 4) duo reliqua ossa metacarpi, sustinet. Sed nomina hæc non conveniunt, cum disjecta ossicula in ordinem sunt redigenda. Rationem, cur inter corpus reticulare & corpus mucosum distinguat, non perspiciamus, cum imperfectam descriptionem addat. In oculo cameram posteriorem, ab omnibus Anatomicis assumtam, negat, uveamque vitreo humori & lenti chrytallinæ contiguam pronuntiat, & præter rationes adductas, ad experientiam iteratam provocat. Musculos nonnullos minoris voluminis, ab Autoribus tamen accurate descriptos, negat, e. g. in aure interna unicum tantum internum concedit, qui *Albino* tensor tympani dicitur, reliquos mallei musculos ligamenta tantum appellat. Stapedis tamen musculum & describit, & enchiresin, qua detegitur, diligenter annotat. Glandulas, in habitu cutis, in tunica pituitaria, & aliis locis, assumtas, in dubium vocat, qua in re licet contrariam sententiam contra Autorem non acriter defendere velimus, tamen nec ex tractatione ipsa, nec ex Dissertatione de mechanismo secretionis, satis evidentes cognovimus rationes, quæ præsentiam glandularum sebacearum in variis corporis locis destruere possent. Præsentiam talium corpusculorum in intestinorum interno habitu morbosum statum indicare, non semper concedi poterit, licet sæpius morbosa constitutio in his glandulis

dulis inveniatur. De usu lienis has profert observationes & meditationes. Sectione multorum cadaverum & animalium viventium didicit, lienis volumen ventriculo respondere, ita, ut in animantibus, post diuturnum morbum & in ediam mortuis, lien magnus, ventriculus vero parvus, inveniatur; in animantibus vero, mox post partum mortuis, lien parvus, ventriculus vero magnus, deprehendatur, quod in canibus quoque iterum iterumque observavit. Situs lienis eundem pressioni ventriculi exponit, ejusque substantia spongiosa facile comprimitur. His igitur premisis, ostendit, impetum cordis copiosum sanguinem ad lienem adducere, qui per vim visceris non omnis expellitur, sed vasa & totum ejusdem habitum extendit; ventriculus ideo, post partum repletus, lienem pro ratione alimentorum, copiosius vel parcius ingestorum, premit, sanguinem, in celluloso contextu lienis stagnantem, & ideo secretioni bilis magis aptum, versus hepar propellit, & bilem copiosorem præbet, quam tum temporis alimenta digerenda requirunt. Conjecturam de usu capsularum atrabiliarum sequentem proponit, quæ quidem naturæ earundem, nec non sicuti & liquoris contento, respondet, & sententiæ convenire videtur, quam *Franciscus de le Boy Sylvius* in Dissertatione medica quinta proposuit. Liqueor, in his capsulis contentus, bili analogus est, acris, penetrans, licet parum amarus. Hunc, per arterias secretum, deficiente ductu excretorio, ventis iterum resorbent, eundemque ad cavam ducunt, in qua sanguis restius lentescens est; hoc igitur liquore accedente resolvitur, & ad ulteriorem progressum aptus redditur. Methodum dissecandi cerebrum elegantissimam invenimus, quam tamen brevi tractatione delineare vix nobis licet. Sufficiat itaque, modum detegendi medullam spinalem brevissimis describere. Pars posterior spinæ dorsæ musculis separatim denudatur, & processus spinosi reliquaque officula auferuntur, ita tamen, ne vasa, his sæpius arte adherentia, lædantur. Duo sinus vertebrales, & reliquæ venarum minimarum conjunctiones, egregie conspiciuntur, quæ cuncta una cum nervorum ortu, elevata nonnihil medulla spinali, in anteriori parte quoque observantur. Consideratis igitur primariis vasorum conjunctionibus,

nibus, cellulofus & pinguis contextus cum vasis omnino removendus est, quo primum involucrum medullæ conſpiciatur. Hoc ſub vertebris dorſi inciditur, & incifio ſurſum deorſumque uſque ad extremitates medullæ continuatur, quo factò, medulla ſpinalis ipſa, nervi, qui utrinque & in fine prodeunt, arteriæ, & venæ ſpinales posteriores, ligamentum dentatum, & principium nervi ſpinalis, ſive acceſſorii *Williſii*, ſine ulteriori diſſectione deteguntur. Icones, in fine annexas, Autor ipſe delineavit, & æri incidit, & licet ornatum artis non præ ſe ferant, tamen nonnulla momenta, in libro declarata, egregie illuſtrant, ita ut inprimis delineationes partium internarum cerebri hanc doctrinam evidentiore reddant, quam aliorum Autorum icones, huc uſque nobiſcum communicata. Nulli dubitamus, hunc libellum Compendiis anatomicis perfectioribus annumerari poſſe, cum & accurata partium deſcriptione, & brevitate, placeat, & in uſus prælectionum & diſſectionum anatomicarum commode adhiberi queat. Cum in nonnullis ab aliis Anatomicis diſſentiat Autor, aliorum quoque diſſenſum in variis doctrinis ægre ferre haud poterit.

**JOSEPHI GABALEONIS COMITIS SAR-
MATORII ad Legem Juliam de Ambitu
Commentario.**

Lipſiæ, typis Bernh. Chriſtoph. Breitkopfii, 1743, 4 maj.

Plag. 9.

Sereniſſimo Principi, *Friderico Chriſtiano*, Principi Regio Poloniarum, & Saxonici Electoratus Hæredi, Domino noſtro optimo clementiſſimoque, Commentationem hanc, apte, ſolide, nitideque, elaboratam, ac ſimul ſplendidiffimæ formis deſcriptam, devovit ac conſecravit Illuſtriſſ. Comes *Sarmatorius*. *Capitibus ſeptem* integra comprehenditur tractatio. *Primo*, præmiſſa iſagoge, diſſeritur de ambitu apud Romanos ortu & cauſis. *Secundo* de ſignificatione ambitus, deque differentiâ licitum inter minusque licitum ambitum, exponitur. *Tertium* legitimos ambiendi modos præſentat. *Quartum* inſcribitur de ambitu minus

minus justo, seu crimine ambitus, variisque ejus modis. *Quinto* de remediis adversus ambitum, & de legibus, ad coercendum ambitum latius ante Legem Juliam, disputatur. *Sexto* egit Illustriss. Autor de latione legis Juliae de Ambitu. *Septimo* tandem edisseruit capita & durationem legis Juliae. Jam ad singularia est descendendum. Isagoge docet exhibetque malorum in republica fontes, praecipue avaritiam mortalium & ambitionem, quibus reprimendis Lex Julia ab *Augusto* Imperatore fuit opposita, quae aliquoties a juris antiqui architectis excitatur. *Romulus* ipse in causa existit, ut Patricii, quibus initio solis gerere magistratus datum erat, nullo magistratu potiri possent, nisi cui favorior plebs eum detulisset. Cum, exactis ex urbe Regibus, ipsa rei Romanae summa ita temperata esset, ut plebs crearet magistratus, Patresque fierent auctores, tum eis, quotquot ad rempublicam capellendam adspirabant, opus fuit, turbam Quiritium mobilium omnibus artibus sibi devincire. Ipsae Leges Tabellariae, quibus plebs suffragia tacite ferendi jus nata est, ambitum, si non auxere, ac aluerunt maxime, licet *Cicero de Legibus III, 17*, scribat, eas ambitiosis oppositas fuisse. Certe multo ante, quam comitorum tempus ingruerat, omnem lapidem moveri oportuit, ut popularis aura captaretur. Nihil tamen prestandi morem magis necessarium reddidisse videtur, quam constitutionis illae, quibus cum Latio & Italia civitas communicata est. Quo majori enim tum accessione crevit civium numerus, eo plurimum pelliciendorum, sibi que adjungendorum, onere premebantur candidati. *Julius Caesar* jus comitorum paululum imminuit. *Augustus* illud reduxit, & cum magistratus crearentur, non modo cum candidatis suis tribus circumvit, ac solenni more supplicavit, sed ipse quoque in tribu, ut unus e populo, tulit suffragium, *Suctonio* tradente *Cap. 40, 56*. *Tiberius* jus, plebi a patre in speciem relictum, abstulit. *Caligula* populo reddere tentavit suffragia, nihil vero perfecit. *Juvenalis* certe ante jam pridem populus suffragia vendere desierat. Quantopere Romani ante *Augusti* imperium ambitum amaverint, dici vix potest. Amarunt hunc vero necessitate sic ferente, nec tamen ejus onus probarunt. *Ambitus*

Pag. 6.

8.

11.

- Pag. 14. *bitus* proprie est *circuitus*. Inde illi, qui populum in petitione magistratuum circuibant supplices, *ambire* dicti. *Ambitionem* dixerunt scriptores tersi castique legitimam petendi magistratus rationem, per *ambitum* vero immodicam minusque licitam prelationem intellexerunt. Pars ambitus fuit prelatio manuum, Græcis *de Ziwovis* appellata æque ac *Depernesia*. Aliud ambiendi genus fuit semper approbatum, aliud pravis artibus exerceri solebat. Dum Illustriss. Autor de legitimis ambiendi modis doctissime differit, simul commentatione locum *Cicronis de Petit. Consul. Cap. 5* perfundit. Tum vero de ambitus crimine, variisque illius modis, differit. *Cicronis Oratio pro Plancio* tota de ambitus crimine agit. Ad modos illos referas licet largitiones veritas. Divisores & diribitores Ill. Autor dignoscit, ceterasque ambientium artes suspectas, atroque carbone notatas, recenset. Repressum fuisse ambitus crimen legibus jam ante *Augustum*, idem ostendit. Nam A. U. C. 321 lata a Tribunis plebis est lex, quæ ad ambitionem spectavit, de albo vestibus petitionis causa non addendo. Addit Illustriss. Comes leges, seu potius prohibitiones, alias. Hinc ad legem progreditur Juliam, commentatus copiose de rationibus & modis, cur & quibus ea fuit perlata, duas constitutiones complexa. Fit ejus mentio *I. de Publ. Judic. §. 11*. Exstant præterea in *Pandectis* pariter atque in utroque *Codice, Justiniano & Theodosiano*, integri Tituli ad legem Juliam de ambitu, qui inde in *Basilica* translati sunt. Ex *Julii Pauli* quoque *Sententiis receptis* conservatus fuit Titulus *ad Legem Juliam Ambitus Lib. V Tit. 30*. Finis hujus legis Juliae erat, ut crimen ambitus coereretur. Ex capitibus ejus, fortasse compluribus, tria Ill. Autor sibi vilis fuit eruisse. Primum est: *ut illi, qui largitionibus magistratus ambiissent, quinquennium ab eis arcerentur*. Secundum: *ut, qui petitari essent magistratum, certam pecunie summam pignoris loco antea darent, quam amitterent, si in petendo denuo quidquam largiti fuissent*. Tertium: *ut illa lege damnatus, si alium convicerit, in integrum restituatur, nec tamen pecuniam recipiat*. Senatusconsulti ad Legem Juliam meminit *Modestinus*. Sed, quando factum sit, vel ad cujus relationem, non constat.

constat. Duarum partium ad nos pervenit memoria; una continuit dispositionem de magistratuum & sacerdotiorum provincialium petitione instituenda; altera complexa fuit novorum vectigalium in municipiis institutionem. Poena Legis Juliae de ambitu fuisse videtur *deportatio*. Mirandum omnino est, *Tiberio* imperante jam legem illam oblivione, vel potius contemptu, fuisse contritam. *Tiberius* ipse de eo fuit conquestus, teste *Tacito Annal. III, 54*. Addit Illustriss. Autor edicta & leges, adversus ambitum post *Augusti* ætatem latas. Nos vero adjungimus nihil, nisi gratulationem de specimine doctrinae prorsus egregiae, e Jurisprudentia Romana decerpto, nec eleganter minus, quam solide, tractato, & appreciationem multijugæ faustitatis, quam Deus Illustriss. Autori impertire dignetur. Cernimus enim jam animo, ac certi pæne sumus, tantum tamque venustum & accuratum Scriptorem literas in posterum maximi facturum, & luculentissime ornaturum.

Pag. 57.

60.

D. JACOBI HENRICI BORN DE COMMUNIONE peregrina, veteri Clericorum Censura, Commentatio.

Lipsiæ, ex officina Langenhemiana, 1742, 4.

Plag. 8½.

Ecclēsia olim duplicis generis pœnas ordinavit. Aliæ uni-
verso Christianorum cœtui fuerunt communes; aliæ fuerunt ordini Clericorum reservatæ. Ad illas referenda est segregatio a cœtu reliquo, cujus *Tertullianus Apologet. Cap. 38* jam meminit, interdictum, pœnitentia publica, multa, exilium, ablegatio in monasterium, carena, carcer perpetuus & temporalis. Ad hæc, pro temporum diversitate diversas, spectant suspensio, & amotio. Inter suspensionis species *peregrina communio* numeratur. Hujus licet nomen in omnium Canonici Juris doctorum ore ac voluminibus versetur, in doles tamen ac ratio adeo est recondita, ut nemo adhuc certi quidquam potuerit in medium asserre. Operæ idcirco pretium fecit Celeberrimus & in Lipsiæ nostræ ornamentis numerandus Autor, quod ad notionem de peregrina communione recte formandam, & cum aliis communicandam; animum studiumque applicavit. Ipse in primis animadvertit, non nisi tria esse Concilia,

Pag. 5.

7.

- quæ memoriam peregrinæ communionis, pro pœna Clericorum acceptæ, fervent, Regiense nimirum, Agathense, & Ilerdense. Regiense, a Regio, provinciæ Narbonensis oppido, dictum, A. 439 celebratum fuit. Constitutum fuit in eo, ut *Armentarius*, qui invitus ad cathedram Ebredunensem, contra Canones, a binis duntaxat Episcopis, absque provincialium consensu, & Primatis autoritate, ordinatus fuerat juvenis Canonumque ignarus, Episcopali sede abstineret, & *vel Chæropiscopi titulum acciperet, vel peregrina communionem frueretur*. In Agathensi Concilio, A. 506 coacto, & a 34 Episcopis habito, Canones duo fuerunt conflati, quibus mentio communionis peregrinæ fit perspicua, quam quidem alter contumacibus, alter Clericis, furtum facientibus, minatur. Episcopi tandem octo, qui
13. Synodum Ilerdensem, quam Noster anno 509 adversus dissentientes vindicat, celebrarunt, rapaces Clericorum manus, diripiendis Prælatorum vita functorum hæreditatibus intentas, peregrinæ communionis censura in officio continere conati sunt. Intercidit jam inde a multis seculis notitia & usus hujus communionis peregrinæ. Nihil sibi de ea liquere, aperte præ se tulerunt *Joannes Bona, Gabriel Albaspinæus, & Bernb. Ferrarius*. Exstant quidem *M. Anton. Dominici & Henrici Rixneri* peculiare de ea exercitationes; at illam Cel. Autor nunquam vidit, hanc frustra requisivit ad tempus, absoluta autem Dissertatione
17. sua repertam, locum relinquere spicilegio existimavit. Præmittit ipse diversorum conjecturas ac dissensiones. Tum vero sententiam, quæ ipsi verisimillima fuit visa, exhibet, faventem nomini, gravitati censuræ accommodatam, paucissimisque patentem difficultatibus. Exponemus de parte tractationis utraque breviter & succincte. Autor Glossarum Decreti *Gratianei*, qui Seculo XIII vixit, peregrinam communionem similem esse laicæ, peregrinamque appellatam, quod esset a conditione Clericorum aliena, tradidit. Subscripserunt ei *Gabr. Vasquez, Jo. Stephanus Durantus, Garfias Giron de Loaysa, Franc. Pithæus, Rud. Hospinianus, Sever. Binius, Anton. Mattheus, &*, qui postea sententiam videtur mutasse, *Jacobus Sirmondus*. Verum ex Concilio Agathensi patet, diversæ indolis esse crimina,
28. quæ

quæ punita fuerunt communione & laica & peregrina, & illam ad perpetuam a sacro ordine segregationem pertinere, hanc haud æque. Proximum a Glossatore locum meretur *Rob. Bellarminus*, siquidem laicam & peregrinam communionem in censuram eandem compingit, ratus, reos furti & aliorum criminum Clericos per communionis illius rationem sumsisse sub una specie eucharistiam. Quam quidem opinionem facile everterunt *Joannes Bona* & *Josephus Binghamus*. Omittimus sententias aliorum, in quibus recensendis ac dijudicandis Noster nulli operæ pepercit. Recentiores, peregrinam communionem pro conditione vitæ Clericorum, peregre in ecclesiam venientium, accipiendam esse, uno ore asseverarunt. Cum vero peregrinorum ejusmodi haud unum, sed geminum, idque diversissimum, extiterit genus, opinionem hanc infirmo stare talo, facile dilucet. Plerique, *Gabrielem Alaspinaum* secuti ducem, peregrinam communionem definiunt communitatem & consecrationem, quæ Presbyteris, sive aliis Clericis, qui sine literis commendatitiis peregrinabantur, indulgebatur in societate Clericorum & ecclesiastica communione. Arrisit hæc interpretatio *Emanueli a Schelstrate*, *Ludovico Etæ du Pin*, *Josepho Binghamo*, *Jo. Andrea Schmidio*, *Gotfr. Hermant*, *Carolo le Cointe*, aliisque. *Le Cointe* tamen addidit, peregrinos intelligi eos, qui inter ambulandum literas suas canonicas fato quodam amisissent. Ipse autem *Gabr. Alaspineus* hanc tandem opinionem dimisit. Nec immerito. Clericis enim, qui sine literis illis peregrinabantur, adeoque nullum fidei vitæque testimonium ferebant secum, omni communione ecclesiastica fuit interdictum. Et quomodo ad peregrinantes hujus fortis homines clericos quadrat pœna, quam communitio peregrina habuit conjunctam? Quod ipsum momentum sic est comparatum, ut *Henrico Rixnero* assurgere haud possit. Quid vero Noster tandem ipse arbitratur? quid sentit? En ejus sententiam doctissimam, & verba politissima: *Est, si quid ego video, communitio peregrina genus censure ecclesiasticæ, Clericis delinquentibus ab Episcopo, tanquam jure competente Clericorum, ob certa quadam crimina irrogata, per quod a gradu suo ac munere suspensi, ad conditionem Clericorum peregrinorum, in ecclesia commorantium, redigebantur.* Delicta illa seu crimina in Conciliorum Canonibus hæc occurrunt: 1) Ele-

Pag. 51.

34.

37.

39.

- Quo ad Episcopatum minus legitima, electo invito, ac desuper intercedente, facta, 2) supina in obeundo munere sacro negligentia, 3) contumacia erga superiorem, 4) furtum in ecclesia commissum, & 5) expilata Præfulis defuncti hæreditas. . Addit Doctiff. Autor: *Clericos, peregrina communione notatos, iis cenfeo peregrinis æquatos, qui rite, id est, cum literis commendatitiis, advenerant.* Peregrinus in titulo dictus ille fuit, qui munus vicario nomine gerit, ad quod haud fuit ordinatus. Qui conditioni huic reddebatur æqualis, is expunctus e matricula titulo privabatur suo, & a munere ecclesiastico repellebatur, adeoque simul sacrorum domi tractandorum potestate ac emolumentis, quæ muneri cohærebant, e. g. juris dicendi prærogativa, suffragio in rebus ad ecclesiam spectantibus ferendo, spe ad gradus superiores adspirandi, & specialioribus ceteris, quæ competunt ecclesiæ, privilegiis, excidebant. Cum vero ipsos *pœnitentia injuncta correxisset, ipsi, in matriculam rescripti, gradum suum dignitatemque recipiebant,* quæ ipsa sunt Synodi Agathensis verba, quibus certe inest argumentum firmum, quo Cel. Vir, sententiam suam dubitatione vacuum esse, ostendit, dummodo animadvertamus, de pœnitentia non publica, sed privata, esse ibi sermonem. Quo ipso dubitandum haud esse apparet, *sacram eucharistiam eis, qui ad peregrinam communem erant redacti, perinde ac ceteris sacerdotibus, datam fuisse sub specie utraque.* Specimen unum & alterum dedimus telestissimarum observationum, quarum tantam hic Ill. Autor copiam expromsit, ut, si quis nosse omnes voluerit, huic integra sit a capite ad calcem Commentatio legendæ.

**EPISTOLA CANONICI JO. ANDREÆ IRICI,
Tridentis, ad PHILIPPUM ARGELATUM,
Bononiensem.**

Novum fortasse cuiquam videri poterit, Amice optime, inter nos agendum esse per literas, cum in eadem urbe versemur, atque non raro conveniamus. Veruntamen nulla tanget admiratio scientes, eo in loco nobis per turbam non licere liberos miscere sermones, nec nisi raptim colloqui; neque enim satis nobis est otii, ut frequentius alter alterum adeat. Primum enim toti sumus in literariis negotiis, deinde ibidem tot adstant

stant e primaria hujus Metropolis nobilitate Viri, ut vel silendum omnino sit, ne videamur audaces nimium, vel parce tantummodo confabulandum. Probe nosti, paucos ante dies quid nobis acciderit in ædibus ornatissimi Comitis *Antonii Simonette*. Vix enim me rogare cœperas, ut Cl. Virum, *Nicolium Sormanum*, Ambrosiani Collegii Doctorem, ad tradendum Codicem suum Diplomaticum Mediolanensem, cujus editionem ad literariæ reipublicæ commodum jam pridem meditaris, inducerem; cœptum sermonem abrupte coacti sumus. Pro ea, qua libentissime desideriis tuis favendi cupiditate præditus sum, & quoad vivam, semper ero, nihil prætermisi, quod *Sormanum* nostrum ad tua vota trahere posset, hodieque tandem victas dedit manus, id tantum addens, liberum nunc sibi non esse, quod petas, efficere, cum curas suas omnes debeat addendis scriptis posthumis doctissimi Theologi, *P. Liberii a Jesu*. Pollicitus est igitur, ubi magnum hoc onus tantisper excusserit, se cupiditati tuæ facturum satis. Interim non ægre feras, *Iricum*, tibi amicissimum, & si quis est in vivis, gloriæ & utilitatis tuæ omnium cupidissimum, nonnulla te monere, quæ fortasse doctos viros tibi in dies magis demerendi, ut ita dicam, cacoethes advertere non sinit. Meministine, toties non voce solum, sed scriptis quoque, in publicam lucem educlis, te miseram avi nostri conditionem, tot bellicos tumultus, quodque miserius est, Mæcenatum defectum, doluisse? Quo ergo pacto tanta sarcina suppones humeros, cum vix spes ulla affulgeat, sub immodico sæcæ non labendi? Salutem, atque oculorum aciem, pene insumpisti in congerenda, post tot insignium Operum editiones, labore studioque tuo paratas, Mediolanensium Scriptorum Bibliotheca ex tot edicis MSis que Codicibus, quo in Opere, jam fere ad umbilicam perducto, mirabuntur transalpini præsertim, quibus ignota videtur, quæ sit, fueritque semper, hujus urbis civium eruditio, Scriptorum, numerum bis millesimum excedentium, & Codicum multitudinem, qui viginti millia superant. Mirabuntur & Itali, cum inspicient collecta simul tot familiarum monumenta, & præter ea, quæ ad Mediolanenses Præfules, & Insule hæc historiam, tam sacram, quam profanam, pertinent, æquam etiam criticen in eis maxime Scriptoribus, qui ante Christum floruerunt. Accedit improbus ille labor, quem suscepisti, conficiendi generis Indicis Scriptorum rerum Italicarum, vix integris *Tomis II* absolvendi. Expectant insuper docti omnes, publica luce donari, ut jam dudum spondidisti, *Onuphrii Panvini Opera*, & jam ty-

pis tradita, & inter anecdota Vaticanæ, Regiæ Parisiensis, Vindobonensis, aliarumque Bibliothecarum, servata, & grandi ære per te exscripta; expectant reliquas Latinorum Vatum antiquorum Italicæ versiones, quibus eorundem Poetarum vitas, a te rursus elucubratas, addis. Si vero inter tua, & aliena, licet mihi illa quoque commemorare, quæ mea sunt; exciditne tibi jam eruditis promissa Annalium patriæ meæ editio, curis tuis demandata? Quo loco tandem erunt Italicarum Ecclesiarum ritus antiqui, quibus colligendis, & per Dissertationes illustrandis, te hortante jam tot annos infudo? Quo magis moveare, noveris, paucos hos ante dies Vercellensis Ecclesiæ sacra monumenta, quæ ad *Eusebianum* spectant ritum, Capituli ejusdem cathedralis benignitate ad me fuisse perlata. Hæc jungentur plurimis, jam apud me exstantibus, ejusdem generis peculiarium Ecclesiarum Liturgiis sacramentalibus & Breviariis, Romanum ritum, generaliter apud Italos inventum, præcedentibus, atque illis etiam, quos, te curante, ab aliis mihi sufficiens non despero. Quid? si universa hæc in unum corpus coalescerent cum Scriptoribus, qui a *Gelasio* Pontifice ad Seculum usque XV de Ecclesiasticis ritibus scripta reliquerunt? Novi enim, qualis hac de re messis apud te sit, ex insignioribus Christiani orbis Bibliothecis tot precibus sumptibusque tuis collecta, & a quondam Domino *Januario Salinas*, Monacho Casinensi, eruditis factis noto, digesta, atque magna ex parte illustrata. Ambrosiani Ritus MSti Codices decurrunt, quorum præstantissimos in Metropolitana Basilicæ Bibliothecam jam pridem intulit præclaræ memoriæ Antistes *Franciscus Pizzolpassus*, civis tuus, quem ex nobilissima *Lambertina* progenie natum, *Michaelem*, ejusdem nepotis, testimonio comprobatur, in Bibliotheca tua Mediolanensi magna cum voluptate perlegi. Spes erat, *Carolus* Cardinalem *Stampam*, hujus Ecclesiæ Præsulem, nuper dolenti gregi raptum, postulationibus tuis præcipue auscultaturum, ut MStis, quæ non pauca apud utrumque nostrum existunt, quæque ad hanc spartam augendam adornandamque optissima sunt, adderentur. Illo inopinata morte sublato, conciderant animi, sed nostra reviviscit fiducia, cum sapientissimus optimusque Pontifex *Josephum Putrobonellum*, non pietate minus, quam doctrina humanitateque, suspiciendum, recens Ambrosiana Insula redimiverit; pro certo enim habendum, tantum Virum rem diutissime optatam toto pectore, & pronis, ut ajunt, manibus, excepturum. Hæc tecum ipse meditare, &, quibus auxiliis fretus tantam molem sustinere possis, considera, ne corporis valetudinem, remque familiarem, ita minuas, ut tibi magnis licet ausis excidere sit necesse. Boni consulas, rogo, amici verba, qui una cum Augustissimis cineribus *Caroli VI* conatus tuos, & quod ad eos adimplendos opus erat, jacere deplorat. Non ideo tamen turpi otio dies infumamus, ne numerus tantum sinus, & fruges consumere nati. Sane ad extremum usque spiritum me literarii labores, si Deus annuerit, semper cummaxime exercebunt. Vale, &, meliora operiens, me, ut soles, ama. Ex ædibus meis, immo tuis, IX Cal. Quintilis MDCCXLIII.

* * *

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris Anno MDCCXLIII.

HISTOIRE GENERALE DES AUTEURS SACRÉS
& Ecclesiastiques, &c.

hoc est,

*HISTORIA GENERALIS AUTORUM
sacrorum & ecclesiasticorum, continens eorum vitas,
operum catalogos, examen criticum, judicia, chrono-
logiam, analysin & recensionem variarum editionum,
&c. Autore R. P. REMIGIO CÆIL-*

LIERIO, Benedictino.

Tomus VI.

Parisiis, apud Philippum Nicolaum Lottin, 1737, 4 maj.

Alph. 4 plag. 7.

Operis hujus utilissimi, cujus priora *quinque Volumina* alio tempore in Commentariis his nostris locum invenerunt, *Tomum sextum* annuntiare in præsentia licet. Totus ille *viginti* absolvitur *Capitibus*, & adhuc rebus memorabilioribus, *Seculo IV* in civitate Christiana gestis, immoratur. *Capite primo* de *Julio Firmico Materno*, Senatore Romano, exponitur, non confundendo cum *Materno*, Mediolanensi Episcopo, qui, ubi, derelicta religione profana, sacra Christianorum amplexus esset, librum de errore & falsitate religionis profana exaravit, eundemque ad Imperatores *Constantium* & *Constantem* eo consilio allegavit, ut, quicquid paganae superstitionis superesset, id ipsum radicibus evellerent. *Capite secundo* Autor de *S. Amonio*, sive *Ammonio*, autore

sodalitii Anachoretarum Nitriensium, commemorat, qui, licet ex parentum consensu matrimonii vinculo contrictus teneretur, per omnem tamen vitam, annuente conjugē, continentiam coluit, pietatis exercitiis unice intentus, ac diversā in Ægypto monasteria condidit, mortuus circa A. 345 *Capite tertio de Fortunatiano, Aquilejensi, Theodoro, Heraclienſi, Tryphillo, Ledrenſi, Asterio, Sophitta Ariano, Eusebio, Emeseno, Basilio, Ancyrano, Acacio, Cæsarensi, Episcopis, & quibusdam aliis hujus temporis scriptoribus, agitur, quorum vitæ ac scripta, tum genuina, tum spuria ac supposititia, describuntur & recensentur. Caput quartum inscriptum est de P. Porino, oratore Christiano. Hieronymo is dicitur Gajus Marius Pichonius, quem alii appellant Fabium. Ortu fuit Afer, titulo *charissimi* in fronte scriptorum suorum insignitus, quoniam illustres natale, divinæ providentiæ munere sortitus erat Rhetoricam Romæ per multos annos est professus, & quidem tam felici cum successu, ut publica statua donaretur. Avitæ religionis fuit tenacissimus, eidemque ad seram usque ætatem adhaesit, donec suavis *Simpliciani*, sacrorum apud Mediolanenses antistitis, quo ipse familiarissime utebatur, ad sacrarum literarum lectionem se accingeret, quarum veritate adeo est subactus, ut, confessione in publica Christianorum concione edita, sacris aquis adspargeretur. Christianus factus, ad A. 362 usque Rhetoricam docere perrexit, donec mandato Imp. *Juliani* ab illa provincia abstinere cogeretur. Scripsit *contra Arianos Libros IV*, multa quidem eruditione refertos, sed in quibus mentem suam non semper dilucide satis declaravit; porro *contra Manichæos de duobus*, quæ comminiscabantur, *principii*; in verba *Genesis*: *Sic fuit vespera & fuit mane diei primi*; *Hymnos & Poema de morte Mucubæorum*; *de consubstantiali generatione verbi divini*; *Commentarios in Epist. Pauli ad Galatas & Philippenses*, quos quidem *Hieronymus* parvi fecit, sed *Sirmondus* stilo comtiore ac intellectu faciliore scriptos esse judicat. Alia præterea reliquit, quæ artes liberales, oratoriam speciatim, spectant. Locutiones in ipsis scriptis ostenduntur minus exacte, sed quæ non nimis acriter inspectandæ, quod de religionis Christianæ veritate scribere coepit, cum eam nondum plane ac plene perspexisset.*

De

De sacrosancta Trinitatis mysterio & recte sentit, & loquitur. *Caput quintum* de S. *Scraptone*, Episcopo Thmuensi, commemorat. Per tempus aliquod docuit in Schola Catechetica Alexandrina, ob excellens ingenium nactus nomen *Scholastici*. Vitam monasticam deamabat, & cum *Antonio* arctam constitutam habebat familiaritatem. Superstes fuisse videtur ad A. usque 369. Scripsit *contra Manichæos* opus eximium, quod postea ab eorundem objectionibus defendit, & *Epistolas* etiam, sed quæ interciderunt. *Carmen paschale*, ipsi attributum, est *Sedulii*. *Capite sexto* de *Tito*, Episcopo Bostrensi, tractatur. Floruit is circa A. 350, & vivere desiit sub *Valente*, anno incerto. Divulgavit *Libros IV contra Manichæos*, in quibus ratiocinia justa & stringentia desiderantur, stilus etiam subinde est impeditus. *Commentarius in Lucam*, qui nomen ejus præfert, recentior est, quam ut ipsum autorem habere queat. *Caput septimum* *Ulphita*, Gothorum Episcopi, *Rufiniani*, Episcopi Ægypti, *Aquilii Severi*, *Audentii*, *Gregorii*, Eliberitani Episcopi, vitas brevibus complectitur, & scripta nominat. *Caput octavum* dicatum est S. *Basilio*, Archiepiscopo Cæsareensi in Cappadocia, & Confessori. Hujus *Articulus I* exhibet ejus vitam. Natus fuit Cæsareæ Cappadociae sub finem A. 329. Literis, quæ ab humanitate nomen habent, itemque Philosophia, Constantinopoli & Athenis probe innutritus, sacris Christianorum, a quibus ante alienus erat, se initiandum curavit circa A. 357; inde, itineribus huc illuc institutis, commendatione *Gregorii Nazianzeni* Episcopus Cæsareensis A. 370 est designatus, mortuus A. 379. Illius multiplices in Episcopatu labores fasce hic describuntur. *Articulus II* agit de *scriptis Basilii in Sacram Scripturam*, *Homiliis in hexameron*, quæ præ aliis ejus scriptis publico plausu sunt exceptæ, ipsique honoris multum adjunxerunt, *Homiliis in Psalmos*, quos non justo expulit ordine, & qui maxima ex parte perierunt, *Libris V contra Eunomium*, *Commentario in Jesaiam*, quem nonnulli *Basilio* abjudicaverunt, contrarium demonstrante Nostro, denique de *Homiliis super diversis argumentis*. *Articulus III* agit de illius *asceticis*, diversis temporibus, data occasione, in gratiam illorum, qui se ipsi, quod ad vitæ spiritualis exercitium, regendos committebant, confectis,

non utilibus solum his, qui monasticam vivendi rationem sectantur, verum etiam omnibus, quibus pietas est cordi. *Articulus IV* de libro de Spiritu Sancto, quem rogatu S. *Simplicii* perscripsit; *V* de ipsius *Epistolis ad varios* diversa occasione datis; *VI* de operibus, *Basilio* falso tributis, & illis, quæ ætatem non tulerunt; *VII* de ipsius doctrina, agit, quæ per omnia religionis Christianæ capita copiose declaratur, propriis ejus verbis in subjectis notis excitatis. *Art. VIII* collegit Auctor *judicia*, de scriptis *Basilii* lata, simul recensione editionum operum illius instituta. *Capite nono* de S. *Eusebio*, *Episcopo Samosateno & Martyre*, exponit. Is A. 361 adfuit Concilio Antiocheno, ac sua auctoritate effecit, ut *Meletius* *Episcopus Antiochenus* crearetur. A. 374 jussu *Valentis* sede sua dejectus, in Thraciam exulare cogebatur, amicis multum ingemiscantibus, sed inde a *Gratiano* A. 378 fuit revocatus. *Capite decimo* de S. *Meletio*, *Episcopo Antiocheno & Confessore*, agit. In urbe Melitene minoris Armeniæ lucem vitæ primum adspexit, A. 357 *Episcopus Sebastensis* fuit constitutus, hoc vero munere sponte sua se abdicavit, quod, multos sibi adversari, animadverteret. A. 361 munus *Episcopi* in urbe Antiochena omnium suffragiis ipsi est collatum, sed ipso illo, cum Arianis sibi minus benignum præter opinionem intellexerent, volente ita *Constantio*, triginta tantum ab electione diebus elapsis, est exurbatus, hoc ipso tamen anno nondum exacto a *Juliano* restitutus, post secundum & tertium in exilium missus, sed postea sedi suæ restitutus. *Caput decimum* S. *Damasi* vitam continet. Pontifex Romanus est nominatus post mortem *Liberii*, satis sanctus d. 11 Dec. A. 384. Ejus scripta, tum quæ ipsum autorem agnoscunt, tum quæ ipsi sunt supposita, memorat Auctor, & præcipua ex illis excerpit. *Caput duodecimum* ad S. *Cyrillum Hierosolymitanum* pertinet. *Art. I* exhibet ipsius vitam, quam Hierosolymis circa A. 315 est ingressus, circa finem anni 350 *Episcopus Hierosolymitanus* legitime nuncupatus, sed artibus *Acacii*, *Episcopi Cæsareensis*, depositus, restitutus autem A. 359 in Concilio Seleuciensi, iterum vero munere suo exauctoratus in Concilio Constantinopolitano A. 360, ac revocatus a *Juliano* A. 362, tertium submonsus A. 367, sed restitutus

Titulus A. 378, mortalium numero exemptus A. 386. *Articulus II*
 et *de doctrinis Catecheson Cyrilli* docemur, quas, licet quidam ex
 doctis puriorum sacrarum a *Cyrillo* profectas esse negent,
 nonnulli tamen ipse argumentis genuinas esse contendit, obje-
 ctionesque diluit. *Art. III* sistit *analysin Catecheson*. *Art. IV* de
 quinque ipsius *catechesibus mystagogicis*; *V* de *Homilia de para-*
lytico, & *Epistola* ipsius ad *Imp. Constantium*, agit. *Homiliam*
 hanc primus omnium ex *Cod. MSto*, sed passim hiuleo, A. 1703
Oxonii typis exseribi curavit *Thomas Millefius*, emendatius ve-
 ro & integrius in lucem est protracta *Parisiis* A. 1720, quam ge-
 nuinum *Cyrilli* textum esse, non uno argumento demonstrat.
Epistolam ad Constantium de signo crucis in celo viso, scriptam
 A. 351, pariter ipsius esse alleverat. *Art. VII* opera *Cyrilli* per-
 dita, eidemque supposita, persequitur. *Art. VIII* doctrinam *Cy-*
rilli, per singula religionis Christianæ capita eundo, explanat.
Art. IX iudicia de scriptis *Cyrilli* adducit, ac editiones ope-
 rum ipsius ordine enarrat. *Capite tertio decimo* de *Gelasio Ca-*
sarensi, nepote *Cyrilli Hierosolymitani*, tractat. Hunc propter-
 ea *Autor* *Cyrillo* jungit, quia ipsius ex sorore nepos erat. *Epi-*
scopum *Cæsareæ* in *Palæstina* inde tere ab A. 367 usque ad A.
 395 egit. *Capite decimo quarto* de *Apollinario, Episcopo Laodi-*
ceno in Syria & *heresiarcha*, agitur. *Juvenis* in omni disciplina-
 rum ac scientiarum genere ingenium exercuit, in iisdemque cum
 excellenti indole esset, profecit plurimum, ac magnam facun-
 diæ vim sibi paravit. *Episcopus* *Laodicensis* A. 362 est electus.
Errores ipsius primum sunt condemnati in *Concilio Alexandri-*
no A. 362, ac inde passim in aliis conventibus ecclesiasticis. *Ca-*
pite decimo quinto res *Timothei, Archiepiscopi Alexandrini*, de-
 scribuntur. *Presbyter* *Ecclesiæ Alexandrinæ* fuit per multos an-
 nos, inde illius *Episcopus* omnium *Ægypti* antistitem sacrarum
 confessione evasis, mortuus d. 20 Jul. A. 385. *Capite decimo*
sexto de *Donato Carthaginiensi, Parmeniano, Ticonia, Vitellio, Ma-*
crobio, scriptoribus *Donatistis*, & *Olympio, Episcopo Hispanico*,
 commemoratur. *Primam* dissidii *Donatistici* originem ponit *Au-*
tor in A. 304, ejusdemque progressum, & quibus in *Conciliis* mō-
 tus illorum fuerint repressi, indicat. *Donatum* a suis moribus,

doctrina, ingenii ac facundiæ dotibus, describit. Vitam *Donatus* cum morte commutavit circa A. 355. *Caput septimum decimum ad S. Optatum, Episcopum Milevitanum*, defensores ecclesiæ, spectat. *Art. I vitam & scripta ejus persequitur*. De vita quidem ejus parum nobis constat. Patria fuit *Afer*, Episcopus Milevitanus, quæ urbs duobus Conciliis, ibidem celebratis, inclaruit. *Libris VII contra Parmenianum*, unum celeberrimorum factionis Donatisticæ Episcoporum, partes ecclesiæ egregie est tuitus, quorum præcipua momenta ita proponit Autor, ut cupidus lector ipsius diligentiam non sit desideraturus. *Art. II doctrinam Optati*; *Art. III diversa monumenta antiqua, quæ ad historiam Donatistarum spectant*, exhibet. Monumenta hæc adjecta sunt recentissimæ operum *Optati* editioni, cujus generis sunt *Edicta, a Diocletiano & Maximiano adversus Christianos promulgata, Acta S. Felicis Apbtongitani, Acta justificationis Cæciliani, Epistula Masurii ad Secundum, hujusque ad illum responsum, Epistola Constantini, analysi Epistolæ supplicis Marcellini & Faustini, judicium de literis supplicibus Marcellini, ac diversis illarum editionibus. Capite decimo octavo res S. Paciani, Episcopi Barcinonensis, enarrantur*. Fuit vir vitæ sanctimonia, eloquentia, & stili castimonia, insignis plane, Episcopatum adiisse censetur A. 373, quo vero anno animam Deo reddiderit, non liquet; illud est evidens, ipsum in extrema senectute, imperante *Theodosio*, ante A. 392 morti succubuisse. Hujus adhuc superant *Epistolæ tres ad Sympronianum, Novatianorum erroribus implicitum, Exhortatio ad penitentiam, Diss. de Baptismo*, aliis temporis injuria absumtis. *Capite decimo nono de S. Philastrio, Episcopo Brixisiensi & Confessore*, tractatur. Ubi loci vitam fuerit ingressus, & qua gente sit procreatus, prorsus latet; id apparet, ipsum, rebus mundanis missis, Christo toto animo se addixisse, singulari continentiæ operam navasse, & assiduo studio in literarum divinarum intelligentia proficere allaborasse. Presbyter factus, omnes fere imperii provincias, urbes, & vicus, peragravit, veritatem cœlestem docuit, cum Judæis & paganis, nec non cum hæreticis, præ ceteris vero Arianis, congressus est, quo ipsos erroribus expelliret, & ad ecclesiæ consortium reduceret. Cum primis singulari cura ducebatur

in ecclesiam Mediolanensem, antequam *Ambrosius* eidem proponeretur, seque multa cum animi contentione opponebat *Auxensio*, homini erroribus Arianis mancipato; inde Episcopus Brixienfis est inauguratus, inque munere suo id egit omnibus viribus, ut homines rerum divinarum rudes de salutis via erudiret, ipsi-que optimum, quod sequerentur, exemplum prae monstraret. In libro *de Haeresibus* multa eum negligenter scripsisse, in temporum rationem saepius impigisse, haereticos aliquando nominasse, qui ne unquam quidem exstiterunt, non sine ratione monet Autor. Etiam hic *Tomus*, uti priores, Indice satis copioso est instructus.

Vernünftige, historische und theologische, Betrachtungen über die Wahrheit, Alterthum, und Götlichkeit, der Schriften des Alten und Neuen Testaments, 2c.

hoc est,

COGITATA, RATIONI CONSENTANEA, Historica & theologica, in veritatem, antiquitatem, & originem divinam, scriptorum Vet. & Nov. Forderis, probatissimis argumentis per complexum naturalem in lucem producta a JOANNE FRIDERICO STEIN, Principum Baden-Durlacensium in Carlsruhe Ecclesiae aulico.

Basilæ, impensis Joannis Rudolphi Imhoff, 1742, 4.

Alph. 4 plag. 15½.

Serenissimo Principi Marchioni Dominoque, *Carolo Friderico*, tractationem hanc consecravit Autor, & cognitione veritatis caelestis, & philosophicis praesidiis, plenissimus, aliosque luce sua auspicate collustrans. Ipse ante annos novem scriptores, qui de veritate religionis Christianae exposuerunt, attente perlegit, ne quid sibi deesset convictionis de eis universis capitibus, quae doctrina Christianorum complectitur. Ut vero meditationes, quae ex instituto illo profuebant, ipsi continuo ob oculos & mentem verterentur, cogitata & notiones in char-

tam

tam conjecit, e quibus, iterum iterumque volutatis, subactisque, hæc tractatio, hoc opus, existit, feliciterque tandem lucem vidit. Usus instituti ejusmodi non est unus, sed multiplex & varius. Argumentum rei, quod sæpius tractetur, est dignum. Mentis minus convictæ scriptorum genere alliciuntur & flectuntur, ac ad frugem veritatemque deducuntur, nunc hoc, nunc illo. Naturalistis ac Deistis cibus ejusmodi est apparatus, quem ipsi primo obtutu nec fastidiunt, nec averlantur. Nec tamen in argumentis solis, quæ credibilitatem externam & humanam scriptis divinis conciliant, acquiescendum est. Hanc ob causam Pl. Rev. Autor *P. VII Cap. 13* de interna Spiritus Sancti convictione differuit, ac argumenta, convictioni utrique apta, in fororium constrinxit arctavitque vinculam. Homines mentis infirmæ, qui lectione librorum, veritatem divinam impugnantium, delectantur, ab ipso dividuntur in Atheos, Irreligionarios, Naturalistas, ac Deistas. Quibus universis lucrificandis, & ad Jesum aggregandis, sese totum in hoc Opere adixit Autor. Inprimis ostendit, in historicis rebus, in dogmatibus, & in doctrina morali, sacrarum literarum materia, nil nisi veritatem elucere. Ad *Sanchoniatbonem* hinc inde provocat, haud ignarus suspicionum, quibus fidem ei detrahere conati fuerunt *Joannes Marshamus*, *Henricus Dodwellus*, & *Elias du Pin*, nec non, quod de nostro addimus, *Richardus Simonius*, *P. Montefalconius*, & *P. Augustinus Calmetus*. Demonstrat autem, argumenta, quibus, ipsum fuisse suppositum, & a *Porphyrio* effictum, assensu esse indigna. Abbas *Guyonius* fufius fidem *Sanchoniatbonis* asseruit in libri *Histoire des Empires & des Republiques depuis le deluge jusqu' à Jesus Christ*, Tom. IV pag. 124 seq., falsus tamen, monumentum id *Sanchoniatbonis*, ab *Eusebio Præpar. Evang. 1, 9*, productum, cum antiquitatibus Græcorum & sacra historia in concordiam redigi haud posse. Exposuit ex professo de fragmento illo *Furmontius*, senior, in libri: *Reflexions historiques sur les Histories des anciens Peuples*, Tomo I, & nonnihil in dictis judiciisque *Guyonii* notavit, ad quod respondit hic in monitis ad Tom. III *Historiæ*, de qua modo diximus. Anglorum eruditissimi coryphi

ryphæi historici benignius etiam de *Sanchoniatbonis* fragmento tulerunt iudicium in Præfatione, *Tomo III Historiæ universalis* præmissa. Sed hæc obiter. Vindicat Noster fragmentorum illorum veritatem, licet *Eusebio* subscribat, dictitanti, recentiorum manu accessisse operibus *Sanchoniatbonis* symbolicas expositiones, physicaque additamenta. Opus *Steinianum*, nobilissimi instituti fructus selectissimus, in *Partes septem* fuit distributum. Prioribus *sex Partibus* in eo Autor fuit totus, ut, fidem humanam sacris scriptoribus haud denegandam esse, comprobaret. In *Parte extrema* ex professo ostendit, fidem præterea eis divinam esse adjungendam. Ordinem adhibuit syntheticum, ut priora sternerent posterioribus viam, assensumque momentis doctrinarum, posthæc demonstrandis, conciliarent. In diligentia sua certe desiderari quidquam haud fuit passus. Approbarunt opus & Ordo theologicus Argentoratensis, & provincialis Consistorii sacri Assesores. Accedit, quod lectio ipsa illud approbat, & iudex æquus in eo nil nisi laborem, pro veritate divina fideliter exantlatum, mansuetudinem, candorem, & pacis studium, Christianis congruens, deprehendit. Hæc generatim. Delibabimus jam particulas minores, e quibus hæc cœna dubia fuit adornata. *Pars prima* continet *Capita novem*. *Primo* ostenditur, hominis esse, in fundamentum doctrinæ suæ religiose inquirere. *Secundo* demonstratur, revelationem religionis divinam esse non solum possibilem, sed sua etiam sese verisimilitudine commendare. Deistas, ejusmodi revelationem negantes, revincit *Caput tertium*. *Quarto* exponitur de necessitate revelationis ejusmodi singularis, ejusque divinæ, hypothetica. Quis enim ignorat errores gentium, imbecillitatem ingenii nostri, tenuesque hominum de immortalitate mentium humanarum cogitationes? Quem fugit scopus, quem Deus creator in rebus creatis sibi proposuit? Quis nescit, hominis esse, agnoscere & amplificare notitiam & gloriam creatoris sui? Quis modum, colendi Deum, quem hic penitus approbat, per sese potest invenire? An ἐθελοθρησκεία hominum a Deo approbatur? Qua ratione ad amicitiam Dei nobis, qui leges Dei violamus, patet reditio? Nonne peccata, in Dei leges

Pag. 7.

- commiffa, pœnas habent propositas fibi fempiternas? An fola fufficit nobis de benignitate Dei perfuafio? An fapientia, juftitia, & fanctitatis, hic etiam habenda eft ratio? Homo, fibi relictus, Deum placare, & juftitiæ ejus fatisfacere, hæud poteft.
- Fag. 24. *Capite fexto* tractat notas divina revelationis; *feptimo* aggreditur expendere vim & pondus argumentorum, quæ pro divinitus revelata doctrina militant; *oſtavo* inquit in moralem de ea fidem & veritatem; *nono* recenset momenta, ex quibus de hitorici fide judicium eft faciendum. *Partis ſecundæ Capite primo* monſtrat, gentes, a vera religione alienas, nonnulla veritatis capita congruenter rationi tradidiffe, ſpeciatiim de Deo uno, de Deo ſpiritu, de Deo omnifcio ac aeterno, &c. *Capite ſecundo*, eas gentes doctrina divinitus detecta carere, demonſtrat, conformans characteres doctrinæ hujus ad dogmata gentium exterarum, & diſſimilitudinem designans. *Capite tertio*, Muhammedanam religionem complecti unicam divinitus reclusam doctrinam, ſolide negat. *Parte tertia* oſtendit *Cap. 1*, Biblia noſtra multum excellere doctrinis, quæ vulgo minus recte pro divina religione venditantur; *Cap. 2* monſtrat, exiſtiſſe *Mofen*; *Cap. 3* tradit, *Mofen* vixiſſe illa ætate, qua ipſum floruiſſe, diviniore Codex ſignificavit; *Cap. 4* diſſert de ſcriptorum *Mofaicorum* hitorica veritate; *Cap. 5* exponit argumentum idem, ac tranſitum per mare rubrum attingit; *Cap. 6* addit rationes, cur pronuntiata & ſcripta *Mofis* ſint fide digna; *Cap. 7* evincit, *Mofen* eſſe ſcriptorum, quæ nomen ejus oſtentant, genuinum autorem; *Cap. 8* objectionibus nonnullis, quæ ſcriptis *Mofaicis* opponi ſolent, medetur. Perſuadet ſibi, ſolem & ſidera die hexaemeri quarto colluſtrare terram ita, ut diſcerni viſu ab exhalationibus telluris potuerint, lucem primigeniam a ſolis jubare haud fuiſſe diverſam, ſerpentem haud naturalem primos homines ad delirandum induxiſſe, rationes exſtare, cur homines vitam tantopere prorogarent, diluvii *Noachici* momenta fidem haud excedere, & miracula, per *Mofen* edita, ab univerſa impoſturæ ſpecie eſſe perquam aliena. Scrupulos, quos Chronologia *Chaldæorum* & *Ægyptiorum* exhibet, ejicit ex animo fluctuantium.

tium. Chinenſium *Fobium* putat eſſe eundem ac *Noachum*. *Tolandi Origines Judaicas* ſuccincte excutit & refellit. *Mélis* Pag. 171. *ἀργεον*, *mel agreſte*, exponit per illud, quod apes in cavis arborum & petrarum componunt. Liceat exiſtimare, mel voce illa designari arboreum. Hoc enim appellatum fuit *μέλι ἀργεον* a *Diodoro Siculo XIX, 104*. Exiſtare in libris *Vet. Teſt.* ipſoque *Moſe* interpolationes ſcriptoris recentioris, e. g. *Eſra*, inſiciari haud audet. Per locam *Dan*, quouſque *Abrahamus* 170. *Reges latrones conſectatus* fuiſſe traditur *Gen. XIV, 14*, designari putat alterum e *Jordanis orientis* amnibus, ratus, *Jordanem* formari ex amnibus duobus, totidem capitibus, quorum unus *Jeor*, alter *Dan*, appelleretur. *Dubitationis* multum habent hi amnes duo. Apud *Moſen* indicatur per *Dan* non amnis, ſed locus, ſiquidem, nulla amnis vel ſtuvia mentione adjecta, vox *Dan* perpetuo locum denotat. Inde a *Dan* uſque ad *Chobah*, qui locus poſterior ad ſiniſtrum *Damaſci* latus fuit ſitus, *Abrahamus* nocte unica, hoſtes conſectatus, pervenit. Quis vero a *Jordanis* initio ad viciniam *Damaſci* unica nocte procurrere valet? Si quid videmus, *Dan* locus, ad quem *Abrahamus* pervenit, ultra *Antilibanum* verſus ſeptentriones in valle haud procul *Damaſco* fuit poſitus, remotus fatiſ ab oppido *Sidone*. *Vallis* vero illa decurrit ad locum *Beth-Rehob*, qui verſus boream tribus *Aſeritarum* terminos clauſit. Si quis expenderit locum *Jud. XVIII, 28*, ei hæc probabilitatem ſpirare videbuntur. *Parte tertia Pl. Rev.* Autor libros *Jofua*, *Judicum*, & *Ruthæ*, ac 181. libros *Samuelis*, *Regum*, *Chronicorum*, *Eſdra*, & *Eſtheræ*, meditationibus ſuis illuſtrat, eiſque ineſſe fidem, oſtendit. *Librum*, a *Jofua* cognominatum, vivente adhuc *Rutha*, literis commendatum fuiſſe, ſuſpicatur ex *Jof. VI, 25*. Si quid libro, *de Judicibus* inſcripto, ineſt offendiculi ſpecie plenum, id ex univerſo *Noſter* expedit & diſſolvit. *Res Simſonis* mirabiles præcipue perluſtrat, & ab objectionibus obmotis defendit. Ex *Architectura* vetuſtiſſima; per *Orientem* uſitata, templo *Philæſtorum*, quod unica columna everſa corruit, lucem copioſius potuiſſet foenerari, niſi ſuccincte diſſerere maluifſet. *Hiſtoriam*, quæ in libro *Ruthæ* legitur, in ætatem *Gideonis* po-

- Pag. 205. vit. *Cady'in Herodoti* reputat pro Hierosolymis. Annum, qui *Cyri* primus dicitur *Esd. I, 1*, existimat sic appellari respectu annorum septem, quos *Cyrus* una post *Cyaxaris* mortem,
223. *Xenophonte* teste, regnavit. Ea, quæ leguntur in libro *Nehemie XII, 1-27*, *Nehemie* obitu esse recentiora, largitur. Si quid vero ja licendo allequimur, secessionum in numero ea tantum sunt habenda, quæ exstant ibi v. 10, 11, 22, 23. Regem *Perlisis*, qui vocatur *Artabastia II, 2*, eundem fuisse credit ac
228. *Artaxerxem Longimanum*. Maritus *Estheræ* ex ejus judicio *Cambyses* existit. *Sifac* & *Sesoftris*, ipso iudice, haud differunt. *Sargonem* pro *Sennacheribo* reputat. *Tigathpeleser* est
235. *Arbaces*, *Sardanapali* victor, si ab ejus suffragio stamus. Sententia *Artopai*, qui *Xerxem* pro *Nebucadnezare* habuit, tantum abest, ut subiciat, ut eam manibus pedibusque profiget. *Cresia* fidem ipsi firmam validamque videri, subit mirari. *Artastibam* existitisse *Cambysen*, & *Achaschverum* fuisse *Cyaxarem II*, tradere videtur ratio temporum, *Caput IV Esdræ*, *Serubabelis* ætas, & præsentia eorum in inauguratione templi, qui ex exilio *Babylonico* redierant *VI, 21, 22, Neb. VIII, 17*. *Artastibam*, seu *Cambysen*, patre vivo & regnante, ad oceanum *Euphratis* summam rerum jam administrasse, non possumus non nobis persuadere. *Achaschverum*, cujus sit mentio *Esd. III, 6*, non pro *Cambyse*, sed pro *Cyaxare II*; habemus. Auctori vero videtur fecus, quem solide, *Artaxerxi Longimano* locum hic esse, negasse prædicamus. Ostendit haud minus verisimiliter, *Atossam*, *Darii Hystaspidis* uxorem, ad *Estheram* haud congruere, multo minus *Hamestrem* fuisse eandem ac *Estheram*. *Artastibam* fuisse *Artaxerxem Macrochira*,
252. Auctor potissime ex *Esdra VI, 14*, it comprobatum. Locus, qui expendatur, est dignus. Suspiciamus, *Artastibam* illic etiam esse *Cambysen*, siquidem ad tempus, illo regnante, successit ædificatio templi *Hierosolymitani* satis feliciter. *Capite undecimo* de libro *Jobi* potiora pertractat Auctor, eumque fide dignum esse, ostendit. Ætatem *Jobi* respondere *Isaaci* temporibus, argumentis probabilissimis docet. Consignatum vero fuisse *Jobi* librum serius, quam post *Mosis* obitum, sibi persuadet.

suadet. In *Leetflusse* plures collocutores seu fermocinantes Pag. 269.
 exhiberi, significat. Nec dubitamus, quin a fermocinantium
 illa indole & successione pendeat lucidior libri expositio. Ea-
 dem passim methodus in *Odís Davidicis* præsto est. Exegese
 ad hanc cynoturam nondum satis respexerunt. *Joannis Cal-* 275.
vini rationem, cur in *Jesaja* & *Jeremia* scriptis ordo chrono-
 logicus haud fuerit servatus, probabilem pronuntiat. *Luther-*
us in Præfatione ad *Jesajam* præterea animadvertit, vaticinia
 in scriptis Prophetæ prioris haud respondere chronologica fe- 295.
 riciei. Is, qui *Hermannii von der Harde Jonam in carbaria* consu-
 tavit, vocatur a præstantissimo Autore *Biermannus*. Leve no-
 mini insedit erratum. Nomen enim huic fuit *Beermannii*, &
 extat ipsius *Epistola ad Amicum*, in qua *Dominii Herm. von*
der Harde Jonus in carbaria examinatur, edita *Wolferbutte-*
læ A. 1719, 8. Meminimus præterea, ætatem Prophetæ *Jochis*
 in tempus *Josaphati* a S. Rev. *Bauero* fuisse conjectam. Libris
 singulis *Vet. Test.* pro instituto expensis, Autor docet, eos esse 335.
parte quinta progreditur ad examinandos *Fœderis Novi* libros, osten-
 dens, Jesum Christum olim in mundo re vera spectabilem in
 modum versatum fuisse, in *Vet. Test.* libris promissum, no-
 minatim in *Gen. XLIX, 10*, in *Jes. VII, 14*, & in *Dan. IX, 25-27*.
 De *LXX* hebdomadibus *Danielicis* copiose exponit. De Je-
 su testimonia *Taciti*, *Alii Lampridi*, *Plinii*, & *Fl. Josephi*, re- 361.
 petit. Vixisse eum conspicuumque sese præbuisse imperanti-
 bus *Augusto* & *Tiberio*, demonstrat. De *Joanne Baptista* dis-
 ferit. Apostolos & Evangelistas existisse, addit. *Parte sexta*
 edisserit veritatem nativitatis Jesu. De stella, a Magis visa, 369.
 credit, scriptisse *Plinium II. N. II, 5*. Miracula Christi recenset, 376.
 & fidei plena esse ostendit. Ipsum cruci suffixum obiisse, ex-
 terorum testimoniis conficit. *Phlegontis* testimonio de tene-
 bris, quæ Jesu moriente *Judæam* & circumvicinas terras op-
 pleverunt, admodum innititur. *Scriptorum Nov. Test.* au- 395.
 thoritatem tuctur, resque, ab eis memoria proditas, fictionis
 suspicione vacare, tradit. Miraculorum & resurrectionis Jesu
 verita-

- veritatem communit. Quæ de discipulis Jesu in Novi Fœderis volumine docentur ac commemorantur, veritati haud repugnante, demonstrat. Addit ea, quibus, scripta Fœderis Novi genuina esse, reddimur certiores. Epistolam, ad *Hebræos* scriptam, *Paulo* vindicat. *Apocalypsin* asserit Apostolo *Joanni*. Apocryphorum Nov. Test. origines attingit. Vitas scriptorum Nov. Test., ac chronologiam eorum, edisserit. Primam *Joannis* Epistolam ante excidium Hierosolymæ, cum *Judæi, Floro* expulso, Christianos infectarentur, & ad sese revocarent, literis consignatam esse æque ac *Pauli* ad *Ebræos* Epistolam, intelligitur facile ex attenta utriusque lætione. Autor nil certi destinit. Deinde ite comprobatum, credibilitatem scriptorum utriusque Fœderis firmioribus munimentis jam, quam olim, in niti. *Parte septima*, illa scripta originis esse divinæ, ostendit. *Capite primo* evincit, existere Deum, argumento a contingentia rerum mutabilium deducto usus. Addit, Deum esse immutabilem, omnibusque perfectionibus instructum. Ex ejus perfectione prorsus necessaria demuo, cum existere, contendit. Mundo tribui posse æternitatem, negat. Testimonio gentium, Deum existere existimantium, vim inesse quandam, largitur. *Capite secundo*, Jesum Christum esse Messiam verum, servatorem hominum, Dei filium, Deumque, demonstrat. *Josephi* genealogia ostendi, Jesum, *Mariæ* filium, ex tribu *Judæ* natum fuisse, solide annotat. *Abasiam, Josum, & Amaziam*, a *Matthæo* in genealogia *Josephi* omisos fuisse, ostendit, eo quod tres illi Reges e tribu *Judæ* haud fuerint procreati.
423. *Cainanem* negat intrusum esse in *LXX & Lucam III, 36*. De miraculorum natura solícite tractat, ratus, angelos bonos æque ac malos nonnullis miraculis edendis pares esse. At quid? si *empæctæ* inde contendant, incertam ita reddi notam veritatis divinæ? *Cacodæmon* certe miraculis pro veritate firmamanda edendis operam haud impendet. Ex veritate igitur doctrinæ stabilis miraculi divinitatem; & ut divinitatem sacri Codicis ac doctrinæ Jesu stabilias, argumento uteris a miraculis desumpto. Veremur, ne circulus in demonstrando admittatur. Inficiamur itaque, mentes finitas quascunque miraculis edendis

dis esse habiles, eo quod finis, miraculo præstitutus, spectat ad civitatem spirituum omnem, & omniscientiam complectitur, nec a sapientia summa divelli potest. Quicquid substantiæ creata ex viribus sibi insitis effectui dant, id respectu ipsarum est naturale, nec respectu rerum creatarum majori jure appellari miraculum potest, quam homicidium, quod homo in hominem admittit, vel ruina ædificii, quæ extrinsecus & viribus extra ædificium positis efficitur. *Loca Deut. XIII, 1-4, Matth. XXIV, 24, & Magorum Aegyptiorum facta, an doceant, cacodæmonem miraculis faciendis esse aptum, liceat non solum dubitare, sed etiam tantisper disiteri, donec firmioribus argumentis convincamur. Deum solum per legatos suos miracula edere, credidit miraculo sanatus Jo. IX, 33. Peccatores vero in Spiritum Sanctum tradiderunt, miracula per cacodæmonem fieri posse, Luc. XI, 14, 15. Charismatibus Spiritus Sancti Pimilus tribuit vim miraculis secundam 1 Cor. XII, 10, 11, tantum abest, ut cacodæmoni illam æque assignet. Sed hæc obiter. Res ipsa exquisitori digna est examine. Celsus, quod ipsum Noster indicat, miracula a cacodæmone edi posse, existimavit, ac istam opinionem ad miracula Jesu fugillanda & convicianda transtulit. Cel. Autor refellit deinde objectiones Judæorum, ac illorum, qui, nonnullos a religione vera averfos, eosque eximios, homines Jesu æquiparasse, venditant, e. g. *Muhammadem, Apollonium Thyaneum, Apulejum, & Pythagoram.* Tum vero expendit notas doctrinæ divinitus revelate, librosque Vet. & Nov. Fœderis ratione rerum ac verborum divinitus inspiratos esse, docet. De miraculis, quæ solent Magis Aegyptiorum tribui, varias sententias exhibet. Probatum iri ab ipso arbitramur B. Reinbeckii quoque opinionem ex *Medic. XLIII in Aug. Conf. §. 19.* Judæos tandem ad Jesum, Regem David, deductum iri, sperat, impulsus loco *Huf. III, 4, 5.* Vaticinia, in Vet. Test. de Christo edita, colligit, solideque passim exponit. Diversa divinæ revelationis genera doctè explanat. Repellit objectiones eorum, qui, nonnullas sacri Codicis partes a scriptoribus ipsis haud profectas, ideoque illum divinæ originis haud esse, contendunt. Addit deinceps, scripta*

Pag. 512.

526.

541.

605.

623.

Vet.

- Vet. Test. a Judæis ac Christianis semper divinæ originis habita fuisse. De translatione Alexandrina Græca edisserit potiora.
- Pag. 650. Libros Nov. Test. esse divinos & *Θεοπνεύστους*, evincit. Miracula, quæ *Fl. Vespasiano* tribuuntur, commentitia esse, docet. Vindicat miracula, quæ Deus per Apostolos effectui dedit. Vaticiniis Nov. Test. lucem affundit. Mysteria, quæ in sacro Codice enarrantur & traduntur, exponit ac collustrat, atque a *Bailii* telis defendit. Dicit de Christianæ religionis mira diffusionem, ac Martyrum testimonio, & objectiones profligat. Ostendit, inesse sacri Codicis doctrinis consensionem cum eis criteriis, quæ complexui revelationis divinæ propria esse merito existimantur. Expendit argumentum, quod ad stabiliendam religionis divinæ veritatem ex interna per Spiritum Sanctum convictione desumi solet. S. Rev. *Oporinum*, qui argumentis e rationis penu peritis vix ullum statuit pretium, suffragio suo haud dignatur. Consensum tamen ejusdem in rem vertit suam.
759. *Θεοφύλακτος* naturas & officia a cavillationibus defendit, solideque demonstrat, nec Deum peccata dimittere impunita posse, nec peccatorem legi divinæ satisficere unquam valere, Christum vero homines expiisse. Contradictiones inesse Codici sacro veras & genuinas, insiciatur. Tandem recenset syllabum librorum, quibus nomen est canonicorum. Quanta & qualia in hoc Opere insunt solide sacræque eruditionis prædicia & adjumenta, facile ex his, quæ inde dedimus decerpta, perspicere potest ac æstimari.

THE SUN STANDING STILL IN THE DAYS OF JOSHUA rationally accounted for, &c.

id est,

SOL, TEMPORE JOSUÆ RESISTENS, RATIONI congruenter expensus per A. O. L. L. D.

Londini, 1739, 8 maj.

Plag. 3.

Libellus hic neque in *Capita* divisus est, neque partes minores numeris insignit. Principio Autor sibi ab amico propositam

positam esse quaestionem ait, non ut laqueis involveretur, sed ut veritas enodaretur quaestionis: *an Sol Jofua temporibus diutius eodem in loco restiterit, nec ne.* Videri quidem rogationem talem homini a Christianis sacris alieno magis convenire, quam Christiano; sed verum tamen citra periculi metum exquirendum esse. Quaestionem enim hanc ne ab illo quidem scriptore recte esse solutam, qui proxime ad eam rem ingenii & doctrinae copiam attulerit. Quæri enim hoc unum: *an, quod Jofua scripsit, vere fuerit miraculum.* Si fuit, maximum certe esse dicit Autor post creatum mundum, quia forma totius mundi immutata, & decursus naturæ non modo impeditus, sed etiam distractus, fuerit. Quam ob rem omnes Astronomorum observationes in irritum ceciderint ac perditæ sint. Sin *Jofua* sermo aliter, quam literæ postulent, accipiatur, & accipiendus sit, nihil omnino miraculi hic signari credit Autor, propterea quod duæ propositiones istæ sint contradictoriæ. Jam Autor ait, certa & vera miracula firmamentum esse religionis divinæ certissimum & germanissimum; nec sine illis causam esse nobis illius ut divinæ amplectende, quamvis sit moralibus perfectionibus suis digna. Sin indigna sit; miraculis eam dignam effici non posse, neque illam divinitatis evidentiam gigni. Sine miraculis purissimam revelationem a naturali cognitione distinguere non posse, quanquam ut optimum virtutis subsidium commendetur. Divina igitur potentia divinam firmari legationem, teste Christo *Jo. 1, 38.* At certam miraculorum fidem semper judicari ratione plana, præjudicatis opinionibus libera, nec partium studio districta. Miracula si probari non possint circumstantiis haudquaquam dubiis; facta ista putari non posse miracula, neque ita accipienda, sed vel pro commentitiis, vel vulgaribus, & naturalibus, factis habenda, quæ revelationi subvenire non possint. Fidem revelationis enim pendere non posse a commento, vel imaginatione, sed ab evidentia vera, haud dubia, & rerum naturæ propria. Jactis his fundamentis, Autor negat, solis permansionem in eodem loco ad legationem *Jofue* probandam pertinuisse, & rem hanc solam satis esse caute, dicit,

eur miraculum illud nullum fuisse putetur; cum præsertim circumstantiæ ipsæ miraculum suspicari non jubeant. Si enim sol eodem in loco unquam diutius restitisset, rem hanc omnibus gentibus terræ Canaanæ circumfufis, Ægyptiis præsertim & Chaldæis, in oculos necessario incurrisse, & curiose annotatum fuisse. Nullam autem ejus observationis mentionem usquam extare. *Herodoti* quidem narrationem de solis cursu ex occidente in orientem converso, & *Thyestes* epulas averfato, nihil habere cum diurniore solis statione commune, sed potius cum reditu solis in horologio *Achasi* temporibus *Hiskia*, quod ipsum tamen miraculum de luminis & umbræ, quam de solis, conversione interpretari Autor mavult, propterea quod legati Babylonii venerint inquisitionem de miraculo, in *Hiskia* regione facta, 2 *Paralip.* XXXII, 31, & fides *Hiskia* reditu solius umbræ factis jam firmari potuerit, etiamsi tota cæli forma mutata non sit. Et, cum mox admonuisset Autor, discrimen esse harum duarum propositionum, *sol stat, & sol occidere non properavit*, retulissetque ecclesiasticam, ostendit, solem Gibeæ, & per consequens a tergo *Josua*, ortum esse, lunam contra tum luce plenissimam mediterraneum mare versus ex Ajalone abisse. Hinc Autor concludit, solis stationem non necessariam fuisse, neque Israelitarum cupiditatem ultionis hostium miraculo indignisse, nec *Josua* tantum miraculum omnino expectandum fuisse. Poetas quidem, citra necessitatem Deum ex machina producentes, irrideri. Mox disputat contra verba Historici, qui, nunquam a Deo obeditum, scripserit, homini. Et Scripturam ipsam prodere causam, cur dies ille *Josua* similem sibi non habuerit, quia *Dominus pro Israelitis propugnavit*. Denique, verba de sole stante e cantico *Josua*, auxilium divinum prædicantis, deprompta esse, conjicit Autor, ac proinde ex poetica magniloquentia interpretanda putat. Provocat hanc in rem ad *Deborah* canticum *Jud. V, 20*, & versionem Anglicam, quæ silentium solis memoret, stationem non memoret. Ita ergo tenebrosum Scripturæ locum illustratum, objectionem infidelium infirmatam, & divinæ veritati honorem servatum esse,

credis

credit Autor. Veriori tamen interpretationi se cessurum, pollicetur. Cardio questionis versatur in positione solis ac lunæ, quæ etiam conjunctissima, saltem non nimis longinqua, existimari potest. Præterea cogitanda sunt infirmitas *Josua*, ejusque peditum, armorum inopia & brevis usus, multitudo & exercitatio hostium instructissimorum, cum peritia locorum, aeris, tempestatum, ac fiducia munimentorum, quibus ex rebus difficultas victoriæ, prædæ, ac spoliolorum, diuturnitas belli, metus iterandorum præliorum & multorum periculorum, adversitatum, querelarum, cum desperatione prosperi eventus, nasci prævidebantur. Quæ omnia mentem *Josua* ad preces ac necessitatem expetendi singularis auxilii divini concitabant. Ita concidunt jam gravissima Autoris argumenta. Præterea, cum Scriptor sacer spatium illius diei non desinierit, nos id definire, insulsum fuerit. Longius solito fuisse, certum est, quia Deus optationem *Josua* exaudisse, sol in medio cælo *Josua* adspectabili restitisse, nec aere nubilo & tenebroso consuetum decursum urfisse, nec dies iste æqualem sibi unquam habuisse, dicitur. Fidem miraculi omnem elevare profecto non licet, quia historiam narrat Scriptor sacer, non carmen magniloqui Poetæ, nec particulam carminis audacioris. Verba Hebraica וַיִּשְׁתַּחֲוֶה יְהוֹשֻׁעַ אֶת-פְּנֵי יְהוָה possunt illa quidem aliter atque aliter accipi; sed accipienda tamen sunt pondere totius sermonis digne. Admirabilis diei illius longitudo per potentiam divinam facile potuit cum subsequenti dierum spatiis compensari, ne observationes Astronomorum, si tanti sunt, periclitarentur. Sed, benignitatem Dei erga suos fato quasi cuiusdam & naturæ necessitati adligare, iniquum est. Periculosissima denique interpretandarum miraculorum ars & ratio est illa, quam Autor in testificatione & confessione externorum scriptorum querit. Quasi vero certa non sint, quæ ab externis scriptoribus non sint testata. Ita enim creatio mundi, diluvio *Noachica*, pleraque *Mosis* & *Christi* miracula, vel neganda omnino, vel infirmanda, erunt. Tacemus alia momenta, quæ brevis nostræ non capit.

Johann Jacob Moseri Teutiches Staats-Recht, 10.

id est,

JOANNIS JACOBI MOSERI JUS PU-
blicum Germanici Imperii.

Tomus III & IV.

Lipsiæ & Ebersdorf, apud Bernh. Ehrenfrid. Vollrath,

1740 & 1741, 4.

Tom. III Alph. 3 plag. 3, Tom. IV Alph. 2 plag. 22.

- Qui primam nuper & secundam scotos, nomine Moseriano digni, recensuimus Partem, ad tertiam & quartam nos jam convertimus. Continuat Illustris Autor in Tomo tertio Li-
 Pag. 1. brum secundum, & Capite XI de Titulis Imperatoris Romani, & de stylo curiali erga externos recepto & usitato, agens, origines scrutatur vocum Cæsaris, Imperatoris, controversiasque, de hoc titulo cum Græcis Imperatoribus aliquoties ortas, recenset. Moris erat, ne Reges olim, ab Electoribus electi, titulo Imperatoris prius uterentur, quam Romæ coronati essent, usque dum Maximilianus I, etsi non coronatus Romæ, tamen Imperatoris nomen A. 1507 sumsit, quod & ipse Julius II, Pont. Max. probavit. Morem hunc, optimo jure receptum, secuti servarunt Imperatores, indeque hodiernum fit, ut post coronationem peractam statim electus se nominent Imperatores, eoque satis indicent, electionem omne jam Imperii jus ipsis tribuere. Præter Imperatorem Romanum, magnum Imperii Ottomannici Sultanum eodem titulo superbire, eidemque ab Imperatoribus Romanis, vi pacti, A. 1606 inter Rudolphum II & Achmetem I sanciti, hunc tribui constat, unde & in pace, inter utrumque, Occidentale & Orientale, Imperium A. 1718 sancita, formulæ: S. C. Imp. Majestas, & Ottomannorum ac Asia & Græcia Imperator, &c. occurrunt. Sed gravior progeminavit contentio de eodem titulo, magno Russorum Autocratori tribuendo, & A. 1721 a Petro I adoptato; cujus tamen componendæ ea Viudobonæ ratio fuit inita, ut Russica Majestatis

jestatis titulus quidem, nunquam vero *Casaris*, aut *Imperatoris*, concederetur. Præter hosce *Imperatoris* & *Electi* titulos, *summum Imperii, Romani* scilicet, *caput* aliis salutatur, nec non *semper Augustus*, quod vocabulum satis obscure in lingua vernacula verbis: *Allezeit Mehre des Reichs*, exprimitur. Anneditur porro, & quidem veri admodum simili conjectura, a *Aleximiliani I* tempore usitatus, titulus *Regis Germanie*, quem longa terrarum patrimonialium recensio comitatur. Reliqua, quæ de salutationibus, titulis, & subscriptionibus, ab exteris erga Imperatorem, vel ab hoc erga externos, adhiberi solitis, in eodem *Capite* proferuntur, digna sunt, quæ legantur. *Capite XII*

III. Autor de insignibus Imperatoris, ejusque sigillis, agit, aquila scilicet nigra, expansis alis, bicolli, & hicipiti, cujus unum caput Orientem, alterum Occidentem, respicit, utrumque aureo circulo radiat, rostrum & crura croceo tinguntur, dextra ungula sceptrum & gladium, sinistra pomum Imperiale, tenet, capiti corona imposita est. Omnia hæc in campo aureo conspiciuntur. De corona, super capite aquilæ volitante, asserit Autor, *Carolus V* eam primum addidisse. De ordine Imperatoris, ejusque legatorum, & reliquis prærogativis ejus præ aliis Europæ Principibus, agens Autor, & miras variorum de Imperatore, summo orbis capite, sententias referens, optimo judicio discernit, primum esse eum inter pares, nullum vero dominium vel jurisdictionem in reliquos attingi ei posse. Primum locum ne quidem in Residentia sua exteris concedere Regibus Imperatorem, varia monumenta probant, interque ea ultimum adhuc anni 1732, quo *Fridericus*, Borussia Rex, ut *Carolus VI* Imperatorem viseret, ad thermas Carolinas venient. Soli tamen Pontifici, ob singularem reverentiam, aliquoties loco cesserunt Imperatores. De Legatis primi ordinis certum est, locum eos occupare eorum, a quibus missi sunt; unde sequitur, Ambasciatores Imperatoris reliquorum Regum legatos antecedere. Optimum vero hujus, Imperatori Romano hodiernum competentis, præ reliquis Europæ Regibus præcedentiæ fundamentum in longæva possessione quarî debet; cum alia inter summa capita, omnigena & independente potestate radiantia, ces-

Pag. 53.

63.

71.

- Pag. 128. sionis ratio proferri vix possit. *Cap. XIV & XV* cerimonia, in aula Imperatoris tam in genere, quam in specie erga exterorum Legatos, haecenus usitata, cum illis, quibus Imperatoris Legati in aulis exterorum & Statuum Imperii excipiuntur, recensentur. Hinc ordine & copiose explicatis, *jura* porro *Imperatoris, ejusque obligationes*, longissima serie Ill. Autor scrutatur, & *Cap. XVI* jura ejus *personalia* & prerogativas illustrat. Summum est Imperator in Imperio caput, ideoque semper male habuit aulam Caesaream locutio *Corporis Germanici*, de Statibus Imperii prolata, & quae Imperator A. 1727 contra Legatum Gallicum, *Chavignium*, in singulari Commissionis decreto, hanc ob causam, declamaverit, inter omnes constat. Semper Imperatoris nomen praepositur nomini Imperii. In prima singularis persona Imperatorem alloquuntur Status Imperii, qui alias formula: *Nos* &c. utuntur. Vasallagium quidem praestant, non vero homagium. Ratione jurium & obligationum, quae Imperatori *intuitu totius Imperii, ejusque statuum membrorumque, competunt*, praenotari oportet, non absolutam ei competere potestatem, quin potius in singulis Capitulationibus paululum aliquid ei de novo decerptum deprehendi, a quibus tamen, tanquam solennibus pactis, recedere Imperatorem in nullo, ne quidem necessitatis, casu posse, recte contendit Autor, praecipue cum nunquam hodie desit opportuna, Electorum consilia exquirendi, occasio. Irrita itaque sunt ipso jure, vique clausulae cessatoriae, Capitulationi adjectae, quae pactis his contracta suscipiuntur. Exerit se vero regnandi majestas, Imperatori competens, quadruplici modo. Alia scilicet expedire potest *solus*, alia *adhibito Electorum consensu*, in aliis praeterea *aliorum Statuum monita* audiuntur; in reliquis tandem *omnium* requiritur *consensus*. Ea, quae *solus* peragere potest Imperator, *Reservatorum* nomine veniunt. Haec in sequentibus *Capitibus* ita perlustrat Excell. Autor, ut primo loco partes ejus circa Ecclesiam & religionem 1) intuitu Evangelicorum & Catholicorum in genere, 2) intuitu Evangelicorum, 3) intuitu Catholicorum in specie, enumeret. Conspicua sunt *reservata Imperatoris jura ecclesiastica circa religionem in genere,*

in rebus fidei, ut cuilibet religioni, in Imperio receptæ, saluti & Pag. 222.
 adjumento sit, in doctrinalibus autem ne decidat, eave mutet, sed
 operam potius det, ut, quantum fieri potest, dissidia, circa reli-
 gionem oborta, amice componantur. Porro ad Reservata Impe- 239.
 ratoris pertinet *concessio juris, Theologiam docendi, & Doctores*
Theologiae creandi, vel intuitu cultus divini publici, ubi curare debet, 244.
 ne nova Agenda, preces, missalia, aliave, inducantur ordinem-
 turve, quibus publicæ religionis securitas lædi, turbæ concitari,
 juraque Imperii ullo modo lædi possint, quo jure nifus *Carolus*
VI Imp. sapientissime & severissime suppressit A. 1729 officium
ecclesiasticum, Gregorio VII P. M. ad 25 Maji dicatum, in quo
nimis acerba legebantur verba: Contra Henrici impios conatus
fortis: per omnia athleta impavidusque permansit, seque pro muro
domus Israel ponere non timuit, ac eundem Henricum, in profun-
dum malorum prolapsum, fidelium communionem, regnoque, pri-
vavit, atque subditos populos fide ei data liberavit. Neque om-
 misit Illustris Autor Jura Imperatoris in convocatione *Concilio* 248.
Nationalis, vel quorundam tantum, qui de religione collo-
quantur, cujus utriusque casus tamen vix usus, varias ob incom-
 moditates, ulterius se exeret. Competit ulterius Imperatori 257.
jus, tam Evangelicos, quam Catholicos, imo & ipsam Sedem Apo-
 stolicam, seu Pontificem M., *protegendis, & quamlibet par-* 262.
tem in possessione legitime acquisite defendendis, injuste ve-
 ro ablatorum recuperationem adjuvandi, *cavendique, ne in-* 275.
ter diverse religioni addictos inimicitia oriantur. Magis ve- 278.
 ro anceps ea est quæstio: An & quatenus Imperatori Jurisdi- 291.
 ctio ecclesiastica tribui possit. In negativam sententiam totus
 hic transit Autor, & contra *Lynckerum* asserit, Imperatorem Ju-
 risdictionem ecclesiasticam Papæ & reliquo Clero a longo tem-
 pore jam permisisse; ratione Evangelicorum vero nullam un-
 quam ei competiisse. Aliud magni ponderis est jus, Impera-
 tori proprium, *Commissarium mittendi, qui ejus nomine inter-* 297.
sit electioni Archiepiscopi, Episcopi, aut Abbatis, quod ex pa-
 tro; inter Imperatorem *Henricum V & Calixtum II, Pont.*
Max. A. 1122 firmato, promauat. Integrum quidem est
 hac occasione Imperatori, commendare Candidatum, non
 vero

vero denominare aut designare aliquem potest. Exclusivam interim, ut vocant Canonistæ, Imperatorem Candidato dedisse, illustre probat exemplum *Furstenbergi*, in Archiepiscopatu Colonensi A. 1668 d. 14 Jul. obveniens. Simile moliebatur quidem Cæsar A. 1706 in Episcopatu Monasteriensi, dum, ne Episcopus Paderbornensis postularetur, omni modo contenderet, qui tamen, non observato Imperatoris dissensu, Bre-

pag. 325. vi Eligibilitatis munitus, eligebatur. Affine huic est *jus primariorum precum*, quod varii Imperatores, *Fridericus III*, *Maximilianus I*, & secuti, indulto prius a sede Romana obtento, exercuerunt. Cum vero Imperatores *Leopoldus* & *Josephus* illud, non prius petita concessione Pontificis, exercerent, graves A. 1706 a Nuncio Apostolico & ipso Pont. Max. excitatæ sunt lites, ita demum compositæ, ut Imperator in literis, quibus de peracta sua electione Sedem Apostolicam certiore facit, generalem tantum petitionem inspergeret. Inde & literis *Caroli VI*, Romam missis, verba: *Simulque, uti confidimus, solitos benevolentia fructus nobis impertiat*, inserta fuerunt. Ab hisce

418. primariis precibus differunt *Diplomata Visitationis*, *Panis-Briefe*, quæ & Laicis conferri solent, quorumque effectus non, uti in illis, suspenditur. Ceteroquin Imperator jus hoc in omnibus Cœnobiis utriusque sexus, immediatis & mediatis, sed non nisi semel, exercet. Dare vero preces primarias potest omnibus, quos gratia sua exhilarare vult, egeni sint, an divites. Ad *Reservata* Imperatoris porro referendum est *jus, de Nobilium Ecclesiasticorum qualitate, aut majorum qualitate, cognoscendi, & Ecclesiasticos immediatos de terris suis & Regalibus investiendi*. Unde & Clericus, Catholicæ religioni addictus, contra Imperatorem & Imperium mala forte moliens, ab Imperatore non quidem judicari, & dignitate sua privari, at terris immediatis post Comitialem adhibitum consensum exui, potest. Quænam vero partes sint Imperatoris in *Festis ordinandis*, *Cap. XXXVIII* exponitur & judicatur. Merito eorum ordinatio inter jura circa sacra refertur, quia totius interest Imperii, ut festa rite ordinentur, & tranquille celebrentur. Satis vero notæ sunt lites, A. 1724 circa

Paschasos

celebrationem, inter diversis sacris addictos obortæ, quæ admodum copiose recensentur, sed ob nondum secutam decisionem Comitalem A. 1744, 1778, & 1798, atque adeo ter adhuc hoc ipso Seculo, metuuntur. Hisce generalibus circa sacra juribus enucleatis, in *Cap. XXXIX* ea tangit Autor, quæ Imperatori ratione investituræ, Statibus Ecclesiasticis, Evangelicam religionem profitentibus, dandæ, competunt. Ordinat nempe *I. P. O. Art. V §. 21*, ut Augustanæ Confessioni addicti, qui sunt Archiepiscopi aut Prælati electi aut postulati, postquam intra annum a die electionis juramentum præstiterint, investiantur, ultraque taxæ ordinariæ summam dimidium pro infeudatione pendant. Quin imo, ratione Catholicorum Imperatori varia adhuc superesse jura satis eminentia, constat; in *electione* nempe *Pontificis*, dum certis exclusivam dare potest Candidatis; porro ratione *gravaminum Catholicorum contra sedem Romanam*; item ratione *Legatorum a latere, vel Nunciorum Sedis Apostolicæ*, ubi jure postulat Imperator, ut Nuncius, priusquam mittatur, ipsi nominetur, quo sciat, utrum gratus sit, an recusandus. Imo ipse Imperator nominare potest, quem mitti optet. Ratione *Cardinalium* Imperatori jus competit, Candidatum nominandi, idque probat Autor exemplo, quod contigit A. 1737, Eminentiss. Episcopi Pallavientis, adhuc viventis, atque, hujus prærogativæ antiquissimum vestigium in *Caroli IV* Imp. tempore deprehendi, docet. Nominat porro Imperator ex more inter Catholicos Principes recepto Protectorem Nationis Germanicæ ex Cardinalium numero, qui ex more antiquo per singulos annos 3000 solvuntur Scutata. Animadvertendum porro est Imperatori, ne *judicia ecclesiastica Catholicorum* vario sub prætextu causas seculares aliasve ad Nuncios vel Curiam Romanam trahant, sive hoc fiat in prima instantia, sive appellationis modo, de quo abusu per aliquot secula satis acerbè conquesti sunt Status, imo A. 1417 cum *Martino V* de istis abusibus & attentatis tollendis concordarunt quidem, sed frustra semper allaborarunt. Nunquam enim stetit promissis Curia Romana, prout gravamina nationis Germanicæ, *Maximiliano I* A. 1510, aliaque A. 1523, exhibita, satis superque testantur. Imo, ne

Pag. 551.

558

568.

Tom. IV

pag. 1.

15.

- hodiernum quidem plene cessare ea, variis exemplis probat III.
100. Pag. 56. Autor, indeque ulterius perpendit jura Imperatoris *intuitu Cleri Catholici*, quatenus, exempli gratia, minus arroganter quendam temporalibus beneficiis privare possit; intuitu *Ordinum militarium, ecclesiasticorum, aliarumque societatum ecclesiasticarum*, & ratione privilegiorum, ab eo obtentorum; intuitu *amortizationis*, dum Status, præcipue minoris potestatis, edicta Imperatorum sibi procurare possint prohibitoria, de non alienando bona immobilia ad manus mortuas, aut si talia forsân titulo vel lucrativo, vel oneroso, transferantur, ut contributiones, solvi solite, ad ærarium publicum ulterius a Clericis solvantur. Tandem & jura Imperatoris ratione *infidelium, fanaticorum, & imprimis Judæorum*, lustrat.

101. Post absoluta, longa hac serie, jura & obligationes Imperatoris intuitu religionis & rerum ecclesiasticarum, in *Cap. L* ad secularia transit III. Autor, eaque solita sibi perspicuitate ita proponit & dijudicat, ut 1) monstrat, quænam Imperatoris sint jura circa actus gratiæ & justitiæ intuitu omnium Statuum Imperii, aliarumque personarum immediatarum; 2) quænam ei competant ratione terrarum & subditorum Statuum Imperii; 3) quæve sint partes ejus præcipue intuitu certarum classium Statuum Imperii, & immediatarum Imperii personarum; 4) quænam jura & obligationes ejus sint intuitu Judiciorum & Imperii feudorum, imo & ipsius Imperii, quatenus tanquam Corpus consideratur; 5) jura & obligationes erga externos. Primum inter actus gratiosos, ad Reservata Imperatoris referendos, locum obtinet *jus conferendi dignitates*, tam personales, quam reales. Reges olim appellasse Imperatores, satis notum est, & *Fridericum II* A. 1245 Austriæ Ducem, ejusdem nominis, eodem honore, eodemque nomine, condecorasse, sunt, qui affirmant. Initium temporis, quo domus Austriaca Archiducis titulo uti cœperit, liquido determinari non potest. Ducis, Burggraffii, Landgraffii, Marchionis Palatini, titulos Imperatores frequentius contulisse olim, exemplis probatur, hodie autem nova eorum concessio deprehenditur rara. Principalis axiomatis suffragium frequentius occurrit. Comitum princi-

principalis dignitatis, *Gefürsteter Grafen*, denominatio nova hodie itidem extra usum esse videtur; frequentius dignitas Comitum, Baronum, Nobilium, &c. defertur. Cum vero *Ferdinandi II* tempore tota res in abusum fere verti videretur, postularunt Status, & novioribus inseruerunt Capitulationibus, ne novæ dignitates, nisi bene meritis, neque in præjudicium aliorum, conferrentur, de quo ultimo præcipue Rex Daniæ contra Comites Schaumburgenses, Duces autem Saxonie, & præcipue Domus Vinariensis, contra Schwarzburgenses, multa conquesti sunt. Ceteroquin novæ hæc dignitates familias tantum ornant, non vero in dubio voti & sessionis in Comitibus prærogativas tribuunt. Pergimus ad *jus, Statibus aliisque Imperii immediatis titulos largiendi*. Electores in ultimis Capitulationibus titulum Reverendissimi & Serenissimi, *Hochwürdigste und Durchlauchtigste*, sibi stipulati sunt. Titulum Regiæ Celsitudinis Dux Sabaudie A. 1633 proprio quidem ausu sibi arrogaverat, sed non nisi anno demum 1690, accedente agnitione Imperatoria, quiete possidere cepit. Eundem titulum Imperator A. 1726 Duci Holstie lineæ Gottorpiensis concessit. Reliqui Imperii Principes *Hochgebohrne* ab Imperatore compellantur, exceptis tamen quibusdam, quos Imperator titulo *Durchlauchtiger* insignit. Comitibus appellatio *Hoch- und Wohlgebohrne* propria est, cui assimilatur Latina denominatio *Illustris & Magnificus*, prouti ex Diplomate quodam evincit Autor. Sequitur *jus, insignia concedendi & emendandi, facultatem, cera rubra ut signare quis possit, largiendi*. Cera ad Seculum usque XIII Sigillis adhibita passim alba fuit, vel sublutea; rariuscule apparet viridis, rarissime rubra; hodie tamen jus hoc sine dubio omnibus, superioritate territoriali præditis, proprium habetur, reliquis vero mediatis, Collegiis, &c. in dubio per privilegium conceditur. Porro memorari merentur *jura, dignitates & officia variis generis concedendi*, v. g. Comitum Palatii Lateranensis, &c. *privilegia dandi innoxia, & tertio præjudicium non inferentia, licet negari non possit, moratoria, ab Imperatore obtenta, semper creditoribus noxiam dare; privilegia, a Statibus obtenta, confirmandi, & transcribendi, seu transferendi, quale exemplum allegat Ill. Autor de Ducatibus*

Pag. 190.

209.

217.

222.

248.

304.

319.

- Bremæ, Verulæ, & Sacerini, intuitu quorum privilegium de non appellando, & electionis fori, Success in Pace Ombrogeni de omnibus provinciis in Imperio, quæ tum temporis cedebantur, datum, simul in Electores Brandenburgicum & Hannoveranum cum ipsis provinciis transcriptum est; *privilegia explicandi*
- Pag. 326. & *extendendi*, vel etiam, si jus tertii aut tranquillitatem publicam lædant, *amovendi*, &c. Jura Imperatoris *in causis judicialibus Statuum, aliorumque immediatorum*, emulicant, usum & vigorem eorum ostendit *in cognitione & adjudicatione litium, super titulis & insignibus, vel circa procuriam, oborturam*. Inter Electores ordo præcedentiæ bene ordinatus, & extra contentionem politus est, sed eo graviores, & per secula jam continuatæ, factisque acerbæ, fervent lites inter Status in Comitibus, aliisque datis occasionibus inter universas Statuum classes. Contendunt enim Electorum Legati cum Principibus utriusque ordinis, & horum Legati inter se. Eadem movetur lis inter Prælatos, Comitibus, Civitates immediatas, & Nobilitatem Imperii immediatam, &c. Justitiam porro exercet Imperator *in Austregis dandis, vel si moratoria aut persecutoria, conservatoria aut salæ guardia, concedantur, sub quo salæ guardiæ nomine Autor hoc loco non intelligit milites, in securitatem datos, sed specialem protectionem, qua Status, aut alia immediata persona, in cuius territorio vel vicinitate bella aliæque motus oborti sunt, fruantur, eo effectu, ne ex pabulationibus, incurSIONibus, edloccationibus, aliisque exactionibus illicitis, damnum sentiant; qua obtenta, insignia imperialia portis, pontibus, aliisque sinibus, affigi, vel nomen & titulus Imperatoris inscribi, solet. Transit Autor ad Imperatoris jus, privilegia contra arresta dandi, juramenta relaxandi, &c. Hisce bene consideratis & explicatis, novum Autor aperit campum, rebus maximi momenti repletum, dum jura scilicet illustrare incipit, quæ Imperatori competunt in terris Statuum Imperii, aliorumque immediatorum, præcipue in causis 1) ipsius regiminis, 2) justitiæ, 3) belli, 4) Cameræ, 5) Politicæ. Quod ad primum, Imperator in casu, si inter plures competitores provinciæ cujusdam secularis lis de successione dubia oboritur, curat, ut justitia bene interim administretur, uni*
- fortan

forſan ex partibus litigantibus poſſeſſio interimistica tribuatur, vel certo collegio ea ſuo, id eſt, Imperatoris, nomine concedatur. Vel provinciam aliis vicinis in ſequeſtrum dat, vel ipſe ſequeſtrum conſtituit; quo ultimo tamen caſu acerba aliquoties lites oborta ſunt, e. g. in caſu Juliacenſi, Pinnebergenſi, &c. Eodem modo & in caſu, ſi Status Imperii Secularis, banno Imperii notatus, terris ſuis privatur, Imperatoris eſt, ut de ſalubri earum regimine, quamdiu bannitus vivit, curet. In *cauſis* Pag. 5 5
juſtitie major olim Imperatoris poteſtas in Statuum provinciis fuit, quam hodie. Interim hoc ſicentium Receſſus Imperii, ali- que Imperii Concilia, nomine ejus quodammodo publicantur. In *cauſis belli* præter juſ, ut exercitus Imperii, urgente neces- 507.
ſitate, per Statuum territoria, innoxio tamen modo, tranſeant, parum Imperatori tribui poteſt. In *Cameratibus* nihil fere hodie Imperatori in Statuum terris competit. Ratione *Politie* au- 513.
tem omnino curam habere debet ſloris commerciorum, ne no- vis tributis, telonibus, aliisve, turbentur ea, monopolia ne concedantur, aut libri ſeditioſi imprimantur, curet vero, ut moneta optimi ætis & modi eudatur, reproba eſciatur & delea- tur. Hæc ſunt argumenta *Lib. II & III*, quæ leviter tantum ob inſtituti noſtri brevitatem perſequei potuimus, ut Lectori bre- viſſimis oſtenderemus, quantum occupatam utilitatemque ex ipſa Operis perſtratione ſperare poſſit. Proxime ſequentes dabimus *Tomos*.

**GEORGII MARTINII, M. D. DE SIMI-
 libus animalibus, & animalium calore,
 Libri duo.**

Londini, impenſis A. Millar, 1740, 8 maj.

Pag. 19.

Novum, idque arduum, opus aggreditur Autor, quan- do in libro hoc corpora animata geometricæ, mechani- cæ, & hydraulicæ, inter ſe comparare, & omnia, quæ his, ge- neratim conſideratis, conveniunt, ratiocinio ſimplici & facili, ex principiis itidem ſciſſimis ſimpliciſſimisque deducere, ma- xima præſertim diligentia, & ſingulari mentis acuminè, labo- rat.

rat. Nimirum *Pythagoram, Euclidem, Galilaum, Keplerum, Newtonum*, aliosque, qui in rerum & numerorum proportionibus excolendis mirificam posuerunt industriam, & cœli terræque opera hinc quam pulcherrime illustrarunt, imitatus, ipsemet concinnæ huic, quæ tam late patet, rationum doctrinæ, simulque medicæ adaugendæ scientiæ, operam aliquam inde a primis studii sui medici annis addicere, & hoc consilio leges ac rationes virium motuumque solidorum ac fluidorum, quæ insunt animalibus, magnitudine, utcumque lubet, diversis, quæ simili tamen fabrica & constitutione prædita esse supponuntur, expendere, ac simul inter se comparare, idque feliciter admodum, instituit. Ex illa igitur animi contentione natum esse intelligimus hunc de similibus animalibus, eorumque calore, librum, qui proinde generalem animalium, abstracte consideratorum, sistit considerationem, nec veris applicandam animalibus, nisi quatenus Geometriam, & accuratam Mechanicam, applicare solemus corporibus machinisve similibus, vel potius fere similibus, arte nostra fabricatis, & propterea imperfectis, minusque accuratis. Discrepantiis itaque minoribus neglectis, si nullæ præter tales adsunt, illa corpora tanquam perfecte similia considerans, majores interim, si quæ sunt, differentias, harumque effectus, quasi totidem æquationes, Astronomorum more, secundo ex ipsa rerum natura, & phænomenis, examinare solet. Rationes ergo virium motuumque corporum, & machinarum, quæ vita fruuntur, primario applicandas proponit animantibus, fabrica quam proxime similibus. Quæ eadem rationes, sive regulæ, & aliis convenire queant, si modo ex structuræ anomalis, scilicet collatis, harum anomaliarum, a generali similibus regula desistentium, effectus rite expendantur; quemadmodum leges plane absolute motus corporum perfecte durorum, mollium, elasticorum, & fluidorum, aliæque hujusmodi, satis accurate sibi determinare videntur Physici, atque hinc corporum in concreto motus, sine sensibili errore sibi mutuo, istisque conferre solent legibus, quanquam nulla apud nos corpora vel perfecte dura, vel omnino mollia, nullave prorsus elastica, vel perfectissime fluida, in
rerum

rerum natura reperiuntur. Quarum pulcherrimarum contemplationum de generalibus actionum motuumque corporum legibus cum usu & experimentis contentus tunc oritur, quod conclusiones, ex legibus generalibus elicitas, Philosophi per æquationes corrigere conantur. Quorum proinde exemplum in sequentium de similibus animalibus regularum applicatione & ipse imitatur, acque aliis etiam ad imitandum in hisdem applicandis commendat. Quæ quemadmodum ad cognoscendam totius argumenti instituti que rationem aliquantum copiosius edisserenda a nobis fuerunt; ita nunc propius ad librum ipsam admittimus lectorem, ut potiore veritatis, ab Autore ingeniosissimo eruta, partem uno velut obrutu comprehendere animo queat. *Libri* igitur *I*, qui de similibus agit animalibus, *Cap. I*, de eorum proprietatibus maxime generalibus, similia animalia illa appellat, quorum structura ubique similis invenitur, & quorum idcirco homologæ, correspondentes, similesque partes habent ad se invicem eundem situm & proportionem, acque hisdem usibus & operationibus inserviunt. Præterea partes illorum constituentes, quæ sibi mutuo respondent, natura & constitutione elementorum easdem, id est, solidas, solidis, fluidas fluidis, ubique densitate & gravitate specifica, particularum cohesionem, &c. similes supponit, hisque constitutis, demonstrat, soliditates, superficies, longitudines, quarumcunque correspondentium partium, in similibus animalibus esse ut integrorum animalium soliditates, superficies, acque longitudines; moles seu pondera similiarum animalium, vel suarum partium homologarum, esse in triplicata ratione suarum longitudinum vel latitudinum, vel magis generaliter distantiarum inter duo ipsorum correspondentia puncta; superficies similiarum animalium, vel suarum partium homologarum, esse in duplicata ratione similiarum in his distantiarum, item ut soliditates talium animalium ad istas distantias applicatas, hoc est, in ratione sublesquuplicata istarum soliditatum; in similibus animalibus similia orificia vel sectiones vasorum correspondentium esse in ratione sublesquuplicata magnitudinum istorum animalium; actiones vel pulsus cordium similiarum animalium æque frequen-

Lib. I
Cap. 1.
Pag. 6.

7.

9.

10.

11.

14.

- Cap. 2. frequentes esse. *Cap. II*, de motibus & viribus sanguinis simili-
 Pag. 15. lium animalium, probat, in singulis cordium similium anima-
 lium pulsibus naturalibus, & ab externis causis non perturba-
 16. tis, quantitates sanguinis ex illorum cavis in arterias ejectas esse
 ratione magnitudinum ipsorum animalium; quantitates sangui-
 nis eodem tempore ex cordibus similium animalium ejectas,
 & idcirco per quasvis ipsorum partes, vel correspondentium
 vasorum sectiones homologas, percurrentes, proportionales
 25. esse magnitudinibus ipsorum animalium, vel massis integris eo-
 rum sanguinis; fluida circulantia in ipsorum per similium ani-
 26. malium vasa trajectu similiter impediri; celeritates sanguinis
 fluentis per partes, vasorum sectiones, vel orificia correspon-
 dentia similium animalium, esse in horum ponderum ratione
 33. subtriplicata; in similibus animalibus, pertusis similibus, & si-
 militer positis vasis sanguineis, altitudines atque distantias, ad
 42. quas projici queat sanguis, ex iisdem profliens, esse in pon-
 derum animalium ratione sublesquuplicata; liquores, per vasa
 48. similium animalium commeantes, transire per homologas vias
 vel distantias in eodem tempore; absolutas vires circulantium
 fluidorum in respondentibus similium animalium vasis esse in
 magnitudinum animalium ratione sublesquuplicata; in similibus
 animalibus momenta integra sanguinis, per similes sectiones vel
 51. orificia correspondentium vasorum fluentis, esse in sesquitripli-
 cata molium eorum ratione; sanguinis intendentes pressiones in
 latera correspondentium vasorum similium animalium esse in
 horum molium ratione sublesquuplicata; pressiones integras
 sanguinis, in homologas portiones parietum vasorum corre-
 spondentium similium animalium esse in magnitudinum horum
 55. ratione sesquitripleta; vires, quibus similium animalium fluida,
 motu circulari propulsa, distendere valent sua correspon-
 56. dentia vasa, esse ut ipsorum animalium moles; sanguinis, in curvis
 vasorum sanguineorum locis circulantis, vires absolutas centri-
 fugas esse in magnitudinum similium animalium ratione subtri-
 Cap. 9. plicata. *Cap. III*, de vasorum similium animalium firmitate,
 Pag. 61. evincit, firmitates, quibus similium animalium correspon-
 dentia vasa suorum circulantium fluidorum laterali pressura resi-
 stere

stere valent, esse in magnitudinum animalium ratione subtri-
 plicata; majorum, quam minorum, similis fabricationis anima-
 lium correspondentia vasa ab impetu circulantium fluidorum
 distentioni & ruptioni magis esse obnoxia, atque hoc in magni-
 tudinum horum animalium ratione subsesquuplicata. *Cap. IV,* Pag. 68.
 de membrorum similium animalium velocitate motus, docet, Cap. 4.
 similes motus correspondentium membrorum similium anima-
 lium in iisdem peragi temporis spatiis; correspondentia simi-
 lium animalium membra, homologis musculorum actionibus
 mota, describere spatia, quæ sunt in subtriplicata ponderum
 animalium ratione; celeritates correspondentium membrorum
 similium animalium, similibus musculorum suorum actionibus
 motorum, esse in magnitudinum ipsorum animalium ratione
 subtriplicata; similia saluum sub eodem elevationis angulo,
 a similibus animalibus descriptorum, altitudines, amplitudines-
 que, esse in magnitudinum animalium ratione subsesquuplicata. 70.
Cap. V, de muscularibus similium animalium viribus, ostendit, 71.
 contrarietas vires correspondentium musculorum simi-
 lium animalium esse in harum molium ratione sesquitriplicata;
 vires absolutas corporum vel membrorum similium animalium,
 (vel etiam molium externarum,) similibus musculorum actio-
 nibus motorum, esse in magnitudinum ipsorum animalium ra-
 tione sesquitriplicata; altitudines, item distantias maximas, ad
 quas viri prorsus similes, & æquali in projiciendis corporibus
 dexteritate pollentes, projicere possunt magnas moles, ipso-
 rum animalium magnitudinibus proportionales, esse in earun-
 dem magnitudinum ratione subsesquuplicata; altitudines, item di-
 stantias, ad quas viri prorsus similes, & in jaculando æque dex-
 tri, projicere queant datam massam, aut discum, illorum viri-
 bus satis accommodatum, esse in magnitudinum virorum ra-
 tione sesquitriplicatæ duplicata; similia animalia similes saltus
 gressusve æque facile, sive æquo molimine, describere; impres-
 siones sive effectus integros in obicem firmum, similem, mol-
 lem, vel elasticum, a similibus actionibus correspondentium
 membrorum similium animalium productos esse in horum ma-
 gnitudinum subtriplicatæ quintuplicata ratione. *Cap. VI,* Pag. 79.
 de 87.
88.
91.
93.
101.
Cap. 6.

- Pag. 104. organorum similiarum animalium robore, confirmat, maximas
externas potentias, quales sunt pondera, &c. quæ directe sus-
pendi possunt, vel superari ope musculorum, tendinum, li-
gamentorum, aliorumque instrumentorum animalium, in ipso-
rum actionibus tanquam vestes operantium, esse in magnitu-
dinum similiarum animalium, quorum sunt organa, ratione sub-
sesquuplicata; in similibus animalibus vires, quibus ossa in ex-
ternis potentiis superandis fracturæ resistunt, esse in magnitu-
dinum animalium ratione subsesquuplicata; majorum, quam mi-
norum, similis structuræ animalium instrumenta, musculos, liga-
menta, ossa, &c. in superandis potentiis per similes musculorum
violentas actiones, ruptioni & fracturæ magis esse obnoxia, id-
que in magnitudinum animalium ratione subsesquuplicata. *Cap.*
VII, de mutationibus in fluida firmasque similiarum animalium
- Pag. 114. particulas per aduisionem ingestorum inducentis, docet,
si corporibus similiarum animalium ingerantur res quæcunque,
sive medicamenta, sive venena, &c. quorum quantitates sint
ut ipsorum animalium moles, tum similes prorsus has edere ef-
fectus, sive ex novis istis ingestis similes pati mutationes ani-
malia. *Cap. VIII*, de motibus & viribus aeris in respiratione si-
miliarum animalium, methodum, rationes motuum & virium ae-
ris in similiarum animalium respiratione determinandi, explanat.
- Lib. II. *Altero* hinc, de animalium calore, *Libro Cap. I*, de animalium ca-
lore generatim, quali caloris gradu tepescant animalia, homi-
nes præsertim, eaque, quæ humanam æmulantur fabricam, be-
stia, inquirat, & post plurimas accuratissime institutas observa-
tiones compertum habet, calorem suæ cutis elevare solere ar-
gentum vivum in thermometro *Fahrenheisiano* ultra gr. 97, non
raro ad gr. 98; alios homines ut plurimum eundem sui indica-
re calorem, quosdam paucillum altius urgere mercurium, &
totidem forte illum depresso rem relinquere; domesticas no-
bis esse calidiores, & ad gradus quasi 100, 101, 102, 103,
mercurium elevare posse, si thermometrum ipsorum undique
cingatur cutis. Ulterius paulum adhuc ipsum suo calore dila-
tare aves, ad gradus nimirum 103, 104, 105, 106, 107, &
ultra,

ultra, uti, factis periculis in anseribus, anatibus, gallinis, per-
 dicibus, columbis, &c. constitit. Præterea vero pluribus edis- Pag. 146.
 feris, motum vel circulationem sanguinis perennem esse veram
 causam coloris animalium; animantis calorem præcipue produ- 148.
 ci ab attritu motorum liquidorum in vasorum continentium la-
 tera; intensitatem caloris, ex datorum corporum attritu geniti, 154.
 esse in ratione relative celeritatis motus eorum, in se mutuo
 attritorum; liquidi, in canali moti, quantitatem attritus in istius 161.
 latera, calorem ad quamvis ejus sectionem generantis, esse in
 ratione composita celeritatis liquidi & diametri datæ sectionis;
 calorem fluidi, per canalem lati, ex perturbato particularum mo- 162.
 tu in omnibus datæ cujusvis sectionis locis uniformem effici;
 calores liquorum, per similes canales motorum, ab illorum in
 horum latera attritu genitis, esse ut quantitates attritus, calo-
 rem gignentis, ipsis canalium sectionibus applicatas. Cap. II, Cap. 2.
 de calore in variis ejusdem animalis partibus, conficit, in ra- Pag. 166.
 mificato canalium systemate, trunco nimirum in ramos, ramis-
 que in minores ramulos, & sic porro, ordinatim divaricatis,
 liquoris, per ipsos fluentis, calorem, ab attritu genitum, posse effi-
 ci vel omnino æqualem in omnibus, vel etiam, per quancun-
 que velis, rationem inæqualem, secundum varietatem ipsius di-
 varicationis; calorem in variis partibus animalis sani, ab aere ex- 168.
 terno non frigentibus, ullove modo mutatis, naturaliter esse
 fere æqualem. In ramificato canalium systemate inveniri me- 179.
 thodo hic proposita legem divaricationis trunci in ramos, ut
 vasorum diametri transeuntis liquidi velocitatibus sint propor-
 tionales, atque sic æqualis in utrisque conservetur calor; arte- 185.
 rias corporis animalis disponi, & divaricari secundum talem le-
 gem, ut æqualis in trunco quovis ejusque ramis conservetur
 calor sanguinis, debita ubique velocitate fluentis. Cap. III, Cap. 3.
 de calore diversorum animalium, & liquidorum natura, & so-
 lidorum fabrica, similibus, manifestum reddit, in similibus ani- Pag. 206.
 malibus quantitates attritus circulantium fluidorum in respon-
 dentium vasorum latera, quo illorum gignitur calor, esse in
 magnitudinum ipsorum animalium ratione subsesquiplurata; ca- 207.
 lores uniformes sanguinis in respondentibus similibus anima-
 lium

- Pag. 210. lium vasis esse æquales; sanguinis, per similitum animalium arterias trajecti, velocitates esse harum arteriarum diametris ubique fere proportionales. *Cap. IV*, de diversitate caloris animalium secundum varietates atque mutationes, solidis fluidisque nostri corporis illatas, ostendit, ceteris iisdem positis, calorem sanguinis secundum pulsus arteriarum magnitudinem variari; calorem sanguinis animalium, ceteris paribus, pulsuum sequi frequentiam; a strictura & arteriarum angustia multum dependere corporis nostri calorem; ceteris paribus calorem sanguinis mutari secundum varias ipsius quantitates; sanguinis calorem variationes subire secundum varietatem ipsius crassitiei, atque mobilitatis, neque minus ex variis aliarum rerum cum ipso miscelis; calorem sanguinis, iisdem motibus agitati, quodammodo mutari secundum sulphuream particularum constitutionem naturam; calorem sensibilem corporis animalis mutari secundum particularum sanguinis constituentium variam densitatem; calorem corporis humani, ejusque partium, secundum varias anni tempestates, aerisque, nos ambientis, vicissitudines mutari; calorem exteriorum partium in vigilantibus, interiorum vero in dormientibus, aliquantum intendi; calorem animalium secundum varias ipsorum ætates esse diversum. *Cap. V*, de caloris animalium differentia secundum sexus varietatem, viros mulieribus esse calidiores, contendit. Ceterum acutissimus Autor, algebraicis demonstrationibus frequenter insistens, ad methodum rigoremque Mathematicorum exegit omnia, ut, quantum chartæ typorumque nitore exterius placet hic liber, tantum interna sua pulchritudine, & doctrinæ soliditate, Lectores, earum rerum cupidos, ad legendum invitet.

CALLIMACHI HYMNI ET EPIGRAMMATA,
maximam partem ex interpretatione NICOD.
FRISCHLINI, & cum Scholiis veteribus. Adjectus est
LUCIANI Timon, sive Misanthropus, cum Latina ver-
sione ERASMI ROTERODAMI, & succinctis JO.
BOURDELOTII & aliorum Notis. In usum audito-
rum

MENSIS DECEMBRIS A. MDCCXLIII. 709

rum suorum edidit, præfatus est, & Indices addi curavit,
M. JO. FRIEDLIEB STÜBELIUS, Annæbergensis,
Scholæ Provinc. Portensis Conrector.

Lipsiæ, ex officina Breitkopfiana, 1741, 8 maj.

Plag. 18.

Plurimis jam scriptis, atque etiam librorum novis editionibus, nomen sibi, præter insignem studiosæ juventutis formationem, comparavit beatus nunc *Stübelius*. Præsertim autem festivæ illius Præfationes, quo polluit, ingenii præ se elegantiam ferunt. Etiam hæc ipsa, quæ præ manibus est, eo maxime nomine laudari meretur. Continet ea quærelas de *Callimacho*, ejusque scriptis. Sunt quidem nonnullæ de *Callimacho* quærelæ ad autores suos referendæ, quas quidem vel ideo tangit Noster, ut, quam leves sint ac nugatoriæ, cuiilibet pateat, & reliquas non omnino inanes esse, aut de nihilo, nemo non facilius intelligat. Huc pertinent, qui *βραχυλογίαν* ejus accusant, vel ingenium, magno Poetæ conveniens, in eo desiderant. Brevitatem quippe non sine causâ adamavit. *αὐτὸν, μέγα βιβλίον ἴσον εἶναι τῷ μεγάλῳ κεικῶ*, magnum librum magnum fere malum esse, existimavit. Maxime autem injuriæ in *Callimachum* sunt, qui eum ita natum factumque dicere audent, ut uberiora & ampliora proferre non potuerit; siquidem, ut *Ezech. Spaldemius*, *Lucianum* testem nominans, monuit, non semper fuit *βραχύλογος*, & quoties rei tractandæ argumentum id exigeret, latius se subinde diffudit. Eodem passu ambulant, qui ingenium in ipso desiderarunt, vel tumorem ejus, aut aliud nescio quid, vituperaverunt. Beato contra *Stübelio* primam quærelarum justiorum dolor, ex deploranda operum *Callimachi* jactura conceptus, expressit; quippe cum vix millesima operum ipsius pars ad ætatem pervenerit nostram. Multa nos non ignoraremus, de quibus vix obscurior fama duravit, & quæ tamen scire intererat omnium, nisi *Ἄστιον*, carmen, in quo causas variarum fabularum, rituum, & antiquitatum, exposuerat; nisi *Θαυμάσια*, in quibus mirabilia, per totum terrarum orbem obvia, collegerat; nisi *Ἱστορικὰ ὑπομνήματα*,

μῦθος, seu commentarii historici; nisi opus de Museo, quod
 Alexandriæ hominibus eruditis alendis primum instituerat *Pto-*
lemaus Philadelphus, & his similia, ab eodem profecta, tempo-
 rum injuria intercidissent. Præterea potiora tanti Poetæ car-
 mina, eaque fere omnia, quibus magnitudo ingenii ejus cen-
 feri poterat, sunt intercepta. Si vel alia ejus Poemata minus
 curaremus, Elegias tamen, quo in genere, *Quintiliano* teste,
 princeps ille fuit, dolere nos oporteret, cum, quæ *Vulcanius*
 & *Daceria*, *Spanbemius* deinde & *Bentlejus*, magno quidem stu-
 dio collegerunt, fragmenta sitim nequaquam expleant. Aliæ
Strübelii adjunguntur querelæ, quod nemo adhuc inventus sit,
 qui reliquiis *Callimachi* ad illustrandum librorum Novi Fœde-
 ris stilum voluerit uti. *Cur enim nefas sit* (verba sunt Theologi
 cujusdam, citati a *Bakhof. Stolbergio* in Programmate, quo Græ-
 carum literarum studiosos ad lectiones publicas, quibus Episto-
 lam *Pauli ad Ephesios* philologice interpretabatur, invitavit,) *vel*
apud Philisteos, Ebræorum exemplo, vomeres nostros & li-
gones ac rutra exacuerè, ut hisce instrumentis adjuti, agrum do-
minicum pallinare, omnesque glebas ejus frangere, & quo Apo-
stolus verbo usus est, οὐδὲν ἴσμεν, commodius possimus? &c. Non
 potest ergo mirari satis Noster, *Callimachum*, sacra in Hymnis
 suis tractantem, tanto studio, ut præ aliis sui generis Theologi
 nomen meritis sit, non dignum cupiam visum, ex quo lu-
 men sacrum verborum Christi & oratorum ejus contextui ac-
 cenderetur, cum *Ill. Spanbemius* in amplissimo, quo *Grævii*
Callimachum ornavit, Commentario, non uno specimine, quem
 usum præstent ejus carmina in antiqui Fœderis tabulis explican-
 dis, demonstratum dederit. Dat igitur & nobis novæ quere-
 læ occasionem *Cel. Editor*; promittit enim, fore, ut ejusmo-
 di laborem suscipiat ipse, inque publicum edat: quæ vero spes,
 post obitum *Strübelii*, non sine luctu nostro, decollasse vide-
 tur. Sed nec ipse querelarum adhuc finem facit. Publice præ-
 terea profitetur, se vehementer dolere vicem *Callimachi*, vel
 potius eorum, qui ex eo proficere potuissent, quod tam diu
 neglectus e scholis exulaverit. Ex quo enim *Nicod. Frischlinus*
 ætatem hujus Poetæ reliquiis admovit manum, sesquifeculum
 abiit

abiit cum triennio, intra quod spatium nemo de eo, ut scholasticæ juventuris usibus accommodatæ prodirent, cogitavit; hincque facile conjicimus, quamdiu his deliciis carendum fuerit literarum cultoribus. Cum vero *Dacia* is *Callimachus* visus sit, ex cujus lectione ad Græcæ linguæ studiosos, oratoricæ scientiæ cupidos, & antiquitatis amantes, tantus tamque largus fructus redundet, ut eum non pueri modo, sed & viri, non intelligere, sed etiam memoriæ mandare, debeant, idemque inter illos scriptores ab *Antonio Blackwallio* referatur, qui nunquam plane seponi debeant, siquidem toties eorum lectionem repetere operæ pretium sit, quoties cujusque otium id permittat; quid indignius erit; quam negligi tantæ utilitatis librum, & a juventutis erudiendæ oculis manibusque removeri? Habuit indidem curiosissimus *Stübelius*, cur, monitis præterea & parentis olim. & tunc *Cel. Freytagii*, accensus, libellum istum in gratiam auditorum iterum ederet. Ita vero hoc executus propositum est, ut, consultis optimis exemplaribus, quorum quidem copia fuit, quicquid in *Frischlini* editione Basileensi peccatum deprehenderat, eiceret, servata ejus versione, quæ simplicitate verborum se commendat, & captui juvenum est accommodata. Pro Notis, quibus carere posse Autores viva voce explicandos arbitratur, Scholia Græca adjecit, ne contextus plane nudus exhiberetur, & ut discentes, in aliorum hujus generis scriptorum lectione versaturi, ejusmodi veterum commentationibus, Græcæ lingua conceptis, mature assuescerent. Accessit *Timon Luciani*, ut etiam ab eo scriptore, quem Atticæ eloquentiæ exemplar sincerum esse, omnes fatentur, gustarent alumni appositæ dapes. Secutus *Lamberti Bartæi* exemplum, qui hunc Dialogum, Scholiis illustratum, Lugduni Batavorum A. 1651 evulgavit, eundem Noster seorsim, cum specimine *Lexici Lucianei*, prodromum quasi *Chrestomathiæ Lucianæ*, edere constituerat. Sed, cum sumptibus parcendum videret, mutato consilio, duo fercula uno missu apposuit. In hunc autem potissimum Dialogum incidit occasione *Pluti Aristophanei*, antea publice propositi, cujus expressum exemplar est, ut fufius laudatus modo *Bartæus* in Dedicacione illius Dialogi demonstravit.

vit. Nos autem, postquam monuerimus, in Dedicatione Gymnasium provinciale atque illustre Ruthenorum, quod Geræ floret, ut & Scholam Schlaizensem, temere Scholis Saxonice accenseri, finem imponimus versibus, imagini Poetæ, in ipsa libri fronte conspicuæ, subjectis:

Callimachi parva hæc magni ingens spirat imago

Ingenium, Naso quod putat arte minus.

Carmina volve viri, fuerit tibi magnus utrimque,

Arte ac ingenio. Major imago liber.

JO. FRED. GRONOVII, CELEBERRIMI Viri, Lectiones Plautinæ, quibus non tantum Fabulæ Plautinæ, & Terentianæ, verum etiam Cæsar, Cicero, Livius, Virgilius, Ovidius, aliique Scriptores veteres bene multi, egregie illustrantur, nunc demum editæ e MSto. Accedit Vita Autoris, nunquam ante typis descripta.

Amstelodami, apud Jo. Haflman, 1740, 8 maj.

Alph. 1 plag. 4.

Editor doctissimus, qui nomen suum reticuit, in Præfatione memorat, *Gronovium* scholas privatas in Autores Latinos primum Daventriæ aperuisse, easque Leidæ continuasse. Hinc pleræque ejus Commentationes enatæ, & *Plautinæ* imprimis *Lectiones*, quæ non sunt subito scriptæ, sed cum cura elaboratæ. Deinde fatetur, se eadem commentandi ratione pleræque scripta manu *Cuperi*, *Scherpenzellii*, *Gulichii*, & *Boschii*, possidere, itemque duplex exemplum commentationum in *Ciceronis Orat. Verrinas*, in *Epist. ad Familiares*, & *ad Atticum*, *Notas in Officia*, ex quibus *Grævius* & *Verburgius* quædam protulerint; porro duplicem Commentarium in *Ovidii Metamorphosin*, scholas privatas in *Senecam Tragicam*, observationes ad *Petronii Arbitri Satyricon*, & *Notas in Pap. Statii Thebaida*; præterea ejusdem *Gronovii* studio elaborata, *Cuperi* autem manu scripta, *Collectanea de vitiis Latini sermonis*; *Judicia Romanorum*, tam publica, quam privata, seu rationem tractandi apud Romanos

lites

lites & controversias; Syllabum Auctorum linguæ Latinæ, qui supersunt; *Justini* aliquot loca emendata; Persarum & Thebanorum Reges; *Legem 20 Digest. de Heredit. petit.* emendatam & explicatam; *Leges Tib. & Caj. Gracchorum, L. Apuleji Saturnini, & M. L. Drusi*, a *Gronovio* collectas. Prefationem sequitur vita *Jo. Fred. Gronovii*, qui A. 1611, 6 Id. Septembris, Hamburgi natus, patre usus est *Davide*, Canonico ibidem, deinde civitatis Bremensis Syndico. Adultior factus, se contulit in Academiam Altorfinam, Juris scientiæ operam daturus, sed altero anno post Groningam adiit ad audiendum *Anton. Matthæum*, qui vulgo *alter Papinianus* dicebatur, ubi non diu commoratus, Norimbergam repetiit, & præter Senatus Bibliothecam publicam, privatas *Georg. Richteri, Ulrici, Sauberti, Pirckheimeri, Rittersbusii*, perlustravit, & *Casparis Hofmanni*, Professoris Medici Altorfini, judicium, in dubia scriptione locorum, qui in Auctoribus classicis occurrunt, in consilium adhibuit. Inde Bremam reversus est, quæ, quia varia fortunæ vicissitudine erat commota, effecit, ut se Hamburgum reciperet, unde paulo post Hagam, ad secreta, ut dicere solebat, fori perdiscenda, migravit, non Leidam, ne eruditorum amulationibus, quæ erant inter *Claud. Salmasium & Dan. Heinsium*, immisceretur. Rixæ, agitæ inter tantos viros, recensentur. Hagæ cum esset, de sententia *Andree Riveti*, operam addixit *Isaaci Casauboni* Epistolis edendis, quæ, prelo subjectæ, ad decimum annum, ob dissensionem inter *Heinsium & Rivetum* ortam, conquieverant. Primus *Gronoviani* ingenii fortis erat *Diatribæ ad Statii Papinii Sylvæ*, cui se *Emericus Cruceus*, Monachus, opposuit, qui antea *Statium* cum *Scholiiis Lucatii* ediderat. Hinc in utramque partem Dissertationes luci publicæ sistebantur. In Angliâ non diu commoratus est, quod nulli extero Bibliothecam adire *Bodlejanam* liceret. Ex *Arundelliana* quosdam Codices contulit. Quo facto, in Galliam eodem anno exeunte navigavit, ibique Parisiensem Bibliothecam adiit, & consuetudine virorum doctrina illustrium usus est. Parisiis relicta, excurrit cum itineris comitibus in præcipuas Galliæ, ut vocant, provincias, & anno ætatis undetrigesimo

Pag. 18
seq.

gesimo Andegavi, agnatorum consilio, Doctoris Juris dignitate se ornari passus est. Inde in Italiam iter vertit, ex qua in locum *Mart. Schoockii*, qui Groningam abierat, ad munus Daventriæ Historiam & Eloquentiam docendi evocabatur. Re ibi domestica constituta, *Livium* observationibus illustraverat, de quibus *Salmasius* sinistre judicans, eas pro ingenii *Heinsiani* foetu venditaverat. Regina Sueciæ, *Christina*, ei favebat; Archiepiscopus & Dux Holsatiæ, *Jo. Fridericus*, dabat ei Vicariatum, quem vocant, *Bremæ*, ut reditus ejus studia adjuverent. Daventrienses, cum *Gronovii* merita intelligerent, ei *Seviratum* offerebant, hoc est, magistratum urbanum, penes quem jus est in Senatum legendi, & magistratus creandi ex suo ipsorum collegio. De *Sestertiis* scribebat Commentarium, quem *Salmasius* indigne ferebat, quod ei non significavit epistola, an tale quidpiam facturus esset, se volente. Quis vero ignorat *Salmasii* arrogantiam animi? Curatores Academiæ Leidensis, cum intelligerent, *Gronovium*, præter publicas, privatas domi suæ literarum cultoribus Daventriæ, exemplo nondum usitato, aperire, ejus industria movebantur, ut Leidam honestis eum conditionibus arcesserent. Quo tempore advertarium nactus est *Mart. Schoockium*, Professore primum Daventriensem, cui *Gronovius* successerat, deinde Groninganum, & demum Francofurti ad Oderam. *Schoockius* ediderat Orationes, quarum lectionem studiosis dissuadebat Noster, nisi prius e *Cicerone, Fabio*, aliisque veteribus, didicissent, quid delectaret, quid prodesset; quo facto, aliorum recentioris ævi Orationes possent legere. Deinde ignominia loco ferebat *Schoockius*, quod *Gronovius* scholis privatis operam addixisset. Hinc in *Exercitationibus*, quas ediderat, *Gronovii* sententiam de centesimis & unciiis uturis infirmabat, sed non satis considerate. Quo fiebat, ut varia scripta typis publicis excrimerentur, quæ pag. 26 nominantur. *Ezechiele Spanhemius*, cum juventutem Principis *Caroli, Caroli Ludovici*, Electoris Palatini, filii unici, moderaretur, *Gronovium* ad munus in Academia Heidelbergensi obeundum ad se allicere volebat, sed frustra. Leidæ igitur mansit in magna nominis celebritate, quæ honore Præfecti Bibliothecæ Academicæ augebatur; maxime autem

autem honorario annuo a *Ludovico XIV*, Rege Galliarum, ornabatur. A. 1669, cum pestilentia multi cives Lugduni, in eisque viri celeberrimi nominis, absumerentur, Amstelodamum vocabatur. Sed pertinaci morbo laborabat, tumore nempe pedum, & ciborum fastidio; nihilo minus vehiculo vectus, eodem anno, quo mortuus est, fascibus Academicis secundum depositis, Orationem *de Lege regia* publice habuit, in qua de calamitate publica, quam Leida experta est, non sine animi dolore exposuit. Anno 1671 exeunte, ætatis autem sexagesimo primo, e vita excessit. Distichon ejus imagini subscriptum erat:

*Hamburgum genuit. civem adsciscere Tubantes
Et Batavi; Pallas cura Themisque viro.*

Vitam expositam excipit Præfatio Clarissimi Autoris, in qua de- Pag. 92.
clarat, tria esse in primis, quæ veterum libros ex utilitate nobis commendent: lectionem, quam veluti messem & vindemianam habet; meditationem, quæ cum tritura confertur, & area torculari; memoriam, quæ instar horrei est, aut cellæ oporotheicæ, & apothecæ. Memorat, veteres in legendis libris usos esse Græcorum litera χ , hoc est, se $\chi\rho\epsilon\acute{\iota}\sigma\alpha\nu$, $\chi\rho\eta\tau\epsilon\nu$, aut $\chi\rho\eta\sigma\tau\epsilon\mu\omicron\nu$, aut $\chi\rho\epsilon\acute{\omega}\delta\epsilon\varsigma$, quod notatu dignum, deprehendisse; aut duplicem Latinorum literam LL adscriptisse, hoc est, laudabilem esse locum, qui inter legendum occurrisset. Nunc sequuntur ipsæ *Lectiones Plantinæ*, in quibus prima est Comœdia *Amphitruo*, ex cujus Prologo Autor doctissimus notat, *sive in se legem alicujus, alicui, aut de aliquo, esse, significare, de aliquo esse constitutum, valere, eadem lege teneri, reum esse, eisdem pœnis vel multis obnoxium esse, obligari. Act. I Sc. 1, ingratis aliquem excitare a portu foras*, ita explanat, ut, idem esse, doceat, ac invitum & contra voluntatem jubere, vel cogere aliquem ire, aut proficisci. *Adorem afficere* indicat immortali afficere gloria. Quam formulam dum illustrat, meminit *Gronovius*, Romanos milites usque ad annum U. C. 354, Vejis obsessis, nihil accepisse e publico, nisi forte aliquantum frumenti, postea frumentum supra stipendium, eoque tum ante, tum post sepe, virtutis causa, donatos. Formula, *vocare servos ad pileum*, est, sollicitare eos, promissa libertate, ad seditionem, & vim faciendam. *Seditionem* usur-

4.

8.

19.

141

- Pag. 17. pari de turba privatorum, firmat autoritatibus. *Pro cerva circumferri* indicat, tanquam insanam, aut mente captam, ex ritu & superstitione veterum lustrari, sacro facta, purgari, aut
23. circum templa ferri. *Percipere* idem est, ac perurgere, pervadere, penitus capere atque occupare, non quo modo sensu aut mente prædicta percipere aliquid dicuntur; sed percipiunt nos, quæ attingunt, pertentant, titillant. Comœdia secunda
26. est *Asinaria*, cujus *Act. I Sc. 1* verba Autor illustrat, quæ locutus despuas, ex Autoribus classicis scriptum religiosum & contumeliosum commemorans, & *optiois* vocem illustrans. *Facere nomen alicujus, ut sit apud Tresviros*, est accusare aliquem. *Circa fide mercari*, idem est, ac præsentem pecuniam; & *obscurare alicui negotio*, proprie est, malum omen asserre. *Rescribere alicui numos*, est per chirographam ab alio, ut plurimum de mensa, numerare, vel solvere; ubi Autor noster multa de trapezitis, argentariis, numulariis, danistis, habet. *Act. III Sc. 1, porrisculum habere*, idem esse, pronuntiat, ac moderamen & imperium quiescendi & agendi, dicere merum & quietem, vices loquendi & tacendi. *Reges & domini Romæ* alias erant nomina incivilia, quibus divites, convivatores lautos, appellabant, qui amicos humiles, & re familiari angustiori, frequenter convivio excipiebant. Ex *Antularia* notat, *digitum transversum* significare brevissimum tempus, & in transcurso explanat *Senecæ aquam succatam*. *Indicare* dicit esse proprium venditoris vocabulum. *Putare & disputare rationes*, idem esse, ac rationem subducere. Ex *Captivis venare leporem; nunc erim tennes*, interpretatur alio proverbio, carbonem pro thesauro querere.
49. 52. *Præverti alicui rei* idem esse ait, ac, relictis rebus omnibus, ad hanc unam prius curandam se vertere & componere. *Mantellum*, nuncupatum a *maneo*, quod veteres Latini pro amictu dixerunt, illustrat ex Autoribus. *Hæreditatem sine sacris adipisci*, est, maximum commodum & lucrum sine sumtu vel impendio adipisci. In *Curculione Act. II Sc. 2 incubare Jovi*, aut *alicui Deo*, dicebantur, qui aliquo malo afflictus, præcipue morbo, pernoctabant in templis, ut per quietem a Diis monstrata remedia acciperent. *Ceram primam* veteres dicebant pro prima pagina

gina tabularum ceratarum, seu libelli, ex pluribus tabellis compositi. *Mancipio dare & accipere rem emtam*, est, ita tradere & auferre, adhibita libra & ære, & quinque testibus, civibus Romanis, presentibus, ut evictionis periculum præstetur a venditore. *Centuriatum esse expuncto in manipulo*, est, mirifice deceptum, & spe sua fraudatum, esse. In *Casina* notat, verbum *multare* esse, verberibus afficere; *multare*, pœnam pecuniariam exigere. *Mercerii* observationem ad *Alexandrum ab Alexandro* falsam esse dicit ex *Suetonii Claud. Cap. 26*. Dicitur enim is imperator dotem inter auspices consignasse, cum *Messalinam* vellet dimittere. *Titivilitium* quid sit, explanat, & formulam, *non ego istuc emissim titivilitio*, esse dicit, non emerim, vel permutarim, illud re quavis vilissima, si copia sit. *Barbarica & barbara* olim pro magnificis & sumtuosis fuisse dicta, observat Auctor. In *Cistellaria* occurrit interpretatio *expungendi, dispungendi, subscribendi* rationis. *Admanire fabricas alicui*, est, aggredi aliquem callide & per artem. *Epidicus* habet formulam, *piacularem fieri ob stultitiam alterius*, quæ significat, luere, quod alius peccavit; ubi de piaculo & de expiatione multa præteruntur. *Avi sinistra exire*, est, aliquid ortiri secundis auspiciis, bonis omnibus. *Desfloccati senes*, hoc est, qui quasi detriti sunt, calvi, absumti ævo & senio, causam dant Auctori differendi de decrepitis & desfloccatis. *Pedibus pulmonis esse, incedere*, dicitur vel de tardo inessu propter molliem pulmonis, vel de motu pulmonis perpetuo, vel quod pedes sint tumidi & inflati. *Bacchides* sequuntur, unde notamus, Auctori dicendi formulam, *alus arundine verberatus habere*, idem significare, ac blando teneri alloquio & illecebris; immo in quovis vinculo quasi alligatum evadere, & in plenam libertatem se vindicare non posse. *Paucraticeo valere*, est, valere instar Paneratistarum, ad quorum artem seu exercitium, *paucratium* dictum, valentissimum robur exigebatur. *Januam Orci* veteres appellabant loca pestilentia infecta, unde certam perniciem imminere, & aditum ad manes esse, existimabant. *Ab transfenna cibum petere*, dicitur quasi proverbio, pro capitis periculo petere id, quod placet. Ex *Mojtellaria* notat Auctor *allium & sal* pauperum fuisse cupedias. *Clavis La-*

Pag. 89.

94.

98.

101.

106.

114.

124.

130.

141.

144.

148.

157 seq.

159.

165.

177.

174.

182.

189-195.

- conica est, quæ ab exteriori forium parte immittitur clauſtro ad aperiendum, qualibus hodie ſere utimur. *Hoc habet, formula est ex ſchola gladiatorum, id eſt, tactus eſt, conſilium eſt peractum. Muſice atatem agere, idem eſt, ac concinne & eleganter, & ſumitur in bonam partem. Ex Menachmis oſtenditur, ſcitamenta, Græce ἰδύματα, eſſe cupedias, ciborum delicias. Homo multus Latinis ſemper in malam partem ulurpatur pro ardelione & ſatageo. In Milite glaucoma obijcere ob alicujus oculos, ſignificat occœcare aliquem, oculos inutilis reddere, facere, ut ne quis videat. Glaucoma appellatur vitium, quod in oculis exiſtit, quo viſus impeditur, quando pupilla, præter naturam, glauceſcit. Elephantî corio circumteſtum eſſe, eſt, nihil ſentire, nihil ſapere, ſtupidum eſſe. In Umbria natum eſſe dicitur de homine ruſtico, ineleganti, impolito, incompoſito. Vivere de ſuo vespere, eſt, habere domi, unde ſe ſuſtentet. Mercator habet protelare aliquem, quod idem eſſe Gronovius exiſtimat, ac protelo ducere, hoc eſt, uno tenore & continuo tractu ducere, & ulurpatur de jugalibus animalibus. Spectare peplum idem eſt, quod ſpectare pompam in Panathenaiis, feſto die Athenienſium. Peplum erat carbaſus ſeu velum, quod vocabant, quia laneum erat, in quo acu pingebatur Titanomachia, & victoria Minerva de Encelado gigante, quæque alia Minerva præclare geſſerat. Pſeudulus habet opponere pignori. Latini vel opponere ſimpliciter dicebant de omni re, ſive mobili, ſive immobili, quæ pro credito in ſecuritatem creditoris eidem a debitore vel tradebatur, vel obligabatur, ut Græci ὑπετάξιναι tam de pignore, quam de hypotheca. Porricere eſt verbum vetus ſacrificantium, ſignificatque, partem proſectam, quæ proprie Diis dabatur, menſæ ſacræ imponere. Venena interdum dicuntur ugentia, quibus ſaga, quæ propterea veneficæ dicuntur, aut in ſe transformandis, aut in aliis vexandis, miraculiſque illis, ſeu potius ludibriis, quæ de magica arte tradit vulgus, efficiendis, utebantur. Venena dicuntur etiam de quovis humore aromatico, aut ſuco, vel tinctura. Lemniſci ſunt faſciolæ purpureæ, circumvolutæ ac dependentes e coronis, quibus veteres*

in lato & festivo habitu frequenter utebantur. *Ve villis*, est Pag. 272.
 formula elegans iniulcantium adversariis victis. Potest etiam
 adhiberi, quotiescunque durius consultum in victos, aut non
 servatas illis promissas condiciones, significare volumus. Ex 274.
Panulo decerpimus *bonum factum*, solennem præfationem edi-
 torum, qua cives sui officii admonebantur. Significatur eo,
 bonos homines, & qui tales haberi volunt, parere debere.
Lira, *lira*, aut *λίρα*, *λίρα*, vox irridentium alicujus sermonem, 277.
 perinde ac Latine dicentium: *nuga*. *Corbitæ* sunt naves onera- 283.
 riæ, dictæ a forma corbis rotundæ. *Latrocinari* sine probro 285.
 dicebant veteres pro mercede mereri in militia. *Persa* utitur
 loquendi formula *Eleutheria agitare*, quæ significat vivere, 295.
 tanquam liber sis, in omni genere licentiæ. *Quadruplare* 296.
 proprie est accusatorum, qui ea persequuntur, quorum ex
 legibus quadrupli erat actio. *Redigere argentum*, vel *pecuniam*, 302.
 non est reddere, sed aut ex mercibus rebusque venditis con-
 ficere, aut ab iis, qui debent, exigere, & recipere, debitum.
 Ex *Rudens* hæc afferuntur. *Thyeste*, vel *Terei*, *cena* est sce- 318.
 lerata, inhumana, quia fabulæ Poetarum narrat, *Thyesten* &
Terea non hominum modo, sed etiam filiorum, visceribus pastos.
Germana Græcia dicitur ipsa vera Græcia, quæ Græciæ majori in 323.
 Italia opponitur, aliisque Græciis in Asia urbibus, in quibus bar-
 bari Græcis erant permixti. Ad formulam, *raso*, vel *ir- 325.
 raso*, *capite hominis*, notat Autor, cum viderint anti-
 qui homines irraso aut raso capite, inde coniecisse, quod
 naufragium evasisent. Observatum est a curiosis rerum natu-
 ralium, in mari per naufragium jacturis, etsi evadant, unguis de
 digitis decidere, & extremitates cutis, vel corporis, tabescere.
Trinummus dilucidat locutionem, *rem auctorem dare*, quæ no- 338.
 tat, aliquid pro re ipsa, vel rerum testimoniis, probare &
 confirmare. *Sarta tella* proprie dicuntur ædificia integra, & 341.
 in partibus, & in tecto. Utebantur ea formula in locutioni-
 bus publicorum operum magistratus Romani. *Exigi pecuniam* 344.
sponsione, est flagitari & cogi solvere pecuniam, quam pro
 alio sponderis. *Habeone puitum*, est formula, qua uteban-
 tur in despondendis futuris uxoribus. *Scriptura* dicebatur ve- 354.
 stigal

sigal e silvis & pecore pascendo, quod dabant pecuarii, seu pastores. Hinc *scripturam dare* significat, dare vestigal debitum publicanis, a quibus ager & pascuum pascendo pecori conducitur. *Causam noscere* est excusationem accipere, admittere. *Premium* interdum idem est, ac præda. *Cumpas dicere*, est nugari, fabulari, monstra & prodigia loqui, quæ ut plurimum fabulosa & mendacia sunt.

Pag. 356.

360.

364.


EXTRACTUS ARTICULORUM ET DIPLOMATUM, super Religionis negotio in inchyto regno Hungariæ conditorum, S. Reg. Majestati Hungariæ & Bobemiciæ in mense Augusto A. 1742 exhibitus.

Sine die & consule, 4.


Plag. 11.

Collectionem significamus sententiarum, ex Diplomatum Acti- que publicis decerptarum, quibus religioni Protestantium inde ab A. 1606 usque ad A. 1711 a Regibus Hungariæ clementissimè fuit provisum. Videbatur A. 1604 aliquid novi & insolentis extra Consilia a Rege Rudolpho II constitutum. Id vero, libertati religionis Evangelicorum adversum, A. 1606 in pacificatione Viennensi fuit sublaturum, ipsisque exercitium religionis libertatis inviolatum fuit redditum. Memorabilia sunt hæc indidem verba: *Tam majora, quam minora, officia regni, etiam externa, et consularum præfecturas, ex consilio Hungarico, Hungaris & nationibus, et annexis, idoneis, nullo interposito religionis discrimine, (Rex) conferet.* Confirmarunt posthæc Evangelicis per Hungariam, ac regna, ei juncta, liberum religionis exercitium Matthias II A. 1608, Ferdinandus II A. 1622, Ferdinandus III A. 1638, 1647, & 1649, Leopoldus Magnus A. 1659, 1662, & 1681, denique Carolus VI A. 1711, reliquamque religionis exæquationem politicam & externam. In calce adduntur 1) compendium Leopoldine explanationis ad Archiepiscopum Colocensem, qua denuo Rex edixit, ut secundum articulos, Sopronienses & Posonienses imprimis, libertas & exercitium religionis perstaret Evangelicis inviolatum; 2) Regium consulum, A. 1708 sub finem Comitiorum promulgatum; 3) compositio Zathmariensis, ad A. 1711 referenda, ac denique 4) formula jurisjurandi, compositioni eidem Zathmariensi consentanea. An semper Hungari istis Diplomatum congruenter senserint libertatis conscientie fructus, ipsi omnium optime norunt. Ipsi vero in magnam spem venerunt nuperime, fore, ut Regina ipsorum augustissima leges, creberrime repetitas, tandem jubeat valere, siquidem ipsi vitam sanguinemque pro salute Austriacarum terrarum A. 1742 alacriter intrepideque Marti obtulerunt.





MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1743

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 613 L 4⁰



INDEX AUTORUM, quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recensentur.

I. Libri Theologici, & ad Historiam Ec- clesiasticam spectantes.

- A**nonymi *Extractus Articulorum & Diplomatum, super Reli-
gionis negotio in inlyto regno Hungariae conditorum, S.
Reg. Maj. Hungarica & Bohemica mense Aug. A. 1742 exhi-
bitus.* 720
- De** Beaufobre (*Isaaci*) *Annotationes historicae, criticae, philolo-
gicae, in N. Testamentum. Tomi II.* 298
- Blanchini** (*Josephi*) *Vindiciae Canoniarum Scripturarum Vulga-
tae Latinae editionis. Pars I.* 625
- Bornii** (*Jac. Henr.*) *de Communione peregrina, veteri Clerico-
rum censura, Commentatio.* 667
- Ceillierii** (*Remigii*) *Historia generalis Autorum sacrorum & Ec-
clesiasticorum. Tomus VI.* 673
- Gotti** (*Vincent. Lud.*) *Veritas religionis Christianae ex genere,
conceptu, ortu, vita, gestis, mysteriis, ac prodigiis Jesu Chri-
sti, ejus auctoris, nec non Virginis Deiparae, confirmata. To-
mi IV Pars I.* 150
- Gussatii** (*Jac.*) *Lexicon linguae Hebraicae. Editio secunda, au-
ctior & correctior.* 502
- Hagemanni** (*Laur.*) *Strictura in libellum Anonymi de Praeexi-
stentia animae Christi.* 139
- Harduini** (*Jo.*) *Commentarius in Novum Testamentum.* 100
- Heisen** (*Henrici*) *Nova Hypotheses interpretandae felicius Epi-
stolae Jacobi Apostoli, XXVII Dissertationibus assertae.* 255
- L.** (*A. O.*) *Sol, tempore Josuae resistens, rationi congruenter ex-
pensus.* 688
- Langii** (*Joach.*) *Biblia parenthetica.* 337
- Millii** (*Dav.*) *Dissertationes selectae.* 440

I N D E X

- Moshemii (Jo. Laur.) *Institutiones Historiæ Christianæ recentioris.* 26
Institutiones Historiæ Christianæ majores. 67
 Seculum primum. 67
 Peterfy (Caroli) *Sacra Concilia Ecclesiæ Romano-Catholicæ, in regno Hungariæ celebrata. Tomus I.* 241
 Pontoppidani (Erici) *Annales Ecclesiæ Danicæ diplomatici.* 578
 Pars I. 578
 Pars II. 618
 Saligii (Christiani Aug.) *Plena Concilii Tridentini Historia.* 618
 Pars I. 618
 Pars II. 618
 Stein (Jo. Frid.) *Cogitata, rationi consentanea, historica & theologica, in veritatem, antiquitatem, & originem divinam, scriptorum Vet. & Novi Fœderis.* 679
 Tennisonii (Thomæ) *Commentatio theologico-historica de Apparitionibus Dei in Vet. & Novo Testamento symbolicis, e lingua Anglicæ in Latinam translata.* 139
 Wytrenbachii (Dan.) *Tentamen Theologiæ dogmaticæ, methodo scientifica pertractatæ. Tomus I.* 111

II. Libri Juridici.

- Anonymi *Solida deductio S. R. I. Libere Civitatis Noriberge ex Commissione perpetua Aug. Imperatoris & Imperii competentis, & per aliquot Secula quiete & sine ulla contradictione habitæ, custodiæ Insignium Imperii.* 361
 De Antiquis (Ricciardi) *Epistola, qua Hermannii Conradi F. Sinceri sententia de usu Juris Feudalis Longobardici in Germaniæ terris exponitur ac trutinatur.* 505
 Bornii (Jac. Henr.) *de Communione peregrina, veteri Clericorum censura, Commentatio.* 667
 Brissonii (Barnabæ) *Antiquitatum ex Jure civili seclæarum Libri IV, cum annotationibus Alberti Dieterici Trekell.* 355
 Buderii (Christiani Gottlieb) *Amœnitates Juris Feudalis.* 598
 Kahlîi (Lud. Mart.) *Elementa Juris Canonico-Pontificio-Ecclesiastici, tum veteris, tum hodierni. Tomus I.* 322
 Marckarti (Jo. Guil.) *Probabilia receptorum lectionum Juris Civilis. Pars II.* 470
 Moseri

A U T O R U M.

Moseri (Jo. Jac.) <i>Jus publicum Germanici Imperii.</i> Tomus III & IV.	692
Rœveri (Matthæ) <i>Specimen juridicum ad loca quædam Juris depravati.</i>	78
Sarmatorii Comitis (Josephi Gabaleonis) <i>ad Legem Juliam de Ambitu Commentatio.</i>	664
Trotz (C. H.) <i>Oratio de Libertate sentiendi dicendique, Jctis propria.</i>	358
Wolffii (Christiani) <i>Jus Natura, methodo scientifica pertractatum.</i> Pars I.	590
Pars II.	638

III. Libri Medici & Physici.

<i>Anonymi Oeconomia regni animalis, in Transactiones divisa, quarum hæc secunda de cerebri motu & cortice, & de anima humana, agit.</i>	414
Bianchi (Jo. Bapt.) <i>de Naturali in humano corpore vitiosa morboſaque generatione Historia.</i>	118
Burmanni (Jo.) <i>rariorum Africanarum plantarum, ad vicum delineatarum, Decades octo.</i>	227
Caryophili (Paschalis) <i>de Thermis Herculanis, nuper in Dacia detectis, Diff. Epistolæ.</i>	584
<i>de Usu & præstantia Thermarum Herculanarum Diff. Epistolæ altera.</i>	ibid.
Fleming (Milcolumbi) <i>Nevropathia, sive de morbis hypochondriacis & hysteriis Libri III.</i>	466
Haller (Alberti) <i>Enumeratio methodica stirpium Helvetiæ indigenarum.</i> Tomi II.	307
Heisteri (Laur.) <i>Institutiones Chirurgicæ.</i> Partes II.	33
Huberi (Jo. Jac.) <i>de Vagine uteri structura rugosa, nec non de Hymene, Commentatio.</i>	569
Kühnii (Henr.) <i>Meditationes de origine fontium, aqua putearum, & aliis problematibus similis argumenti.</i>	314
Lieutandi <i>Exercitationes Anatomica.</i>	660
Ludwig (Christiani Gottlieb) <i>Institutiones historico-physicæ regni vegetabilis.</i>	366
Yyy y 2	Mappi

I N D E X

Mappi (Marci) Historia plantarum Alsaticarum posthuma, edita a Jo. Christ. Ehrmanno.	596
Martini Tractatio de Phlebotomia & Arteriotomia.	566
Martinii (Georg.) de Similibus animalibus, & animalium calores Libri duo.	701
Miscellanea Berolinensia, ad incrementum Scientiarum, ex scriptis, Societati Regiæ Scientiarum exhibitis, edita. Continuatio quarta, sive Tomus quintus.	131
Riegeri (Jo. Christoph.) Introductio in notitiam rerum naturalium & arte facturarum. Tomus I & II.	450
Sendelii (Nathan.) Historia Succinorum, corpora aliena involventium, & naturæ opere pictorum & calatorum.	49
Weitbrecht (Josie) Syndesmologia, sive Historia ligamentorum corporis humani.	271

IV. Libri Mathematici.

Anonymi Specimen Arithmeticum, exhibens methodum generalem, approximandi ad radicem æquationis quotquot dimensionum.	622
Problema, ad quod evolvendum Geometra invitantur.	659
Bachstrom (Jo. Frid.) Ars natandi, seu Inventum, cujus beneficio nos possumus a naufragio liberare.	286
Dorix (Paul. Matthiæ) Dux belli Philosophus.	643
Frezierii Theoria & praxis secttionis tum lapidum, quam lignorum, pro construendis Fornicibus, &c.	221
Kühnii (Henr.) Meditationes de Origine fontium, aqua puteorum, & aliis problematibus similis argumenti.	314
Meermann (Gerh.) Specimen calculi fluxionalis, quo exhibetur generalis methodus, duarum plurimumve quantitatum variabilium, in semes multiplicatarum, Fluxiones & Fluentes cujuscunque ordinis ope serierum infinitarum adinveniendi.	508
Miscellanea Berolinensia, ad incrementum Scientiarum, ex scriptis, Societati Regiæ Scientiarum exhibitis, edita. Continuatio quarta, sive Tomus quintus.	131
	De

A U T O R U M.

<i>De Vauban Commentarius de oppugnatione & defensione locorum munitorum.</i>	Tomus I.	124
	Tomus II.	408

V. Libri Historici, Geographici, &c.

<i>Anonymi Vita Pauli II, Veneti, Pontificis Maximi, cum Appendice Cardinalis Quirini.</i>		56
<i>Succincta historica Expositio Juris Stapulae urbis vetustae Magdeburgi.</i>		81
<i>Tractatio de Jure Stapulae Palaeo Magdeburgi.</i>		84
<i>Vita Petri Gassendi, Praepositi Ecclesiae Danicae, &c.</i>		76
<i>Ludus geographicus, in quo iter sit per omnia, eaque praecipua, terrae regna.</i>		142
Bartoli (Petri Santes) Numophylacium Reginae Christinae, incisum Tabulis aeneis LXIII, cum Commentario Sigeb. Haverkampii.		1
Bruckeri (Jacobi) Pinacotheca Scriptorum nostrae aetate literis illustrium. Decas I & II.		215
Caryophili (Paschalis) de Thermis Herculaneis, nuper in Dacia detectis, Diss. Epistolares.		584
<i>de Usu & praestantia Thermarum Herculanearum Diss. Epistolares altera.</i>		ibid.
Dœderlini (Jo. Alexandri) Matthaeus a Dappenheim enucleatus, emendatus, illustratus, & continuatus. Tomus I.		164
Engelbrechti (Herm. Henr.) Delineatio status Pommeraniae Suetbicae. Pars I.		167
Floerchen (Angeli) Chronologia universalissima.		481
Fontanini (Justi) Vita Philippi a Turre.		633
Gebhardi (Jo. Lud. Lev.) Aquilonales Marchiones Electores Brandenburgici documentorum auctoritate asserti.		188
Haverkampii (Sigeberti) Commentarius in Numophylacium Reginae Christinae.		1
Hollbergii (Lud.) Comparatio historiarum & factorum, quibus diversi Orientales ac Indici Heroes clarique viri excelluerunt. Partes II.		622
I. (D. G.) Antiquitates urbis Lugdunensis. Tomi II.		574

I N D E X

Koeleri (Jo. Dav.) <i>Historicarum ex Numismatibus Amœnita-</i> <i>tum</i>	158
Pars tertia.	
Pars quarta.	347
Pars quinta.	557
Lebeuf, Abbatis, <i>Collectio variarum Dissertationum, facientium</i> <i>ad illustrandam Historiam Gallie, & ad supplendam Notitiam</i> <i>Gallarum.</i> Tomi II.	392
Livii (T.) <i>Historiarum ab U. C. Libri, cum Notis variorum, cu-</i> <i>rante Arn. Drakenborch.</i> Tomus IV.	14
Pontederæ (Julii) <i>Antiquitatum Latinarum Græcarumque enar-</i> <i>rationes.</i>	196
Quirini, Cardinalis, vid. Anonymus.	
Reimmanni (Jac. Frid.) <i>Bibliotheca Historia literaria critica,</i> <i>eaque generalis, hoc est, Catalogi Bibliotheca Reimmanniana</i> <i>systematico critica</i> Tomus secundus.	175
Sallustii (C. Crispi) <i>quæ exstant, cum Notis variorum, cura Si-</i> <i>geberi Haverkampii.</i> Tomi II.	193
Schlægeri (Julii Caroli) <i>Commentatio de Numo Hadriani plum-</i> <i>beo, & Gemma Isiaca, in funere Ægyptii medicato repertis.</i> 9	
Schultens (Alberti) <i>Monumenta vetustiora Arabia, sive Specimi-</i> <i>na quadam illustrata antiquæ Historiæ & linguæ.</i>	330
Scriptores Historiæ Romanæ Latini veteres, qui exstant, omnes, <i>cum Notis Car. Henr. de Klettenberg & Wildeck, edente</i> <i>Benn. Casp. Haurisio.</i> Tomus I.	289
Seitz (Jo. Christiani) <i>Tertium inventæ Typographiæ Jubilæum,</i> <i>complectens succinctam tractationem historicam de nobili arte</i> <i>typographica.</i>	93
Treccii (Francisci) <i>Oratio in funere Philippi a Turre.</i>	633
A Turre (Philippi) <i>de Annis imperii M. Antonini Elagabali, ac de</i> <i>initio imperii Severi Alexandri, Diss. Apologetica secunda.</i>	632
Viani, Patris, <i>Historia rerum in China gestarum a Joanne Am-</i> <i>brosio Mezzabarba, Legato Apostolico in illud Imperium.</i>	170
Waddingi (Luca) <i>Annales Minorum. Editio secunda, comple-</i> <i>tior & accuratior, studio Josephi Mariae Fonseca ab Eboræ.</i> Tomus XV.	145
Tomus XVI.	529
	Wilde

A U T O R U M.

Wilde (Jacobi) *Præparatio hologetica ad Introductionem Puffendorffii in Suetici status historiam. Ex versione Andreae Wilde.* 492

VI. *Libri Philosophici & Miscellanei.*

<i>Anonymi Observationes, Poesin, & præsertim Epicam, spectantes.</i>	422
<i>Autores Mythographi Latini, cum integris Commentariis Micylli, Scheffleri, Munckeri, & Wopkenii, curante Augustino van Staveren.</i>	57
Bachstrom (Jo. Frid.) <i>Ars natandi.</i>	286
Bos (Lamberti) <i>Ellipsis Græca, sive de vocibus, quæ in sermone Græco supprimuntur. Quinta editio Jo. Frid. Leisneri.</i>	287
Bourgueti (Lud.) <i>Explicatio nonnullorum monumentorum, ad antiquos Pelasgos referendorum.</i>	562
Callimachi <i>Hymni & Epigrammata, maximam partem ex interpretatione Nic. Frischlini, & cum Scholiis veteribus, ex edit. Jo. Friedlieb Stübelsii.</i>	708
Carpzovii (Jo. Bened.) <i>Paradoxon Stoicum Aristonis Cbii novis observationibus illustratum.</i>	608
Chladenii (Jo. Martini) <i>Introductio in accuratam interpretationem scite compositarum orationum & scriptorum, sive Ars hermeneutica.</i>	232
Coluthi <i>Raptus Helenæ & subductio, Poema de Græco in Gallicum conversum, cum animadversionibus.</i>	477
Dorix (Pauli Matthiæ) <i>Dux belli Philosophus.</i>	643
Drascowith (Georg.) <i>Orationes duæ, in Concilio Tridentino habitæ, editæ a Lorando Samuelly.</i>	613
Dudithii (Andreae) <i>Orationes quinque, in Concilio Tridentino habitæ, editæ a Lorando Samuelly.</i>	ibid.
Gronovii (Jo. Frid.) <i>Lectiones Plautina.</i>	712
Gussærii (Jac.) <i>Lexicon linguae Hebraicæ. Editio secunda, priorè auctior & correctior.</i>	502.
Hauptmanni (Jo. Gotsfr.) <i>Fasciculus Carminum Latinorum optime notæ ex præstantissimis veterum Poetarum monumentis.</i>	37

Hentelii

I N D E X

Henselii (Godofredi) Synopsis universa Philologia.	472
Hoffmanni (Adolphi Frid.) Logica. Tomi II.	370
Hollbergii (Lud.) Comparatio historiarum ac factorum, quibus diversi Orientales ac Indici Heroes clarique viri excelluerunt. Partes II.	622
Irici (Jo. Andrea) Epistola ad Philippum Argelatum.	670
Kahlii (Lud. Mart.) Bibliotheca philosophica Struviana emenda- ta, continuata, atque ultra dimidiam partem aucta, Tomi II.	513
Koeleri (Jo. Dav.) Historiarum ex Numismatibus Amanitatum Pars tertia.	158
Pars quarta.	347
Pars quinta.	557
Leibnicii (G. G.) Epistola ad diversos. Volumen quartum & ulti- mum. Edidit Christianus Kortholtus.	519
Maximi Tyrii Dissertationes, ex recens. Jo. Davisii. Editio al- tera.	385
Mazochii (Alexii Symmachi) de antiquis Coreyra nominibus Sche- diasma.	229
Miscellanea Lipsiensis Nova, ad incrementem Scientiarum ab his, qui sunt in colligendis Eruditorum Adis occupati, per Partes publicata. Voluminis I Pars II.	87
Pars III.	377
Pars IV.	424
Miscellanea Berolinensia, ad incrementum Scientiarum, ex scri- ptis, Societati Regia Scientiarum exhibitis, edita. Continua- tio quarta, sive Tomus quintus.	131
Morgani (Thomæ) Philosophus, veritati morali innitens. Volu- men secundum.	534
Moshernii (Jo. Laur.) Animadversiones in Epistolas, a se juvene ad Ill. Virum, M. V. la Croze, scriptas.	404
Plutarchi Apophthegmata Regum & Imperatorum, ex edit. Mich. Maittaire.	577
Pontederæ (Julii) Antiquitatum Latinarum Græcarumque nar- rationes.	196
Pontoppidani (Erici) Marmora Danica selectiora.	433
	Quirini

A U T O R U M.

Quirini (<i>Angeli Mariae</i>) <i>Cardinalis, ad Alex. Symm. Mazochium</i> <i>Epistola.</i>	230
	<i>ad Claudium de Boze</i> <i>Epi-</i> <i>stola.</i>
S. (C.) <i>Apologia pro celeberrimo Rusticorum Latinorum editore.</i>	231
Schlægeri (<i>Jul. Cav.</i>) <i>Index scriptorum editorum & edendorum.</i>	275
Schultens (<i>Alberti</i>) <i>Monumenta vetustiora Arabiae, sive Specimi-</i> <i>na quadam illustrius antiquae Historiae & linguae.</i>	479
Theophrasti <i>Characteres morum, cum nova versione Latina, &</i> <i>Notis Jo. Conr. Schwartz.</i>	330
Uhlii (<i>Jo. Lud.</i>) <i>Tbesiuri Epistolici Lacroziani Tomus primus.</i>	304
Wachteri (<i>Jo. Georg.</i>) <i>de Alphabeto naturae, & literarum non</i> <i>naturalium a naturalibus origine, Dissertationis prolixioris Ex-</i> <i>cerptum.</i>	401
Wolffii (<i>Christiani</i>) <i>Philosophia practica universalis, methodo</i> <i>scientifica pertractata. Pars II.</i>	40
	<i>Jus Naturae, methodo scientifica pertra-</i> <i>ctatum. Pars I.</i>
	<i>Pars II.</i>
	590
	638

I N D E X
RERUM NOTABILIORUM.

A.	Acta Eruditorum quando pri-
A brahami, filium suum ma-	mum conditu? 426
mare parati, factum in	Ægyptiorum in Hadrianum
dubium vocatum. 548	Imp. pietas. 12 seq.
Aborbentium in re medica	In Ægypto pluvia rarior. 82
usus. 457	seq.
Acies militaris ex mente Doria	Æræ chronologica reformatæ.
instruita. 657 seq.	485 seq.
	Zzz z
	Æræ

I N D E X

<i>Æra in historia Suebica quales?</i>	<i>Annuli duo antiqui aerei.</i>	295
493	<i>Annus celestis Manilii explicatus.</i>	207
<i>vox origino Gothica.</i>		497
<i>Africanæ planta descripta.</i>	<i>Antiochensis colonia numi descripti.</i>	6
228	<i>Antiquitatum sacrarum The- saurus promissus.</i>	332 seq.
<i>Algebrae historia literaria de- scripta.</i>	<i>De Antonii (Nic.) Bibliotheca Hispana judicium.</i>	177
509	<i>Apes in glebis succineis genera- ri solita.</i>	50
<i>Algebraica Problemata miscel- lanea.</i>	<i>De Apocalypsi judicium.</i>	553
513	<i>Apollinarii, Ep. Laodiceni, vita descripta.</i>	677
<i>Alphabetum naturæ inventum.</i>	<i>Appariciones Dei symbolica ex- plicata.</i>	140
41 seq.	<i>Approximandi ad radicem a- quationis quotquot dimensio- num methodus generalis.</i>	602 seq.
<i>Altare cur mediator olim di- ctum?</i>	<i>Aquæ pluvialis origo.</i>	315 seq.
446	<i>Aquilæ unicipitis & bicipitis u- sus in numis antiquis.</i>	163
<i>Altaris cornua explicata.</i>	<i>Arabia monumenta quadam ve- tustiora edita.</i>	330 seq.
ibid.	<i>Arbusti Italici formæ quæ?</i>	214 seq.
<i>Ambitus crimen descriptum.</i>	<i>In Aretinum (Petrum) numus percussus.</i>	160
664 seq.	<i>Argelati (Philippi) scripta pro- missa.</i>	671 seq.
<i>Ambrae grisea examen.</i>	<i>Aristonis Cbii Paradoxum Stoi- cum illustratum.</i>	608 seq.
459	<i>Arteriarum setio quomodo & quibus in morbis inspicuendus?</i>	568 seq.
<i>S. Ammonii vita descripta.</i>		674 seq.
<i>Amuletorum in re medica usus.</i>		456
456		
<i>Anacardii species duæ.</i>		455
<i>Anima humana ex ratione cor- poris vestigata.</i>		416 seq.
416 seq.		
<i>quale cum cor- pore habeat commercium?</i>		420
420		
<i>Animalium similitum natura & proprietas vestigata.</i>		703 seq.
703		
<i>color anatomice ve- stigatus.</i>		706 seq.
706 seq.		
<i>Animarum præexistentia refu- tata.</i>		142
142		
<i>Anni veteris ratio explicata.</i>		205 seq.
205 seq.		

RERUM NOTABILIORUM.

<i>Afcaniæ Comitum genealogia vestigata.</i>	192	<i>Bibliothecæ Vaticanæ cimelia nonnulla descripta.</i>	404
<i>Afca veterum sepulchralis illustrata.</i>	401	<i>Blanchini (Josephi) Vindicia vulgata versionis S. Scripturae promissa.</i>	630
<i>Sub Afca dedicare, formula explicata.</i>	576	<i>Boehmeri (Jussi Henningi) imago are expressa.</i>	219
<i>Asia olim in superiorem & inferiorem descripta.</i>	91	<i>Bombyx, e sulliculi sui textura prorepens.</i>	137
<i>Asiæ gentis antiquitas vestigata.</i>	501	<i>Ad Bonum summum acquirendum quid requiratur?</i>	463
<i>Atheniensium annus & menses illustrati.</i>	208 seq.	<i>Bourguetus (Lud.) laudatus.</i>	563
<i>Austriacorum Scriptorum Collectio nova promissa.</i>	144	<i>Brandenburgicorum Marchionum origines vestigata.</i>	188 seq.
B.			
<i>Baalzebub quid fuerit?</i>	445	<i>Briffonii (Barnabæ) Antiquitates Juris Notis illustrata.</i>	355 seq.
<i>De Balio (Petro) iudicium.</i>	177	<i>Brockes (Bartholdi Henr.) imago are expressa.</i>	220
<i>Baptismus Joannis qualis fuerit?</i>	156 seq.	<i>Bruckeri (Jac.) imago are expressa.</i>	219
<i>Barbari (Franc.) Epistulas conjunctim edendi institutum.</i>	67	<i>Brunsvico-Luneburgensium Ducum facta & Numi descripti.</i>	158
<i>S. Basilii vita & scripta.</i>	675	<i>Buderus (Christian. Gottlieb) laudatus.</i>	598
<i>De Beausobre (Is.) pater, laudatus.</i>	303	<i>Blichneri (Andr. Elis.) imago are expressa.</i>	220
<i>Benneburgi, urbis, origines vestigata.</i>	90	C.	
<i>Bennopolios, urbis, origines vestigata.</i>	ibid.	<i>De Calatin dominorum vetustissima memoria.</i>	166
<i>De Bergeri (Joach. Ern.) Diatriba de libris rarioribus iudicium.</i>	179	<i>De Calixto (Georg.) iudicium.</i>	32 seq.
<i>Bernoullii (Jo.) imago are expressa.</i>	220		

I N D E X

<i>In Callimachum merita Stübelii.</i>	Cerebri anatomia.	414
709 seq.	motus descriptus. ibid.	
Caloris in animali quoque ratio	Cerimoniarum in praxi morali	
vestigata.	usus.	464
707	Chære, formula, illustrata.	258.
Canensii (Mich.) Vita Pauli II,	Chapmanus (Jo.) a Morgano re-	
P. M. iterum edita.	futatus.	536.
57 seq.	<i>In Chinesi regno quæ incre-</i>	
Canobi, urbis Ægyptiæ, antiqui-	menta nuper ceperit doctrina	
tates illustratae.	Christiana?	171 seq.
12	Chinensis Imperatoris cum Le-	
numus,	gato Pontificis colloquium de-	
<i>in Hadrianum cufus.</i>	scriptum.	173 seq.
ibid.	Chirurgiæ doctrina plenissime	
Canonici Juris principia metbo-	explicata.	32 seq.
do demonstrativa tradita.		
322 seq.	Chocolatæ genus quoddam, a	
Cantharidum in succino gene-	Grossio inventum.	458
rati.	Chora, urbs Galliæ, ubi sita?	
52		400.
Canuleji (L.) memoria in Inscri-	Christus an verus fuerit Mes-	
ptione conservata.	sias?	556.
295	Christi ex Adamo, & Abraba-	
Capfularum atrabiliarum usus.	mo, & Davide, genus dedu-	
663	ctum.	151
Carfania, in legibus nominata,	natales & vita descri-	
quæ fuerit?	pta.	154 seq.
80	divinitas a quo primum	
Carmina selecta veterum Poeta-	asserta?	403
rum edita.	pro nobis satisfactio in	
37 seq.	dubium vocata.	553 seq.
Sub Carolo M. status scientia-	De Christo perversum Morgani	
rum descriptus.	judicium.	551 seq.
393	Christinæ, Reginæ Succiæ, Nu-	
De Catalogis MStorum Angliæ	mophylacium laudatum. 1 seq.	
judicium.	Chronologia regni Suetbici re-	
176	ctius instructa.	493
Cataractæ tunicate an den-		
tur?		
37		
Cavei (Guil.) ad Ottonem Men-		
ckenium Epistola edita.		
92.		
384		
de se ipso judi-		
cium.		
384		
Caverna vaporifera sulphurea		
descripta.		
137		
		Chrono-

RERUM NOTABILIORUM.

Chronologiæ in Historia usus.	292	Conchæ fluviatiles margaritiferae descriptæ.	138
<i>universalis Systema novum.</i>	483 seq.	Conchyliorum testa: in Tabulis delineata.	143
Ciceronis Operum editiones antiquæ descriptæ.	65	Concilia Hungariæ collecta.	246 seq.
<i>loca quaedam emendata.</i>	382 seq.	In Concilio Tridentino Acta descripta.	619 seq.
Cimbria literata promissa.	525 seq.	Corcyræ insula nomen unde?	229 seq. 231
Clodii (Jo. Christiani) in Gusefii Lexicon lingua Hebraica merita.	502 seq.	Cornua altaris quid fuerint?	446
Cocceji (Sam.) imago ære expressa.	218	Cornuti operis in bello usus.	129
De Colomesio (Paulo) iudicium.	183	Colstero (Laur.) inventæ Typographiæ honor vindicatus.	94 seq.
Coloniæ & provinciarum numi descripti.	3 seq.	Culices in glebis succineis generari soliti.	51
<i>insignia in numis qua?</i>	4 seq.	Cuniculorum militarium instruendorum ratio.	411
Columella emendatus.	214. 285	Cuperi (Gisb.) ad Sperlingium Epistolæ editæ.	407
Columnarum ordines descripti.	227	Cyclorum Sinensium ratio descripta.	132 seq.
Coluthi Carmen Græcum Gallicè redditum & illustratum.	477 seq.	S. Cyrilli Hierosolymitani vita & scripta.	676 seq.
Cometa anni 1723 descriptus.	135		
<i>anno 1699 observatus.</i>	ibid.	D.	
Communio rerum primæva explicata.	640	S. Damasi vita descripta.	676
<i>peregrina, pæna Clevericorum.</i>	667 seq.	Danicæ Inscriptiones collectæ.	433 seq.
		Danorum historia ecclesiastica descripta.	579 seq.
		Davidi (Jo.) in Maximum Tyrurum merita.	389 seq.
		Zzz z 3	Deco-

I N D E X

<p>Decorum ex mente Stoicorum quale? 612</p> <p>Decretum Dei absolutum in quo consistat? 117</p> <p>Defendendi loca munita ars descripta. 131</p> <p>Dei in mundo creando sapientia demonstrata. 115</p> <p> varia attributa demonstrata. 115 seq.</p> <p> decretum absolutum in quo consistat? 117</p> <p> apparitiones symbolicae explicatae. 140</p> <p>Deylingii (Salom.) imago aere expressa. 220</p> <p>Diogenis Laertii locus illustratus. 609 seq.</p> <p>Diptychum eburneum explicatum. 232</p> <p>Ex Dominio qua jura oriuntur? 641 seq.</p> <p>Dominiorum origo qua? 639 seq.</p> <p>Donati Carthaginensis vita descripta. 677 seq.</p> <p>Pro Drakenborchio (Arn.) Vindicata. 15</p> <p>Drascowithii (Ge.) Orationes duae editae. 617 visa. 618</p> <p>Drusilla, Felicis uxor, qua gente orta? 109</p> <p>Dudithii (Andrea) Orationes commendatae. 616 seq.</p>	<p>Dudithii (Andrea) Vita. 617 seq.</p> <p style="text-align: right;"><i>scriptorum</i></p> <p> Collectio promissa. 618</p> <p>Duumvir adis dedicanda an unus dici potuerit? 25</p> <p>Dux belli nemo, nisi qui Philopobus. 643 seq.</p> <p style="text-align: center;">E.</p> <p>Ecclesiae veteris ratio descripta. 73</p> <p>Ecclesiastica Historia recentiorum temporum descripta. 26 seq.</p> <p>Eclipsis Lunae partialis A. 1735 observata. 136</p> <p>Elagabalus (M. Antoninus) quo anno & mense diem obierit? 634 seq.</p> <p>Ellipsium Graecarum exempla collecta. 287 seq.</p> <p>Elpisticorum secta qua? 139</p> <p>Enthusiasmus, nomen, unde? 381</p> <p>Epici carminis ratio explicata. 422 seq.</p> <p>Episcoporum origo qua? 74</p> <p>Equites Romani an, magistratu capto, equum publicum amiserint? 19 seq.</p> <p> illustres qui olim di- si? 20 seq.</p> <p>Evangelia qua lingua scripta? 101</p> <p>S. Eusebii, Ep. Samosatani, vita descripta. 676</p> <p style="text-align: right;">Exem-</p>
---	--

RERUM NOTABILIORUM.

Exemplum & Exemplar, vocum, vera significatio.	92	Fœtus humani ante & post partum natura descripta.	119 seq.
F.			
De Fabricii (Jo.) Historia Bibliotheca sue judicium.	179	Folardi militaria præcepta sub judicium vocata.	653 seq.
Feudalis Juris Longobardici in Germania usus.	506 seq.	Fontium origo vestigata.	315 seq.
Feudalium placitorum prima Collectio quando confecta?	599	Formicæ in glebis succineis generari solita.	53
Feudorum Imperii investitura in Camera illustrata.	ibid.	Fornicum compositorum varia genera.	222
oblatorum * cause que?	600	componendorum ratio que?	222 seq.
ex oblati & datis mixtorum que ratio?	ibid.	G.	
injuratorum ratio descripta.	600 seq.	Gad & Meni quid fuerint?	444
adificii que ratio?	601	Gallicanæ ecclesie libertas an nunc Pontificio jugo succumbat?	30
apertura castrorum jura que?	ibid.	Gallicarum urbium antiquitates • vestigatæ.	394 seq.
que in juribus consistunt, exempla.	ibid.	Gassendi (Petri) vita descripta.	76
Firmici (Julii Materni) vita & scripta.	673	Gelasii Cesarensis vita descripta.	677
Fistulas curandi methodus Aneliana emendata.	37	Genealogiæ in Historia usus.	292
Fluxiones & fluentes cujuscunque ordinis ope ferierum infinitarum inveniendi methodus.	509 seq.	Generatio hominis naturalis descripta.	119 seq.
Fœderis antiqui liber descriptus.	378	morbosa applicata.	120
		Gemma Iliaca Ægyptia descripta.	9 seq.
		Gemmarum veterum ratio que?	351 seq.
		Geogra-	

I N D E X

Geographia in compendio tradita.	142	H.
Germanicarum quarundam vocum etymologia.	139	H adriani Imp. numus plumbeus descriptus.
Gesnerus (Jo. Matth.) iniquus a Pontedera habitus.	214	Haidii (Jo. Jac.) Melanochalco-graphia commendata.
ab hujus iniquitate vindicatus.	274 seq.	Harduini (Jo.) explicatioes N. Testamenti paradoxa notatae.
Glandulae salivales feliciter ex-scisse.	36	Haverkampii (Sigeb.) in rem numismaticam merita.
Glandularum sebacearum an in variis corporis partibus praesentia negari possit?	662	in Sulustium merita.
Gnosticorum origo & errores descripti.	72	Hauritii (Bennonis Casp.) in Historicos Romanos veteres merita.
Gorii (Ant. Franc.) scriptorum accurata descriptio.	429 seq.	Hebraicae voces recens collecta.
libri promissi.	427. 432	503 seq.
Gottchedia (Ludovica Adelgunda Victoria) imago aere expressa.	219	Hebraicarum antiquitatum The-saurus promissus.
Gravii (Jo. Ge.) emendationes quaedam Ciceronis sub iudicium vocatae.	382 seq.	332 seq.
Grilli, succino involuti.	51	Hecates sacra antiqua descripta.
Gronovii (Jo. Frid.) vita & scripta.	713 seq.	444
Gualtierii (Nic.) Museum rerum naturalium laudatum.	143	Heisen (Henr.) laudatus.
Gusserii (Jac.) Lexicon linguae Hebraicae auctum & emendatum.	502 seq.	Heisterii (Laur.) in Chirurgiam merita.
De Guttenbergio, inventore typographiae, singularia.	96	34 seq.
		Helvetiae plantae indigenae descriptae.
		308 seq.
		Herculi sacra in Dacia thermia.
		585 seq.
		Hermenevtica ex instituto tradita.
		232 seq.
		sacra praecipis explicata.
		342 seq.
		Herodiani unde dicti?
		71
		Herodoti locus emendatus.
		91
		De Heucher (Jo. Henr.) laudatus.
		49
		Humanni

RERUM NOTABILIORUM.

Heumanni (<i>Christoph. Aug.</i>) <i>imago aere expressa.</i>	219	Hygini <i>loca quaedam emendata.</i>	ibid.
Hildeshemii, <i>urbis, origines ve-</i> <i>stigatæ.</i>	90	Hymenis <i>structura quæ?</i>	572 seq.
<i>uomen un-</i> <i>de?</i>	183	Hypochondriaci <i>morbi defini-</i> <i>tio.</i>	467
Hindustanicæ <i>linguæ elementa</i> <i>tradita.</i>	449		<i>origo.</i> ibid.
Historia <i>Ecclesiastica antiqua de-</i> <i>scripta.</i>	68 seq. recentior	I.	
<i>descripta.</i>	32 seq.	Jablonskii (<i>Dan. Ern.</i>) <i>imago</i> <i>aere expressa.</i>	220
Historiæ <i>Romanae Scriptores La-</i> <i>tini veteres conjunctim editi.</i>	289	Jacobi <i>Epistola canonica autori-</i> <i>tas asserta.</i>	256 seq. <i>ordo & analy-</i> <i>sis.</i> 260
<i>per Numismata</i> <i>illustrati.</i>	ibid.	Ickstattii (<i>Jo. Adami</i>) <i>imago aere</i> <i>expressa.</i>	219
Histrionia <i>philosophica descri-</i> <i>pta.</i>	612 seq.	Jesuitarum <i>in Chinensi regno ar-</i> <i>tes varie descriptæ.</i>	173 seq.
Histrionum <i>antiquitates illu-</i> <i>stratæ.</i>	610 seq.	Imagines <i>doctorum virorum aere</i> <i>exprimendi institutum.</i>	216
Hoffmanni (<i>Frid.</i>) <i>imago aere</i> <i>expressa.</i>	219	Imperatoris <i>Romani tituli qua-</i> <i>les?</i>	692 seq. <i>in signis</i> <i>descripta.</i> 693
(<i>Adolph. Frid.</i>) <i>in</i> <i>Philosophiam merita laudata.</i>	371	<i>jura & ob-</i> <i>ligationes descriptæ.</i>	694
Honorius <i>Augustodunensis an</i> <i>in Gallis ortus?</i>	398	Imperatorum <i>Rom. Numismata,</i> <i>in coloniis cusa, descripta.</i>	2 seq.
De <i>Horatii Arte poetica judi-</i> <i>cium.</i>	39	Indicorum <i>quorundam Heroum</i> <i>vita inter se comparatæ.</i>	623 seq.
Hungariæ <i>Concilia collecta.</i>	241 seq.	Inscriptiones <i>quædam Græcæ, a</i> <i>Muratorio publicatæ, emen-</i> <i>datæ.</i>	381 seq.
In <i>Hungariæ regno quomodo</i> <i>prospæctum sit religioni Pro-</i> <i>testantium?</i>	720	Aaa aa	Inscri-
Hygini <i>Tabule recens editæ.</i>	99		

I N D E X

Inscriptiones <i>Danica collecta</i> .	Kahlii (Lud. Mart.) in <i>Stru-</i>
433 seq.	<i>vii Bibliothecam philosophi-</i>
<i>dua Etrusca ex-</i>	<i>cam merica.</i> 514 seq.
<i>plicata.</i> 565	Kepleri (Jo.) <i>vita.</i> 78
Insecta, <i>qua glæbis succineis in-</i>	De Klettenberg (Caroli Henr.)
<i>volutantur, descripta.</i> 50 seq.	<i>in Livium Notæ commendatæ.</i>
Insignium Imperii custodia No-	294
<i>rimbergæ vindicata.</i> 361 seq.	Kobani, <i>numus aureus Japoni-</i>
Interpretandi <i>ars ex instituto</i>	<i>cus.</i> 160 seq.
<i>tradita.</i> 232 seq.	Koenigii (Ge. Matth.) <i>Bibliotheca</i>
Investitura <i>feudorum Imperii in</i>	<i>ca vetus & nova locupletata.</i>
<i>Candia illustrata.</i> 599	178
<i>extra curiam Domini</i>	L.
<i>descripta.</i> ibid	Lactantii <i>antiquæ editiones</i>
Joannis <i>baptismus qualem vim</i>	<i>tres descripta.</i> 65
<i>habuerit?</i> 156 seq.	<i>stilus qualis?</i> 184
Isis <i>in numo Ægyptio.</i> 12	seq.
<i>in gemma Ægyptia.</i> 14	Lætoria <i>gens a Platonia diver-</i>
Judæos <i>inter & Samaritanos</i>	<i>sa.</i> 24
<i>odii causæ.</i> 448	Larissæ, <i>urbis, memoria in nu-</i>
Jura, <i>homini connata, unde co-</i>	<i>mo.</i> 296
<i>gnoscenda?</i> 591 seq.	Langii, <i>Cardinalis, ortus legiti-</i>
<i>quæ sint connata?</i> 593 seq.	<i>mus.</i> 351
Juris <i>antiquitates illustratæ.</i>	Larvis <i>se induendi in festo Cbri-</i>
356 seq.	<i>sti natalicio, mos antiquus.</i>
De <i>Juris natura principio Tho-</i>	399 seq.
<i>masiano judicium.</i> 524	Latina <i>lingua usi Apostoli.</i> 101
Jus <i>Canonicum methode demon-</i>	seq.
<i>strativa traditum.</i> 322 seq.	Lauro <i>quam vim tribuerint ve-</i>
Justificari <i>quid sit?</i> 109	<i>terres?</i> 306
K.	Lautia <i>qualia fuerint munera?</i>
Kahlius (Lud. Mart.) <i>lauda-</i>	18 seq.
<i>sus.</i> 325	Leges <i>quadam Romana explica-</i>
	<i>tæ & emendata.</i> 79 seq. 471
	seq.
	Leibnitii

RERUM NOTABILIORUM.

Leibnitii (G. G.) <i>philosophia an religioni detrimentum afferat?</i>	520	Literarum non naturalium naturalibus origo demonstrata.	41 seq.
De Leibnitii (G. G.) <i>Theodicea judicium.</i>	112	Livii aliquos loca illustrata & emendata.	15 seq.
Leisneri (Jo. Frid.) <i>in Lamb. Bossii Ellipses Græcas merita.</i>	288	Inscriptio sepulchralis.	291
Lelandus (Jo.) <i>a Morgano refutatus.</i>	535 seq.	Historiarum editiones nominatae.	292
De Leonida, <i>epico carmine, judicium.</i>	422	De Lockio (Jo.) <i>judicium.</i>	523
Liber <i>fœderis antiqui descriptus.</i>	378	Locustæ, <i>succino inclusa.</i>	51
Libertas <i>sentiendi dicendique prisca JCtis propria.</i>	358	Longobardici <i>Juris feudalis usus in Germania qualis?</i>	506 seq.
<i>juridica quid sit?</i>	359	De Ludewig (Jo. Petri) <i>imago ære expressa.</i>	220
<i>an per Philosophiam Leibnitianam destruat?</i>	520 seq.	Lugduni, <i>urbis, antiquitates illustratae.</i>	574 seq.
Liberratis <i>abusus mali moralis fons.</i>	379	Lutherus <i>iniquissime habitus.</i>	530
Libertum <i>arbitrium quid sit?</i>	421	M.	
De Licis <i>usu Observaciones varias.</i>	663	Massæ (Scip.) <i>imago ære expressa.</i>	220
Ligamentorum <i>corporis humani vera ratio explicata.</i>	271 seq.	Magdeburgo <i>jus stipulæ vindictarum.</i>	82
Ligamentum <i>quid sit?</i>	272 seq.	<i>an competat?</i>	84
Linguarum <i>humanarum diversitas & harmonia.</i>	474 seq.	Magduni <i>castræ varie appellationes.</i>	394
Lipsiæ <i>jus stipulæ contra Magdeburgum vindictarum.</i>	85	Magi, <i>Christum adorantes, qui fuerint?</i>	155
Literarum <i>naturalium ratio explicata.</i>	41 seq.	Magorum <i>orientalium antiquitates illustratae.</i>	447
		Malum <i>morate unde?</i>	379 seq.
		Malum, <i>apud antiquos signum amoris.</i>	478
		Mani-	

I N D E X

Manilio quid sit annus caelestis?	207	Melanchthon (Pbil.) adversus Affmannum vindicatus.	185
Manuscripta, quae sunt in Bibliotheca Reimanniana, descripta.	188	ejus Hypotyposes, liber rarissimus, descripta.	425
Manuum figura ad dies indicandos apta.	212	S. Meletii, Ep. Antiocheni, vita descripta.	676
Marchionum Brandenburgicorum origines vestigata.	188	In Menandri Excerptis locus illustratus.	402
seq.		Menckenii (Otonis) ad Guil. Caveum Epistola quaedam edita.	92
Marix Deiparae qui fuerint parentes?	152	vita & in literas merita.	426
an fuerit cum Iosepho matrimonium?	153	(Irid. Ott.) liber promissus.	384
puerperium explicatum.	154	De Menckenii (Jo. Burch.) Dissertationibus duabus judicium.	182 seq.
Marklandi (Jerem.) in Maximum Tyrium merita.	386	Mensis Attici ratio explicata.	208
Martini (Eman.) imago aere expressa.	215	Ex Meretriciis cellis lucra olim in studium data.	602
De Martyrologiis judicium.	72	Metaphysices scientia qualem duci belli usum praestet?	647
In Materia medica an sit aliquid certi?	452 seq.	Meteorologicae Observationes variae.	137 seq.
Mattairii (Mich.) in Plutarchi Apophthegmata merita.	577	Methodus mathematica ad Theologiam dogmaticam applicata.	111 seq.
Maximi Tyrii loca quaedam emendata.	387	Militaris rei praecepta tradita.	126 seq.
De Maximi Tyrii Dissertationibus judicium.	388	doctrina ex Philosophia maxime petenda.	643
In Maximum Tyrium merita Davisi & Marklandi.	385	seq.	
seq.		Milliaria	
Medullam spinalem inveniendi modus descriptus.	663		
De Meieri (Gebh. Th.) Monumentis Julii judicium.	184		

RERUM NOTABILIORUM.

<i>Milliaria Romana recentiora ali-</i> <i>quanto breviora antiquis.</i> 633	<i>Et rebus divinis insulsa judi-</i> <i>cia.</i> 536 seq.
<i>Millius (Davides) laudatus.</i> 440	<i>Mortarium cur dicta fuerit Hiero-</i> <i>solyma?</i> 424
<i>Ministerii ecclesiastici origo.</i> 73	<i>Mosaicarum legum auctoritas in</i> <i>dubium vocata.</i> 546 seq.
<i>Minorum Ordinis Annales de-</i> <i>scripti.</i> 145 seq. 529 seq.	<i>In Mosen iniquior Morganus.</i> 554 seq.
<i>Miphlezet quid fuerit?</i> 445	<i>Moshemius (Jo. Laur.) lauda-</i> <i>tus.</i> 67 seq.
<i>Miracula Scripturae S. in dubium</i> <i>vocata.</i> 542. 555	<i>ejus Hi-</i> <i>storia ecclesiastica recentior</i> <i>laudata.</i> 32 seq.
<i>an ab alio prater</i> <i>Deum fieri possint?</i> 687	<i>immote-</i> <i>stius notatus.</i> 186
<i>Miraculum quomodo debeat esse</i> <i>comparatum?</i> 542 seq.	<i>ejus imu-</i> <i>go are expressa.</i> 219
<i>Missionis Pontificiae in Chinam</i> <i>historia descripta.</i> 173 seq.	<i>scripto-</i> <i>rum, sive editorum, sive pro-</i> <i>missorum, noticia literaria.</i> 404 seq.
<i>Mohamedicae antiquitates illu-</i> <i>strata.</i> 441 seq.	<i>Mulierum cur armorum usu apud</i> <i>Judeos interdictum fuerit?</i> 443 seq.
<i>Molleri (Jo.) Cimbria literata</i> <i>promissa & descripta.</i> 525 seq.	<i>Mundi finis quando futurus?</i> 487
<i>Montecuculi, ducis bellici, ars</i> <i>militaris commendata.</i> 651	<i>Munitiones iocorum quomodo</i> <i>instruenda?</i> 125 seq.
<i>Moralem doctrinam docendi</i> <i>variae methodi.</i> 622 seq.	<i>Munitorum lacrum in Republi-</i> <i>ca necessitas.</i> 409 seq.
<i>Moralium actionum principia</i> <i>generalia.</i> 462	<i>Muratorii (Lud. Ant.) imago</i> <i>are expressa.</i> 220
<i>Morbi, ex pluviae inopia in A-</i> <i>gypto oriri soliti.</i> 88 seq.	<i>Inscri-</i> <i>ptiones quaedam Graecae emen-</i> <i>datae.</i> 381 seq.
<i>hypochondriaci defini-</i> <i>tio.</i> 467	<i>Aaa aa 3</i> <i>Mulica-</i>
<i>origo.</i> ibid.	
<i>Mores hominum conjectandi ars</i> <i>tradita.</i> 465	
<i>Morgani (Thomae) de religione</i>	

I N D E X

Muscarum, succino inclusarum, varia genera.	51	Numismata Imperatorum, in conionis & provinciis cusa, descripta.	2 seq.
Mysterium ultimarum temporum stabilium.	338 seq.	Numos cum defunctis condendis ritus antiquus.	10 seq.
Mythographi Latini recens editi.	97 seq.	Numus Macrini Imp. varior descriptus.	7
N.		Hadriani Imp. plumbeus descriptus.	9
Nasi polytypus singulari artificio exstirpatus.	36	Mohamedismi tesseram praeferens.	442
Natandi ars exposita.	287	Maximini Augusti varior.	587
Naturalium rerum Collectio Dresdensis Regia laudata.	50	O.	
De Newtono (Is.) singularia.	517	Obligationum naturalium vera ratio explicata.	591
Nili antiquitates illustrata.	443	Observationum Flutensium Auctores detecti.	92
Norimbergæ privilegium de cuedenda moneta concessum.	162	Occultationes stellarum fixarum A. 1736 observata.	136
custodia insignium Imperii vindicata.	361 seq.	Oculorum morbi quomodo curandi?	36
Numaria res Sinensium illustrata.	138	Odini, Regis, posterius nominati.	494
Numi Antiochenfis colonie variores.	6	res gesta descripta.	501
plumbei an hodie inveniantur?	10	Officia quae sint hominis secundum Jus Naturae?	593 seq.
alii quos variores descripsi.	158 seq. 188. 349 seq. 558 seq.	Oppugnandi loca munita ars descripta.	127
Historiam Livii illustrantes, collecti.	293	S. Optati vita & scripta.	678
unciales designati.	558 seq.	De Oraculis gentilium judicium.	71
Elagabali illustrati.	636	Orthographiae veteris utilitas.	204
De Numis Gordianorum singularia.	7 seq.	Ossium	

RERUM NOTABILIORUM.

Offium doctrina illustrata. 136	Philosophorum hystoria de-
carpi nomina inventa. 662	scripta. 612 seq.
	Philosophorum hystoriarum ex-
	empla. 613 seq.
P.	Physicarum observationum uti-
	litas. 451
S. Paciani vita & scripta.	Platoria gens a Lætoria diver-
678	sa. 124
Papillones, succino involuti. 51	Plagii literarii exemplum. 178
Pappenhaimensium Comitum	Plantæ Africana descriptæ. 228
Historia a variis descripta.	seq.
165	Helveticæ indigenæ de-
recens illustrata. 166 seq.	scriptæ. 308 seq.
Paschalis computationis ratio e-	Alsatica descriptæ. 597
mendanda. 482. 488	seq.
Pauli II, P. M. vita edita. 57	Plantarum omnium genera &
seq.	species descriptæ. 366 seq.
adversus Platinam, &	Plauti formulæ variæ explicatæ.
alios, vindiciæ. ibid.	715 seq.
doctrinæ laudatæ. 58	Plinius emendatus. 214
magnificentiæ singula-	ejus locus explicatus.
ve studium. 60	456
vita descripta. 61 seq.	Pluvia rara in Ægypto. 88
tempore felicissimus	Pœnæ a Deo cur irrogentur?
literarum status. 63 seq.	117
Peterfy (Carolus) notatus. 241	Pœstos contemtores refutati.
seq.	37 seq.
Petronii locus emendatus. 81	præcepta quedam tra-
Pfaffii (Christoph. Matthæi) imi-	ditæ. 422 seq.
go are expressa. 218	Pomeraniæ Suetbiciæ status &
S. Philastrii vita & scripta. 678	Jus publicum explicatum.
Philopatridis, Dialogi, Autor	168 seq.
quis? 404	præcipui
Philosophia duci belli necessaria.	Historici nominati. 169
643 seq.	Pontedera (Julius) laudatus.
	196
	Ponte-

I N D E X

Pontederæ (Jul.) in Scriptores	Reformationis sacrorum histo-
<i>rei rusticae merito.</i>	<i>ria descripta.</i>
198	27 seq.
<i>in J. M.</i>	Regeneratio an iterari possit?
Gesnerum animus iniquior.	424 seq.
200 seq.	<i>ejus natura.</i> ibid.
Pontificibus olim Jus Civile fuit	Reimmanni (Jac. Henr.) desti-
<i>proprium.</i>	<i>nata literaria.</i>
356 seq.	176. 184.
De Popeblount (Thomæ) Cen-	<i>petca-</i>
sura celeberrimorum Autorum ju-	<i>ta literaria notata.</i>
dicium.	187
179	Religio naturalis an differat a
De Porphyrio judicium.	<i>revelata?</i>
515	544
Probabilitatis doctrina explica-	De Religione judicium Morga-
<i>ta.</i>	<i>ni.</i>
376 seq.	536
Problema novum, Geometris	S. Renobertus quo Seculo vixe-
<i>propositum.</i>	<i>ris?</i>
659 seq.	397
De Prophetis perversum Mor-	Reservata Imperatoris descripta.
gani judicium.	694 seq.
550 seq.	Revelationis divina origo asser-
Ptolemæi liber Astronomicus in-	<i>ta.</i>
ter spurios resolutus.	539. 681 seq.
213	<i>necessitas demon-</i>
Pufendorffii (Sam.) Introductio	<i>strata.</i>
in res Suetbicas illustrata.	681
492 seq.	Ræverus (Matthias) laudatus.
De Pufendorffio (Sam.) julli-	79
cius.	Rugrum in vagina uteri qua-
523	<i>ratio?</i>
De Pythagora judicium.	572
515	Runicum in signo monumentum
Q.	<i>explicatum.</i>
Quirini (Ang. Maria) Car-	438
dinalis, laudatus.	Rusticæ rei Scriptores illustrati
57	<i>& emendati.</i>
<i>ejus</i>	204 seq.
Epistola ad varios laudata.	Ruysschii (L'rid.) Methodus ve-
67	<i>ri, qua præparantur cadave-</i>
<i>Epis-</i>	<i>ra, edita.</i>
tolas Franc. Barbari edendi	459
insuetum.	S.
ibid.	De Sacerdotibus Judaicis per-
R.	<i>versum Morgani julli-</i>
Ratiociniorum humanorum	<i>cius.</i>
tria principia.	549
374	Sacra-

RERUM NOTABILIORUM.

Sacramentum sine iurejurando	Gen. III, 16.	344
olim.	V, 22.	ibid.
Salti an conspicui sint in Numismate Antonini Pii?	24.	ibid.
Salium vis caustica unde ortum ducat?	VI, 9.	ibid.
	X, 24.	152
	XI, 12.	ibid.
Sallustius cum Notis rariorum editus.	XIV, 14.	689
	XVII, 1.	344
Sanchoniathonis fides vindicata.	XVIII, 24.	ibid.
	25.	342
Scarabæi, succino inclusi. § 1 seq.	XIX, 10.	102
Schechina Dei remedium adversus idololatriam.	XXI.	332
	XLI, 5.	424
Schlegeri (Julii Caroli) scripta edita & promissa.	XLIII, 30.	448
	XLVIII, 18.	345
Schultens (Alberti) in Monumenta quadam veterum Arabum merita.	XLIX, 10.	685
	Exod. III.	340. 341
	6.	345
	IV, 19.	341
	X, 22.	104
	XIX.	341
	21 seq.	378
	XX.	341
	1.	378
	2.	341
	5-17.	378
	XXIV, 5.	ibid.
	7.	ibid.
	XXVII, 2.	446
	Levit. V, 4.	504
	XIII, 5.	424
	35.	ibid.
	47.	89
	54.	424
	XIV, 3.	89
	32.	ibid.
	Bbb bb	Levit.
Scripura S. per parentheses declarata.		337 seq.
Scriptura veteris ratio illustrata.		202
S. versio vulgata vindicata.		626 seq.
divinitas demonstrata.		340
varie versiones recensite.		627 seq.
veritas, antiquitas, & origo divina, asserta.		680 seq.
loca quaedam explicata aut illustrata:		

I N D E X

<i>Levit. XVII, 7.</i>	89	<i>1 Par. III, 19.</i>	151
<i>XX, 27.</i>	447	<i>XIV, 21.</i>	102
<i>XXVI, 1.</i>	441. 445	<i>31.</i>	ibid.
<i>XXVII, 21.</i>	548	<i>2 Par. XXXII, 31.</i>	690
<i>28.</i>	ibid.	<i>XXXV.</i>	151
<i>Num. X, 6.</i>	424	<i>Esr. I, 1.</i>	684
<i>XV, 30.</i>	480	<i>IV, 6.</i>	ibid.
<i>XVIII, 14.</i>	548	<i>VI, 14.</i>	ibid.
<i>XIX, 11 seq.</i>	300	<i>21. 22.</i>	ibid.
<i>XXIV, 17.</i>	103	<i>Neb. VIII, 17.</i>	ibid.
<i>XXXVI, 7, 8.</i>	151	<i>XII, 1-27.</i>	ibid.
<i>Deut. X, 16.</i>	345	<i>Job. XIX, 25, 26.</i>	345
<i>XI, 9 seq.</i>	88	<i>Pf. XII, 9.</i>	104
<i>26 seq.</i>	345	<i>XXII.</i>	302
<i>XIII, 1-4.</i>	687	<i>XLVIII, 2.</i>	443
<i>XXII, 5.</i>	441. 443	<i>LI, 8, 9.</i>	345
<i>XXVIII, 27. 28.</i>	89	<i>XC, 3.</i>	ibid.
<i>60.</i>	ibid.	<i>Prov. XVI, 15.</i>	89
<i>68.</i>	88	<i>XVII, 27.</i>	265
<i>XXX. 6.</i>	345	<i>XXV, 11.</i>	269
<i>XXXII, 39.</i>	ibid.	<i>Ecclef. III, 18.</i>	504
<i>Jos. V, 2.</i>	424	<i>IV, 17.</i>	265
<i>VI, 25.</i>	683	<i>V, 1. 2.</i>	ibid.
<i>Judic. V, 20.</i>	690	<i>X, 5.</i>	300
<i>XVIII, 28.</i>	683	<i>XXXIV, 26.</i>	ibid.
<i>1 Sam. II, 6.</i>	345	<i>Ez. III, 23.</i>	479
<i>XIV, 25.</i>	103	<i>VII, 14.</i>	685
<i>XXXVIII, 7.</i>	447	<i>VIII, 19.</i>	447
<i>2 Sam. XIV, 29.</i>	424	<i>XIV, 22.</i>	561
<i>1 Reg. II, 28.</i>	446. 447	<i>XVIII, 2.</i>	88
<i>VI, 31.</i>	424	<i>XXVI, 19.</i>	345
<i>XV, 13.</i>	445	<i>XLVIII, 18.</i>	378
<i>XVII, 18.</i>	107	<i>XLIX, 3.</i>	503
<i>XVIII, 44.</i>	424	<i>LXV, 3, 4.</i>	445
<i>2 Reg. I, 2.</i>	445	<i>11.</i>	414
<i>1 Par. I, 18.</i>	152	<i>LXVI, 17.</i>	ibid.
		<i>Jer.</i>	

RERUM NOTABILIORUM.

<i>Jer.</i> I, 13.	487	<i>Tob.</i> XIII, 2.	345
II, 18.	88	<i>Sirac.</i> V, 11.	265
IV, 4.	345	XV, 17.	345
VI, 6.	ibid.	XVII, 19.	ibid.
VII, 18.	444	XXX, 20.	300
XVII, 22.	335	XXX, 4, 5.	269
XXII, 30.	152	<i>1 Macc.</i> I, 27-29.	108. 300
<i>Thren.</i> XLIV, 17.	444	V, 42.	300
V, 10.	448	VI, 49.	485
<i>Ezech.</i> III.	345	53.	ibid.
XVIII.	ibid.	VII, 12.	300
XIV, 29.	548	XIV, 45.	ibid.
XXXIII.	345	<i>2 Macc.</i> VII, 9 seq.	345
31, 32.	267	XVI, 14.	485
XLIV, 2.	154	<i>Matth.</i> I, 1-18.	102
<i>Dan.</i> II, 5.	301	II, 11.	300
12.	ibid.	23.	103
IV, 7, 8.	ibid.	III, 10.	ibid.
VII, 14, 15.	342	11.	156
IX, 25, 26.	485. 685	IV, 12.	103
27.	685	V, 18.	ibid.
XII, 2.	345	VI.	ibid.
<i>Hof.</i> III, 4, 5.	687	10.	300
<i>Habac.</i> III.	335	VII.	103
<i>Sophon.</i> I, 11.	424	VIII, 5.	ibid.
III, 18.	335	29.	107
<i>Zach.</i> VI, 12.	103	30.	104
VIII.	335	X, 1.	270
<i>Sap.</i> II, 3.	345	2.	104
III, 1 seq.	ibid.	4.	ibid.
IV, 7.	ibid.	10, 11.	157
V, 7-16.	ibid.	17.	301
XVI, 13.	ibid.	XII, 3, 4.	104
<i>Tob.</i> II, 17.	ibid.	39, 40.	556
III, 6.	ibid.	43.	270
IV, 30.	ibid.	XIII, 19-23.	267
		Bbb bb 2	<i>Matth.</i>

I N D E X

<i>Matth.</i> XIV, 6.	301	<i>Luc.</i> III, 35.	152
XVI, 18.	108	36.	686
19.	104	IV, 19.	303
27, 28.	301	VI, 15, 16.	104
XVII, 1.	157	17 <i>seq.</i>	103
12.	103	VII, 1.	104
XIX, 8.	105	X, 42.	303
29.	ibid.	XI, 13.	262
XX, 23.	ibid.	14, 15.	687
XXI, 5.	301	41.	106
XXII, 22, 23.	345	XII, 29.	106
32, 33.	ibid.	XIV, 23.	303
XXIV.	342. 485	XVI, 19.	72
14.	106	28.	106
29.	301. 687	XVIII, 12.	ibid.
XXV.	342	XX, 46.	444
XXVII, 9.	302	XXI, 26.	106
19.	107	XXII, 26.	ibid.
44.	105	43.	303
45.	442	<i>Jo.</i> I, 3.	107
XXVIII, 16.	105	4.	ibid.
19.	425	8.	ibid.
<i>Marc.</i> I, 4.	157	18.	141
VII, 3.	442	51.	303
IX, 16.	302	II, 4.	107
XII, 38.	444	III, 3.	425
<i>Luc.</i> I, 31.	153	13.	107
39.	ibid.	IV, 9.	443
II, 1 <i>seq.</i>	106. 151	35.	89
2.	106	V, 1.	107
7.	106. 154.	22-27.	342
22, 23.	155	VII, 15.	107
27.	ibid.	17.	114
35.	106	IX, 33.	687
43.	153	39.	107
III, 16.	157	X, 38.	689
		<i>Jo.</i> XI,	

RERUM NOTABILIORUM.

Jo. XI, 27.	107	Act. XXVII, 8.	109
XII, 28, 29.	303	13, 14.	ibid.
31.	107	Rom. I, 1.	258
XIII, 1.	302	19, 20.	210
2.	104	II, 12.	110
XIV, 12.	107	III, 16.	263
XVIII, 1.	ibid.	V, 1.	ibid.
31.	105	4.	260
36.	107	VI, 3.	110
38.	71	VIII, 3.	ibid.
XIX, 7.	105	IX, 27.	485
14.	302	XI, 25.	338
25.	104	26.	485
XXI, 16.	108	XIII, 12.	444
Act. I, 4.	108	XIV, 10, 11.	342
II, 17.	ibid.	1 Cor. IV, 17.	263
VII, 5.	442	V, 10.	342
30.	341	VI, 13.	270
36.	ibid.	XII, 10, 11.	687
58.	265	2 Cor. V, 10.	341
X, 34.	114	Gal. I, 1.	258
XII, 8.	157	10.	ibid.
XIII, 33.	108	II, 11.	111
48.	ibid.	Eph. VI, 12.	442
XIV, 16.	263	Col. IV, 15.	116
XV.	552	2 Thess. II.	485
20.	108	1 Tim. I, 4.	72
XVII, 31.	342	II, 2 seq.	ibid.
XIX, 2.	156	III, 2.	74
19.	183	IV, 7.	72
31.	108	VI, 16.	141
35.	ibid.	Tit. I, 1.	258
XXIV, 5.	109	9.	74
6.	105	III, 4-7.	424
10.	ibid.	1 Petr. I, 7.	260
XXVII, 5.	109	2 Petr. I, 1.	258
		Ccc cc	2 Petr.

I N D E X

<i>2 Petr. II, 9-22.</i>	270	<i>Apoc. XIV.</i>	482
<i>Ebr. IV, 2.</i>	267	XX.	553
<i>VII, 14.</i>	151	XXI.	486
<i>IX, 9.</i>	378	<i>Sendelius (Nathan.) laudatus.</i>	
19.	ibid.		50
<i>XI, 9.</i>	442. 548	<i>Sententiosum scribendi genus</i>	
25.	345	<i>quale?</i>	234
33.	105	<i>Sequestris an Julii cujusdam</i>	
<i>XII, 1.</i>	265	<i>cognomen fuerit?</i>	23 seq.
25, 26.	341	<i>S. Serapionis vita & scripta.</i>	
<i>Jac. I, 1.</i>	258. 259		675
2.	259. 260	<i>Sevarambiorum Historia quis</i>	
3.	260	<i>Autor?</i>	524
4.	261	<i>Sinensium cycli descripti.</i>	132
5. 6.	262		seq.
7-9.	263	<i>res numaria illustra-</i>	
13-17.	259. 263. 264	<i>ta.</i>	138
18.	265. 266	<i>De Sixto, Philosopho & Pontifi-</i>	
19, 20.	265	<i>ce Romano, judicium.</i>	516
21.	265. 266	<i>Sociniani refutati.</i>	344 seq.
<i>II, 1.</i>	267	<i>Sol, tempore Josue resistens, ra-</i>	
2.	265	<i>tioni congruenter expositus.</i>	
4, 5.	268		689 seq.
14 seq.	260	<i>Sponsa, symbolum ecclesie.</i>	378
21-25.	ibid.		seq.
<i>III, 1.</i>	270	<i>Stadensium Comitum origo utri-</i>	
6.	268. 300	<i>de?</i>	191
<i>IV, 5, 6.</i>	270	<i>Stapulae jus Magdeburgo vindi-</i>	
<i>Jud.</i>	ibid.	<i>catum.</i>	82
4 seq.	344		<i>an com-</i>
14, 15.	553	<i>petat?</i>	84 seq.
<i>Apoc. V, 8.</i>	ibid.		<i>Lipsie</i>
<i>VIII, 34.</i>	338	<i>contra Magdeburgum vindi-</i>	
<i>X, 7.</i>	445	<i>catum.</i>	85
<i>XI, 3 seq.</i>	ibid.	<i>Statuarum idololatricarum an-</i>	
11.	ibid.	<i>tiquitates illustratae.</i>	445
15.			<i>vun</i>

RERUM NOTABILIORUM.

<i>van Staveren (Augustini) in Mythographos Latinos merita.</i>	97 seq.	Telluris figuræ quæ?	315
<i>In Stofchium (Phil. L. B.) numeri excusi.</i>	351 seq.	N. Testamentum qua lingua scriptum?	101
<i>Struvii (Burch. Gotth.) Bibliotheca philosophica sæpius aucta.</i>	514	Thaleri varii generis descripti.	158. 348
<i>Stübelii (Jo. Friedlieb) in Callimachum merita.</i>	710 seq.	Theodromi Ignatii qui sint?	89 seq.
<i>Succinorum, alia corpora involventium, natura explicata.</i>	50 seq.	Theologia dogmatica methodo scientifica pertractata.	111 seq.
<i>vena descriptæ.</i>	52	experimentalis inter pia desideria numeranda.	114
<i>generatio explicata.</i>	53	Theophrastus emendatus.	214. 305 seq.
<i>inclusa vera descripta.</i>	55	Therapevte qui fuerint?	71
<i>Suecix Regum decem diverse stirpes.</i>	498	Thermæ quem ad sanitatem usum præsent?	587 seq.
<i>Suethici regni Chronologia vestigata.</i>	492 seq.	Thermarum Herculænarum in Dacia antiquitates illustratæ.	585 seq.
<i>antiquitas illustrata.</i>	495 seq.	usûs & præstantia.	587 seq.
<i>Superfœratiô quid sit?</i>	121	De Thermometris variis.	138
<i>Synodi Hungariæ collecta & descriptæ.</i>	248 seq.	Thusei unde dicti?	500
T.		Timothæi, Archiep. Alexandrini, vita descripta.	677
T abula antiqua ænea explicata.	563 seq.	De Taxælio (Sebast.) fabule refutata.	246
<i>Eugubina explicata.</i>	564 seq.	De Tractorix nova quadam specie Problema.	134
<i>Tacticæ novam genus inventum.</i>	650	Treckell (Alb. Dieterici) in Brissonii Antiquitates Juris merito.	356 seq.
<i>Tartari vitriolati diacrisis experimentis illustrata.</i>	136	promissi.	357
<i>Tauroboliorum antiquitates illustratæ.</i>	576	Trepidare, vocis, rarior significatus.	16
		In Tri-	

INDEX RERUM NOTABILIORUM.

- | | |
|--|---|
| <p><i>In Tridentino Concilio acta de-</i>
<i>scripta.</i> 619 seq.</p> <p><i>Trigonoscopix cujusdam nove</i>
<i>conspexus.</i> 134</p> <p><i>In Triumpho decernendo an</i>
<i>prolatorum finium ratio habi-</i>
<i>ta?</i> 21</p> <p><i>Triumviri nocturni quando pri-</i>
<i>imum instituti?</i> 357</p> <p><i>a Turre (Philippi) vita & scri-</i>
<i>pta.</i> 637</p> <p><i>Typographix inventa honor</i>
<i>Harlemo vindicatus.</i> 93 seq.</p> <p style="text-align: center;">V.</p> <p>V<i>agina uteri anatomico de-</i>
<i>scripta.</i> 570 seq.</p> <p style="padding-left: 2em;"><i>ejus structura</i>
<i>rugosa.</i> 571</p> <p><i>De Valerii (Andrea) Bibliothe-</i>
<i>ca Belgica judicium.</i> 180</p> <p><i>Valesius (Hadr.) refutatus.</i> 400</p> <p><i>Vallechius (Virginus) refuta-</i>
<i>tus.</i> 633 seq.</p> <p><i>Vaubanii principia disciplina</i>
<i>militaris ubique magni esti-</i>
<i>mata.</i> 125</p> <p><i>Vegetabilis regni consideratio</i>
<i>historica & physica.</i> 366 seq.</p> <p><i>Venarum sectio quomodo & qui-</i>
<i>bus in morbis instituenda?</i>
567 seq.</p> <p><i>Veneris Erycina ades descripta.</i>
21</p> <p><i>Vermium in corpore humano</i>
<i>varia genera.</i> 121 seq.</p> <p><i>Vespe ichneumones in glebis</i>
<i>generari solita.</i> 50 seq.</p> | <p><i>Ugolini (Blasi) liber promissus</i>
332 seq.</p> <p><i>Viani, Patris, vita descripta.</i>
170 seq.</p> <p><i>Victorini, Oratoris Christiani,</i>
<i>vita & scripta.</i> 674</p> <p><i>S. Victricii Tractatus de Laude</i>
<i>Sanctorum editus.</i> 394</p> <p><i>De Vigelii (Nic.) Methodo Ju-</i>
<i>ris controversi judicium.</i> 506</p> <p><i>des Vignoles (Alphonse) imago</i>
<i>are expressa.</i> 220</p> <p><i>Vignolius (Jo.) refutatus.</i> 633
seq.</p> <p><i>Vite maximorum Heroum in-</i>
<i>ter se comparata.</i> 623 seq.</p> <p><i>Vitri electrici & phosphorescen-</i>
<i>tis varia phenomena.</i> 137</p> <p><i>Vitulus aureus quomodo fuerit</i>
<i>efficitus?</i> 445</p> <p><i>Voraginum vomentium theoria.</i>
318 seq.</p> <p><i>Vulgatae versionis Scripturae S.</i>
<i>vindicata parata.</i> 626 seq.</p> <p><i>Vulpeculae scholastica nomen</i>
<i>unde?</i> 182</p> <p style="text-align: center;">W.</p> <p>W<i>aldbeccensium Comitum</i>
<i>genealogia vestigata.</i>
190</p> <p><i>Weilsmanni (Christiani Eberh.)</i>
<i>imago are expressa.</i> 220</p> <p><i>Westphali adversus Lipsium de-</i>
<i>fens.</i> 426</p> <p><i>Wolfii (Christiani) imago are</i>
<i>expressa.</i> 219</p> <p style="padding-left: 2em;"><i>varia futa</i>
<i>descripta.</i> 460 seq. 638 seq.</p> |
|--|---|